BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLVII
B
9
NAPOLI

105.73.

XLVII
15
9

HISTORIÆ
ECCLESIASTICÆ NOVI TESTAMENTI.

TOMUS IX.
SECULI XVI.
PARS V.

Quæ Reformationis cauſas tum *Adjuvantes*, tum *impedientes* tradit.

Accedit Oratio Inauguralis, in Inclyta Lugduno-Batavorum Academia, ſi ita ſupremo Numini viſum fuiſſet, dicenda.

AUTHORE

JOH. HENRICO HOTTINGERO, D.

Præfigitur hiſtoria vitæ & obitûs ejusdem.

AUTHORE.

JOH. HENRICO HEIDEGGERO, D.

TIGURI.

Typis SCHAUFELBERGERIANIS,
ANNO M DC LXVII.

NAPOLI

NOBILISSIMIS
Atque
AMPLISSIMIS VIRIS,
D. D.
ACADEMIÆ LUGDUNO-BATAVÆ CURATORIBUS;
EIUSDEMQUE URBIS
CONSULIBUS
SPECTATISSIMIS;
DOMINIS, & Mœcenatibus colendiſſimis,
Gratiam & Pacem à Ieſu noſtro!

SEptimus hic lapſus eſt menſis, ex quo primùm, quæ pia veſtra eſt in rem literariam cura, ad ſupplendam CL. D. D

Hoornbeckii p.m. Theologi, ut verè Orthodoxi, ita & incomparabilis; vicem vacuam unanimi omniũ Veſtrûm conſenſu, Patrem noſtrum eheu! deſideratiſſimũ D. JOH. HENRICUM HOTTINGERUM S. S. Th. D. & P. in patria Ordinarium, ad ordinariam, videlicet, in Academia Lugduno-Batava S. S. Theologiæ Profeſſionem capeſſendam evocâſtis. Quoniam verò Ampl. noſtri Proceres, pro ſuo, quem Patriæ debebant; amore, ſuæ quoque rei conſultum volebant, ægrè ab ſe initiò impetrârunt, ut veſtro hac in re reſponderent voto. Bene quippe ſubductis rationibus ſuum ſibi tenebant civem. Et quamvis hinc ſpe Vos Veſtrâ excidiſſe primùm viſi fueritis, ſecundis tamen id tentâſtis literis, & undique conquiſitis rationibus, eò tandem faventiſſimè delapſi eſtis, ut pariter Illuſt. ac Præpot. D. D. Generales ac Hollandiæ Ordines ſuas iteratò Veſtris ad Ampl. noſtrum Senatum jungi curaverint, & Parentis p. m. dimiſſionem ambiverint. Quid nî igitur Veſtro tandem, Veſtris expugnati

voca-

voçatoriis, voto locum ceſſerint? Sed, proh dolor! quem Veſtrum eſſe deſiderâſtis; cujus fruendi deſiderio flagrâſtis; quem benigniſſimis Veſtris vocis expectâſtis; quem à Noſtris tandem obtinuiſtis, nec Veſtris nunc, nec Noſtris commodis inſervit! Quem Veſtro Muſarum choro inſertum voluiſtis, ad Angelicas cum Nobiliſſimo ſocio, (cujus memoria omni ſeculo digna) tribúsque pignoribus, à ſummo rerum omnium, juſto & prudente Arbitro ſedes translatus eſt.

Deſiderâſtis *Nobiliſſimi, Ampliſſimi Viri*, Patrem in vivis exiſtentem. Deſiderare Vos eundem mortuum, facilis atq; proclivis eſt conjectura. Cujus itàque vivam fruſtrà expetiſtis vocem, Ejus quid vetat, quò minùs hic Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Tomus, mole licèt exiguus, re tamen ipsâ non poſtremus, Nobil. Ampliſſimóque Nomini Veſtro conſecretur?

Veſter eſt in frontiſpicio ſermo, quem priùs è roſtris Veſtris, quàm ordinarios ſibi demandatos adiret labores, dicturus

erat. Veſtra ea eſt Oratio, quam in Auguſtiſſimo & Ampliſſimo Veſtro, quem ſibi pollicebatur Optimus Parens, conſeſſu, auſpicalem habiturus erat. Scripto nunc ea, quæ ἀπὸ ϛόματος dici non potuit, traditur; ut, quibus ſtudiis in ſpartã commiſſam accenſus fuerit, innoteſcat; ut nihil, inquam, Parenti antiquius, prius nihil ipſi fuiſſe, pateat, quàm neglectis & temporum injuriis, & locorum à Patria diſſitorum intervallis, ἀσμένως ubiq; ϛρατεύεσθαι, ἵνα τῷ ϛρατολογήσαντι ἀρέσῃ; Ut appareat, toto eum animo, & ſtudio omni ἐπεσχηκέναι τῷ ποιμνίῳ, ἐν ᾧ ἔθετο αὐτὸν πνεῦμα ἅγιον διδάσκαλον.

Vobis, *Nobiliſſimi, Ampl. Viri,* & cætera debentur. Hanc enim ultimam telam exorſus eſt beatæ memoriæ Parens, eo tempore, quo de vocatione ejus agebatur. Sciſſa eſt dum ad Vos iter jam jam inſtituebatur. Sciſſa eſt tela, & prout (pag. 527.) *ſuperiori ſeculo magnum bona cauſa vulnus hinc inde accepit, ex præmaturo tum Regum, Principum &c. Nutritiorum Eccleſiæ, tum virorum etiam præclarorum obitu*; ſic etiam im̃ane quantum operi huic hiſtorico

co imperfecto, cui ultima lima deeſt, ex præmatura Authoris morte evenit damnum.

Materiæ ſanè tractatio totum ſeculum requireret. Difficile eſt dictu, quantum ea, quæ ad manus ſunt, ad defenſionem religionis Reformatæ, conferrent operæ, ſi & illa olim in publicum prodirent. Quod ut fiat, eſt, quòd indefeſſis Deum T.O.M. in noſtra vota precibus vocemus.

Vos interim *Nob. Ampl. Viri, Academiæ & Reip. Veſtræ* CURATORES *ac* CONSULES *Magnifici*, benignis (nec enim pluribus opus eſt, quibus fœtum hunc Vobis vindicatum eamus) auribus, hunc ſermonem, Cygnæam hanc Cantionem, quam cœleſtis cygnus, ὁ μακαρίτης funeri proximus cantavit, excipite; gratioſo Veſtro Patrocinio poſthumum hunc fœtum dignum judicatè, atque ea, quæ Vobis jure debentur, benignè admittite, quod rogamus, oramus, & ſupplicamus.

Deus, ſummus & unicus mundi Sator & Stator, Vos, NOBILISSIMOS, AMPLISSIMOS *Viros*, quàm diutiſſimè incolumes præſtet, ſcuto juſtitiæ bonitatis

tatis & veritatis Vos protegat, Regimen Veſtrum ſecurum reſtituat, almam Veſtram Muſarum ſedem, Rei literariæ emporium celeberrimum, ceu Orbis Chriſtiani cœlum fulgidiſſimum, ſideribus lucidiſſimis & clariſſimis clementer condecoret, tranquilla imprimis Veſtra omnia pace frui, perpetuóque florere jubeat! In quo calidiſſimo Voto finimus, totámque mœſtiſſimè viduatam HOTTINGERI familiam Veſtro favori humillimè commendamus.

Tig. Ipſ. Cal. Septemb. Anno quo

HottIngerVs LeIDaM VoCatVR;
SeD In CœLVM VehItVr!

Veſtri,
Nobiliſſ. & Ampliſſimi Viri,
Clientes,

Hottingeri Vidua & Liberi,
Eorúmque nomine

J.HENRICUS HOTTINGERUS, F.

HISTORIA VITÆ ET OBITUS JOH. HENRICI HOTTINGERI

Viri Clariſſimi & incomparabilis,

AVTHORE

JOH. HENRICO HEIDEGGERO

DESCRIPTA.

JOHANNIS HENRICI HOTTINGERI, VIRI CLARISSIMI, & in Republica literaria eminentis, vitam non tam pro dignitate ipſius, quàm pro mearum facultate virium deſcripturus, & ad æternitatem, ſi pote, transmiſſurus, facilè inſtitutum meum, iis, queis virtus & doctrina in pretio, probaturum me confido. Sive enim in antiquiſſimorum redeo memoriam temporum, obvios reperio plures, quibus clarorum virorum facta moréſque florente calamo exequi, non pigendæ omnino res operæ viſa eſt. Ita enim Xenophon Socratis Græcorum ſapientiſſimi: Plutarchus, Dio Caſſius,

ſius, Philoſtratus & Herodianus inter Græcos; Cornelius verò Nepos, Suetonius Tacitus, Marcellinus inter Latinos Virorũ Illuſtrium & Excellentium: Diogenes Laërtius, Eunapius & Lucianus Philoſophorum: Inter Chriſtianos S. Hieronymus & Epiphanius, duo clariſſima Eccleſiæ lumina illuſtrium quarundam utriusque ſexus perſonarum: alii aliorum vitam & res geſtas poſteritati commendârunt. Sive noſtrorum etiam temporum conſuetudinem & vulgatum paſſim morem cogito, uſu laudatiſſimo receptum invenio, ut illorum, qui per inſignem virtutem, rarámque eruditionem clarum nomen adepti ſunt, laudes memori calamo adæquentur, & poſteris noſcendæ imitandæque exhibeantur. Obvia ſunt & expoſita ubique ejus rei exempla. Et, ut de exteris nihil dicam, extât domeſtica Eccleſiæ & Scholæ hujus patriæ φωςήρων exempla, quorum transactæ vitæ rationem exponere, & formam veluti ac lineas deducere aliis curæ fuit. Ita enim Huldrici Zuinglii herois illius noſtri vitam Myconius: Bullingeri Viri in omnibus Theologiæ veræ partibus conſummati; nec non Geſſneri illus θαυμασιωτάτου, & Martyris, incomparabilis Theologi, Simlerus: ipſius Simleri, qui plusquam Her-

culea Orthodoxæ doctrinæ ἄσπις in omni genere doctrinæ excelluit, Guilielmus Stuckius, ut alios ſilentio prætereamus, graviſſima oratione ediſſeruêre. Nempe fas & pium erat eorum celebrari memoriam, quorum viventium ſanctiſſima ſtudia & conſilia in eo unicè fuerunt, ut Dei gloriam, hominúmque adeò ſalutem pro ſummis viribus ſuis promovere poſſint. Cúmque Viri præſtantes patriæ etiam ſuæ immortale decus conciliare, & claritudinem maximam ſoleant, plurimum intereſt ne celatis infido ſilentio eorum virtutibus publica in commoda patriæ, quibus advigilare bonos omnes convenit, quodammodo peccetur. Sicut enim liberorum laudes in gloriam parentũ recidunt & redundant: ita præclarorum virorum erga genus humanum merita patriam exornant, & veluti ſplendidiſſimum quoddam ſidus illuſtrant. Quid quòd ejusmodi laudatio ad Dei etiam gloriam, cui omnium contentione virium velificandum nobis eſt, pertinet? Cùm enim omnia hominum omnium ornamenta & præſidia Deo authori in ſolidum accepta referenda ſint, eadem utique opera Deus uberrimus & inexhauſtus omnium bonorum fons & munifi-

cus largitor agnoſcitur & deprædicatur. Neque ultima pars eſt gloriæ divinæ, quæ ex ſapientiſſimis ejus operibus colligitur. Accedit denique, quòd inſtitutum hoc cujusque vitæ veluti ſummam complectendi, judicii adgubernantis rectitudine, publicæ etaim utilitati accommodatum eſt. Si enim quondam corporum ſimulachris atque imaginibus magna tributa eſt vis homines ad virtutum imitationis ardore excitandi: quid quæſo ſentiendum eſt de animorum & virtutum ipſarum expreſſis ſimulachris & effigie? Sicut nempe in hiſtoria hoc præcipuè ſalubre atque frugiferum, uti magnus ille Patavinus loquitur, omnis nos exempli documenta in illuſtri poſita intueri, ut inde tibi tuæque reipublicæ quod imitere, capias; inde fœdum incœptu, fœdum exitu quod vites: ita ex hoc argumento, in quo non ſparſæ quædam morum ſcintillæ, ſed ſervatus integer vitæ nexus, & virtutum quædam concatenatio occurrit, manifeſta, firmáque morum documenta elicere integrum erit. Quemadmodum etiam pictores, quo ſimili concinnè utitur Simeon Logothetes, qui Baſilii Magni lucubrationes in ἠθικοὺς λόγους congeſſit; cùm imaginem ex imagine pingunt, exemplar

plar identidem reſpectantes, lineamenta ejus transferre conantur magno ſtudio ad ſuum opificium: ita qui ſe ſe meditatur omnibus virtutis numeris abſolutum reddere, veluti ſimulachra quædam ſpirantia & efficacia ſanctorum vitas reſpiciat oportet, probáque illorum opera ſua imitando facere. Sed plura perſequi tum inſtitutæ brevitas tractationis hujus prohibet, tum feſtinatio, ut ea explicem, quæ ſum exorſus. Quare ad propoſitum veniam, & ſtridente fiſtula inculti eloquii, non tam quæſitis coloribus, quàm narrationis ſimplicitate & rerum fide, futurus ſola profeſſione pietatis erga defunctum mihi chariſſimum, aut laudatus aut excuſatus, vitæ HOTTINGERI partes per tempora exequar.

Natus eſt JOH. HENR. HOTTINGERUS Tiguri die decimo Martii, anno æræ Dionyſianæ milleſimo ſexcenteſſimo & viceſimo, parentibus Joh. Caſparo Hottingero, & Anna Thumiſenia. Dies ille, quem definivi natalis, ater ac funeſtus fuit Germaniæ ob atrocem cladem Bucquoium & Tampirenſem inter, Cæſareani exercitus anteſignanos, & Chriſtianum Anhaltinum Principem, ambiguo diu marte & mutua cadentium ſtrage commiſſam. At 1620

Helvetiæ & Eccleſiæ adeò Chriſti extitit lætus ortu illius, quem fata adhuc latitantia Muſarum quodammodo principatui deſtinârunt. Quòd ſi aliquid natale aſtrum contribuit ad animum generoſum, vel patriæ ſplendor & nobilitas quidquam confert ad gloriam, Tigurum urbs non antiquiſſima tantùm eſt, quippe cujus mentio frequens vetuſtis authoribus, Straboni, Plutarcho, Cæſari, Floro, Eutropio, aliis: verùm etiam ſitu, fertilitate ſoli & amœnitate ſumma, authoritatis & aureæ libertatis invidenda prærogativa, & quod caput eſt, Religionis ſinceritate ac puritate, & ſanctimonia juſtitiæ celebris. Sed dubitari meritò poſſit, plúsne ſplendoris patria HOTTINGERO contulerit, an ille ei reddiderit. Adeò ille non ſolùm nominis ſui celebritate, & ingenii pulcherrimis monumentis, verùm etiam adſertis Tigurinæ civitatis libro, cui *Speculum Tigurinum* nomen eſt, publici juris facto, antiquitatibus, patriæ urbis claritudinem auxit. Nempe ſecum exactè perpenderat, quod Ageſilaus puer adhuc chorago in ludis gymnicis locum minus honoratum ipſi tribuenti dixiſſe fertur, non loca viris, ſed viros locis honorem conciliare oportere. Et appoſitè Ariſtoteles, memorante

rante Laërtio in ejus vita, glorianti cuidam, quòd magnæ urbis civis eſſet, reſpondit: οὐ τοῦτο σκοπεῖν, ἀλλὰ ὅς τις μεγάλης πατρίδος ἄξιός ἐςι. *Noli hoc conſiderare, ſed utrum præclarâ patriâ dignus ſis.* Sed & Parentes ejus, quos memoravi, debitâ laude defraudandi non ſunt. Et pater quidem ex honeſta familia oriundus, nautis præfectus, fideliter & ſedulò munia ſua obiit. Mater quoque pijſſima fœmina & honeſtiſſima matrona ita in precibus aſſidua & indefeſſa fuit, ut non ſemel confeſſus fuerit HOTTINGERUS, ea ſpiritus S. dona, quæ DEUS ipſi ὅλῳ θυλάκῳ impertivit, enixiſſimis & continuis piæ matris precibus impetrata eſſe. Eſt hoc cumprimis dignum memoratu, quòd poſt Reformationis tempora primus in Helvetia martyrii coronam, ob Evangelicæ veritatis conſtantiam obtinuerit NICOLAUS HOTTINGERUS Civis Tigurinus, cujus hiſtoriam tum BULLINGERUS noſter in hiſtoria inedita Reformationis, tum LUDOVICUS LAVATERUS in compendio Hiſtoriæ Univerſalis retulerunt, ſimul confeſſi, ejus exemplum ad Evangelii propagationem non parum valuiſſe. Atque ita ille patiendo, hic agendo regnum Chriſti amplificare adnixus eſt. Verùm cùm juxta illud Minutii Felicis omnes pari ſorte

naſcamur, & ſola virtute diſtinguamur, & optimus quisque ſit nobiliſſimus, ſecundum, illud Velleii: neque etiam noſtra ſint genus, pecunia, καὶ ἑνὶ λόγῳ ὅσα οὐχ ἡμέτερα ἔργα, ut Epictetus ait: non tam laborandum nobis erit, qua patria, quibúsve parentibus oriundus fuerit noſter ille; habueritne atrium plenum fumoſis imaginibus, nec ne: quàm, qua ille virtute ſibi propria ſupra fortunam ſurrexerit. Ita enim quisque ſe gerere debet, tanquam ſi genus à ſe incipere oporteret. Et meritò olim Hieronymus riſit illam Rhetorum diſciplinam, qua jubent *ab avis & atavis & omni retro nobilitate ornare quem laudant, ut ramorum ſterilitatem radix fœcunda compenſet, & quod in fructu non teneas, mireris in trunco.* Igitur, qualem ſe adoleſcens geſſerit, & quam de ſe ſpem fecerit ſuis educatoribus, pandam. Deductus à Parentibus in lu-
1627. dum & publicam Scholarum frequentiam, prima artium rudimenta feliciter didicit. Apparebat in eo puero adhuc præclara indoles, & in tenera ætate ingenii & excellentis memoriæ vis & præſtantia elucebat. Quæ proponebantur, facilè percipiebat; quæ tradenda memoriæ, complectebatur brevi, & fideliter retinebat. Videas quædam rapacia doctrinæ ingenia, ſed

fuga-

fugacia eadem, ſimiles vinis & exoleſcentibus literis. Videas & alios in diſcendo tardiores, ſed fideliores in retinendo, & prudentiores in utendo, ſimiles ferro, quod cœlaturam ægrè admittit, ſed retinet conſtanter. Hic noſter, quas alii dotes diviſas habent, ſimul obtinuit. Erat enim memoriæ feliciſſimæ juxta atq; tenaciſſimæ. Factum eſt hinc, ut triviales Scholas quæ quinq; numero fuerunt, exiguo admodum ſpatio, trium præter propter annorum emetiretur. Quod ingenii rari & & felicis admodum locuples eſt indicium. Præterire non poſſum, quòd Volklinus quintæ Claſſis Præceptor, ſuum de HOTTINGERO, ſub ſignis ſuis agente judicium publico in tentamine diſcipulis, ſtyli exercendi gratia dictato, conſignavit, quod hodiéque extat ejusmodi: *Tertium locum primo in ſcamno occupat parvulus IOH. HENR. HOTTINGERUS, diſcipulus diligentiſſimus juxta & obedientiſſimus, qui non memoria duntaxat, ſed judicio etiam pollet, lectiones ſuas omnes alacriter, promtiſſimè & cum judicio reddit. Licèt vero ſtatura ſit exigua, animi tamen magnitudine & virtute cedit nemini.* Eſt ſanè non vanum omen futuri, quod ex primo illo ſtudiorum impetu capitur. Sicut enim aquileges credunt aquas ſubeſſe, ubi

conſpexerint vaporem manè attolli : ita ex prævio illo ſtudiorum ardore non immeritò ſpes concipitur de luculenta doctrinæ ac maximarum virtutum ſcaturigine. Quamvis enim non deſint exempla eorum, qui prima illa juventutis face ſtudiis ſeſe tradentes, ad eruditionis adhuc arcem & illa ſapientum templa ſerena penetrârunt, uti Julii Cæſaris Scaligeri, Budæi, aliorúmque hiſtoria docet : veriſſimum tamen eſt , quod Verulamium ſcribere memini, ὀψιμαθεῖς tales novam plicam non bene admittere. Cæterùm puero accidit periculum anceps , quod , cùm augurii quodámmodo ſpecies ei infuerit , tacere non poſſum. Delectabatur admodum captura piſcium, cui horis feriatis, relaxandi animi gratia, vacaverat. Fortè igitur contigit, ut apud vicinum fluvium, cùm diu ſpe prædæ in ſcopulo fruſtra moratus eſſet, piſcis hamum, cui eſcam ille impoſuerat, nimio pondere ſuo abrumperet. Ille hami & piſcis recuperandi aviditate in fluvium incumbens , abripi & mole corporis ſubmergi. Ultimâque jam neceſſitas inſtabat, cùm vociferatione ejus excitati in vicino accurrerunt , & extremè periclitantem ægrè liberârunt. Dubium mihi non eſt, quin, ſicut oſtenta & prodigia, quæ ſæ-

pe

pe in ortu & infantia virorum magnorum acciderunt, (qualia multa ex authoribus repetiit Sarisberienſis in Policratico) futuræ eorum gloriæ præluſerunt: ita in adverſo illo caſu paterna hæc Dei cura clarè eniteſcens, indicium fuerit, puerum hunc ad ſingulare aliquod miniſterium divinitùs conſervatum eſſe. Ne jam dicam in hoc caſu quandam conſpicuam fuiſſe proluſionem ejus fati, quo virum tantum extinctum non ſine horrore cogito. Porro ex tyrocinio ſuo in contubernium manſuetiorum Muſarum adſcriptus, nihil omnino de induſtria ſua remiſit. Ducebatur autem velut inclinante quodam aſtro ad ſtudia Linguarum, ad quæ ducatum ipſi præbuit Johannes Jacobus Wolphius, Linguarum in Schola Tigurina Profeſſor tum ſolertiſſimus tum doctiſſimus, cui plurimum ſe debere non ſemel profeſſus eſt. Sanè Latinam Linguam expeditè calluit, ejusque flores & ornatum adeò exactè tenuit, ut jam tum ex illius judicio, quo orationibus ſuis tropos, paranomaſias inprimis, concinnè adhibere doctus fuerat, Joh. Rodolphus Stuckius, cum temporis Logicarum artium ac poſtea Theologiæ Profeſſor, immortali memoria digniſſimus, de illo præclarè augurar-

cæperit. Græcam Linguam habuit ſibi adeò familiarem, ut & verſus ſaniſſimi coloris feliciter componeret, & conciones Germanicas volante calamo Græcè exciperet. Sed & Hebraicæ Linguæ, quæ ei præ cæteris adlubeſcebat, notitiam non vulgarem nec mediocrem ſibi comparavit. Facilè hinc reliquos commilitiones ſuos omnes antegreſſus eſt, pleroſque etiam regio, quod ajunt, cubito ſuperavit. Neque ſatis habuit eſſe & cluere πάντων ὑπέροχον ἄλλων. Reliquis etiam commilitonibus ſuis ad diligentiam authorem & ducem ſe præbuit, eos partim demulcens precibus, partim immiti adhortationum flagello ſtimulans, ut hoc agerent. Excepta eſt ab alumnis Collegii, quibus cum vixerat, vox, & ſæpius longo poſt tempore repetita, *Ad ſtudia, ad ſtudia*; qua ille veluti celeuſmate quodam languentes & inutiliter tempus conterentes excitare conſueverat. Præterea cum eruditione pietatem, cum Muſis Gratias ſtabili nexu conjunxit, quam ἡδίστην συζυγίαν meritò appellârunt veteres. Fuit enim revera indole præditus optima & integerrima, non parcus Deorum cultor, ſed verè religens & verum Deum ſincerè metuens, amans bonæ mentis; cui cor non duplex fuit, ſed ſimplex, apertum,

can

candidum, ſincerum, ingenuum, ab omni fuco & fallaciis abhorrens quàm maximè; præterea comi & facili natura, amans concordiæ, ſobrius, temperans, ab ebrietate, gula, omniumque voluptatum illecebris ac lenociniis averſiſſimus. Quæ virtutes in omni vitæ ejus ſpatio pulcherrimo concentu ſeſe exeruerunt. Talis igitur cùm fuerit, facilè evenit, ut eum boni omnes, Summates, medioxumi, infimates diligerent, & veluti natum ac renatum in ſpem Eccleſiæ unicè foverent & complecterentur; multi denique etiam non ſentientem ſpecularentur atque cuſtodirent. Cæterùm non ſufficere ei eos experientiæ & reconditæ doctrinæ fontes, quos hactenus hianti ore in patria biberat, judicarunt utriusque ordinis Proceres, quibus apud nos ſtudiorum promovendorum cura demandata eſt. Mittendum ſtatuerunt etiam ad exteros, ut peregrinis quoque ſapientiæ præceptis ingenium miſceret. Quamvis enim literarum ſtudia quieto ſecretóque magis guadeant quàm motu aut diſcurſu: nemo tamen ibit negatum, quin peregrinarum terrarum frequentatio, ſi conſilio, ſi ritè inſtituta, plurimum conferat non ad prudentiam duntaxat & mores, verùm etiam ſcientiam. Neque enim fru-

ſtra olim Plato, Pythagoras, Democritus, alii, relicta penu artium Græcia, non ad cultos ſolùm, ſed ad barbaros populos peregrinati ſunt, incitante acri quadam cupidine diſcendi. Libri ſanè domi habentur, tractantúrque meliùs. In doctoribus aliter eſſe, ratio ipſa ſuadet. Quæ enim illa tam felix regio, quæ feliciſſima omnia ingenia includat? Quin ſparſa illa ſunt, & Deo diſpenſante, ſua cuique terræ gemmula eſt, quæ illuſtret. Miſſus igitur ad exteros à Proceribus, publicorum impensâ ſumtuum, die 26. Martii anno ſeculi hujus triceſimo octavo comite perpetuo Johanne Henrico Ottio, Profeſſore nunc apud nos Clariſſimo, iter ingreſſus eſt, Deo in vota vocato. Adiit primò Genevam vicinam & fœderatam, ac pietatis & Orthodoxiæ patriæ æmulam urbem. Docentem ibi præter alios viros egregios, ſalutavit & audivit Fridericum Spanhemium, illud eloquentiæ flumen, & omnigenæ eruditionis ac ſcientiarum omnium capax ingenium. Verùm vix duorum menſium ſpatio ibi commoratus, Maij viceſimo ſexto illinc diſceſſit, & comitatus familia Steinbergii Juriſconſulti famigeratiſſimi, peragrata, ac curioſa indagine non tá ſenſus & adſpectus quàm mentis, luſtra-

ta Gallia, Flandria, Selandia & Hollandia, Groningæ Friſiorum appulſus, eam urbem ſedem ac magiſtram ſtudiorum delegit, & aliquandiu habuit. Excelluére tum ea in Academia Theologi præſtantiſſimi, maximæque exiſtimationis, Franciſcus Gomarus, ille Arminianorum malleus, & Henricus Altingius, ſoliditatis, perſpicuitatis, & methodi ordinatiſſimæ laude inclytus. Et Altingius quidem exploratâ ipſius ſedulitate & φιλομαθείᾳ incredibili ipſum patria charitate dilexit, & affectu tenerrimo fovit. Habeo ejus rei indices & teſtes literas ipſius manu ad venerandum Antiſtitem noſtrum, Joh. Jac. Breitingerum hodie cœlitem exaratas, ex quibus pauca excerpi non alienum ab inſtituto erit. *Hottingerus*, ita ſcripſit XXIV. Nov. an. ſalutis M DC XXXVIII. *ſingulare quid pollicetur, cùm in cæteris ſtudiorum partibus, tum in Linguis Orientalibus, in quibus Præceptore utitur Iudæo. Eſt non minùs conſtantia ſimul & contentione ſtudii, quàm ingenii ac memoriæ excellentia commendabilis. In quo Alſtedium redivivum, qui anno* 1604. *Herbornæ inſtitutione mea privata utebatur, mihi videre videor, vobis autem polliceri auſim; adeò omnia conveniunt. Sic ergo divina benedictione ſuccreſcent, quibus paulò poſt ceſſuri ſtatione,*

lam-

lampada tradere poſſimus. De quo Eccleſia Reique publica noſtra ſeriò & ex animo gratulor. Ita de eo Theologus candida nive candidior. Uſus eſt etiam ad Arabicæ litera-
1639. turæ principia Præceptore Matthia Paſore, qui in eadem Academia Profeſſorem egerat. Memini virum magnum, & qui in literis hodie nomen clariſſimum habet, aliquot ante annos, cùm eum Lugduni Batavorum viſerem, inter alia mihi confeſſum eſſe, ſe una cum HOTTINGERO, aliisque Groningæ Orientalibus Muſis litâſſe. *Sed Hottingerus ille*, inquiebat, *veluti aquila erat in nubibus.* Interea dum ille Groningæ ſecundo omnium favore ſtudia ſua igneo veluti ardore quodam proſequitur, Leidâ Jacobus Altingius, Henrici Filius, qui hodiéque Cathedram paternam maximo ſuo merito, & pari applauſu omnium ornat, offert conditionem apud Virum Clariſſimum, Jacobum Golium, Orientalium Linguarum, quarum cauſa in Oriente diu vixerat, Profeſſorem peritiſſimum. Eam ut ambabus ulnis amplecteretur HOTTINGERUS, author ei fuit Altingius Pater. Et facilè ei perſuaſit obſequium, reputanti, divina veluti virgula contingere, ut opportunitate hac ſingulari uſus, ſuo, quo flagrabat in Orientalia ſtudia, deſiderio

ſatis

ſatisfaceret. Sed & ipſe Golius antehac, cùm ad eum HOTTINGERUS Leidæ inviſeret, ſalivam ipſi moverat privato colloquio, quo ipſum ad ſe invitavit, facta ſpe ſubſidiorum ad Linguam Arabicam non pœnitendorum. Anno igitur Seculi hujus trigeſimo nono Groninga conceſſit Leidam, & magni illius viri, Jacobi Golii tectum ſubiit, ſimul liberis ejus navaturus operam, ſimul ejus ope ac conſilio uſurus ad penetrandum in ſecretiora Arabicæ literaturæ cubilia. Neque ſua ipſum ſpes fefellit, vel deſtituit anxia expectatio. Præterquam enim, quòd ſors obtulit hominem natum Turcam, cujus opera in Arabica & Turcica Lingua uſus eſt: ipſe etiam Cl. Golius quam poterat per negotia, quibus concatenatis nunquam non circumvallatus eſt, facem in excolendis ſtudiis Orientalibus adluxit. Habet Golius Bibliothecam Arabicam non tam typis exſcriptam, quàm calamo conſignatam locupletiſſimam, quam, cùm in Oriente verſaretur, magno labore collegit, & monumentis adſcititiis auxit. Hæc HOTTINGERO ejus benevolo indultu patebat. Deſcripſit igitur ſuos ad uſus intra breve tempus, quatuordecim nimirũ menſium, quos Leidæ commorando transduxit,

xit, Codices Arabicos non paucos. Æquè enim expeditè & promptè jam Arabicè pingere, atque Latinè vel Germanicè didicerat. Fertur Golius Cornelio Hagæ, viro Illuſtri, Legato per annos triginta Conſtantinopoli πολυγλώττῳ, aliquando faſſus eſſe, Hottingerum plures manu ſua exiguo ſpatio deſcripſiſſe libros, quàm alii per totam vitam ſint lecturi; nec in orbe Chriſtiano hac ætate quempiam ſe ſcire, qui in hiſce ſtudiis paria cum eo facere poſſit. Adeò fidem expertus eſt Græcanici illius proverbii. Θεοὶ ἀγαθὰ τοῖς πόνοις πωλοῦνται. *Dii laboribus bona divendunt.* Cæterùm inter labores hoſce improbos (neque enim tempora curarum & remiſſionum probè diviſerat) & ſæviente hiemis inclementia, quam ſæpe graviſſimam ſibi eo loco degenti extitiſſe nobis conqueſtus eſt, evitare non potuit, quin ſubinde valetudo, quam cæteroquin ei natura firmam & conſtantem impertita eſt, inſultum aliquem, & ex inſultu damnum pateretur.

1641. Anno ſeculi hujus quadrageſimo primo Nobiliſſimus & Ampliſſimus D. Guilielmus Boſwellus delectus erat, qui Conſtantinopolin iter pararet, & ibidem Jlluſtrium ac Præpot. D.D. Ordinum Fœderati Belgii nomine Legati munere defunge-

ſungeretur. Is monitus à Cornelio Haga recens Legatione ea perfuncto, uti Hottingerum ſibi comitem, futurũ à concionibus ſacris, adſciſceret; facilè induci ſe paſſus eſt,ut hanc ipſi provinciam offerret. Hîc Golius remis & velis id agitaverat,ut conditionem illam, quippe opportunam rebus maximis, acceptam haberet. Etenim ea in ſtatione facultatem ipſi adſpiraturam ὀρθοδοξίας ſementem inter Græcos factam alendi, & pro virili ſua curandi; multa Græcorum ſcripta ad vetuſtos codices conferendi, quæque nunquam viſa nobis ſunt, ſcrutandi & perluſtrandi, & in Eccleſiæ Orientalis Hiſtoria aliquid deſiderio & laude dignum depromendi. Nam cum illa à plurimis primo à fundamento,uti neceſſum erat, repetita atque conſcripta fuerit, pauciſſimos eandem perduxiſſe ad præſentem ævi noſtri ſtatum. Optandum autem videri, ut ab hodierna ſecundum ſectas & ordines ſacros conſtitutione exorſus aliquis, Analytica via, quæ veritati inveniendæ mirificè accommodata, & retrogrado paſſu procedat ad ſeculum prius. Etenim ſi vel prima ejus pars contexeretur, & novam,& cognitu utilem atque neceſſariam futuram, & conſtiturum ſic,quid conſilii & remedii ab Eccleſiis Orthodoxis

illa in præſens requirat, quibus in errores atque tenebras lapſis primum conceptæ aliisdem lucis redhoſtimentum debeamus. Si verò cœptum ejusmodi opus perſequi liceret, multa haud dubiè retro lectis veſtigiis deprehenſum iri, quæ vel latuerunt hactenus, vel intricatoria habita fuerunt. Quibus commodis & hoc annumerari poſſe quòd Orientalis literaturæ encyclopædiam perſequi ibidem & feliciſſimè abſolvere poſſet. Non librariæ, ejúsque rariſſimæ ſupellectilis, non rerum copiam, neque ad iis bene utendum quicquam defuturum. Hæc vota ſua tam prægnantibus rationibus munita per literas Golius communicavit & reſeravit Johanni Jacobo Wolphio, Tigurina in Schola Linguæ Græcæ Profeſſori. Idem illud conſilium miſſitandi Hottingerum in Orientem cordi fuerat etiam Conſtantino L'Empereur, Theologo & Philologo ſubactiſſimi in Antiquitatibus Orientalibus judicii: quod ille literis ad Breitingerum noſtrum exaratis teſtificatus eſt. Et videtur ipſi Hottingero animus ad conficiendum illud in Orientem iter inclinâſſe. Nam Hagam Comitis cum Golio profectus, Cornelio Hagæ ita valedixit, ut aliquam ſaltem reditus ſui ſpem ei relinqueret. Verum Tigurinis huic conatui intercedentibus, omnis ſpes profectionis

nis hujus decollavit, ſuccedente poſtmodum ea provincia in humeros Levini Warneri, qui longo tempore Conſtantinopoli ſubſtitit, collecta Bibliotheca Orientali pretioſiſſima, quam nuper fato ſuo functus Academiæ Leidenſi delegavit. Cæterùm Hottingerus revocatus in patriam ſexto Martii ANNO M DC XLI. Leida diſceſſit, trajecturus in Angliam, atque hinc per Galliam, patrios lares repetiturus. Minùs tuta erant per Oceanum itinera. Boswellus igitur, quem ante memoravi, quique eum literis συστατικαῖς ad principes in Anglia Viros inſtruxerat, non tantùm geminum ſalvi conductus diploma, ſuomet ſarcinis ejus inſcripto nomine ſuppeditavit: Verùm etiam authoritate ſua id effecit, ut Regia navi, qua tum Sereniſſimus Elector Palatinus in Angliam vehebatur, transfretare licuerit. Cúmque jactatio maris inſolita ipſi, & nauſea marina nonnihil valetudinem ejus affligeret, fidem & humanitatem expertus eſt Petri Streithagenii, qui Sereniſſimo Electori à ſacris erat, quámque adeò ſæpiùs ab eo commendari & extolli, uti erat religioſiſſimus & gratiſſimus beneficiorum æſtimator, audivimus. In Anglia cum Jacobo Uſſerio Armachano, Hiberniæ

Primate, nec non Johanne Seldeno, utroque Viro longe doctiſſimo, & immortali prædicatione digniſſimo, ad quos ipſi literæ Belgicæ aditum & viam muniverant, in colloquium de literis venit. Fertur Uſſerius lectis literis συστατικαῖς, quibus, quos ille Codices Arabicos anguſto ſatis tempore Leidæ deſcripſiſſet, narrabatur, caput HOTTINGERI manu leniter demulcendo, dixiſſe: *Tantum, amice, induſtria poteſt.* Oxonii cum Pocokio & Cantabrigiæ cum Wheloco, qui eum convivio exceptum Socratico humaniſſimè habuit, amicitiæ literariæ fœdus inivit. Ex Angl[ia] ſe contulit in Galliam, ibique, quos ante hac non adiverat, Viros claros ſalutav[i]t. Lutetiæ Hugonem Grotium, cujus nome[n] nihil eſt in adſcitiis titulis tam illuſtre atque magnificum, ut vel dignitate vel celebritate æquare poſſit, familiari alloqui[o] compellavit. Sed & Eccleſiaſtas illius loci graviſſimos, & de Eccleſia Chriſti præclare meritos, Drelincurtium, Daillæum, Meſtrezatium vidit & coluit. Gabrielem etiam Sionitam Syrum, & Marinum Marſennum Monachum Hebraicè doctiſſimum & in Mathematicis verſatiſſimum non omiſit convenire, ut cum iis de Orientali literatura ſermones eruditos confereret. Omit-

r[u]m,

to Amyraldum, Placeum, Capellum, Petitum, Gariſſoliū, alios, quibuscum in Gallia familiariter egit. Adeò nihil reliquí fecit, ut non vagari tantùm, luſtrare, diſcurrere, ſed indagare, diſcere, magnorum virorum amicitias connectere, hoc eſt, verè peregrinari dici poſſet. Plerique enim ſatagunt, ut cum voluptate, pauci ut cum fructu peregrinari poſſint. Cucullati multi peregrinantur, pauci proſpiciendo foras, uti verè magnus ille Verulamius queſtus eſt. Sic Hottingerus peregrinis opibus auctus & onuſtus, eodem anno redux in patriam, ejus poſtliminio ſinubus receptus eſt, ſub oriente publica omnium lætitia, quòd civem tam exoptatum, futurum grande decus patriæ, ſalvum & incolumem ſibi vindicâſſent. Neque viſum è re eſt, ut domi & Muſis ſuis abditus inuſu redderetur quodammodo deterior. Mœcenates nempe ſortitus eſt, prout merebatur maximos, quibus id unum curæ cordíque fuit, ut ſtudia ejus in publicum propellerētur, & ipſe, veluti bona tellus, probè exercitus & agitatus haberetur. Fuit hæc non minima pars felicitatis Hottingero, quód facilè ubique locorum ſibi patronos, ſuísque ſtudiis acquireret, qui ipſum contra livorem ſeculi, qui plerumque paſtus eſt & obſo-

nium ingentium animarum, intrepidè & fortiter aſſererent, & ex tenebris in lucem & orcheſtram virtutibus ejus convenientem producerent. Et quod de Catone Majore Livium dicere memini, in illo viro tantum robur corporis & animi fuiſſe, ut quocunque loco natus eſſet, fortunam ſibi facturus videretur: hactenus in HOTTINGERUM quadrat, quòd in eo tantum robur animi fuiſſe exiſtimem, ut quocunque loco natus, quemcunque etiam in locum tranſlatus, fortunam non tam facturus ſibi, quàm
1642. factam inventurus videretur. Anno igitur Seculi hujus quadrageſimo ſecundo, conſentientibus Procerum Utriusque ordinis votis, ei demandata eſt Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ publica Profeſſio in ſuperiori Collegio obeunda, quæ quàm bene humeris ejus ſederit, dicere non attinet. Fuit nempe, ut Linguarum omnium, ita Hiſtoriarum etiam quoddam quaſi receptaculum & abdita vorago. Cui rei inexhauſta illa, qua pollebat memoria, quam veriſſimè Cicero rerum & verborum theſaurum, Plinius maximè neceſſarium vitæ bonum adpellat, præclarè inſervivit. Itaque Antiquitatum tum Eccleſiaſticarum, tum domeſticarum ſolertiſſimus & ſtudioſiſſimus ſcrutator fuit: quas ille ſic animo informaverat tenue-

tenueràtque, ut videri poſſet omnibus & locis & temporibus interfuiſſe. Teſtis eſt tum illa ipſa, quàm ſic ſatis diu ſuſtinuerat, Profeſſio, in qua feliciſſimè ſimul & fructuoſiſſimè explicavit vela ingenii, & omniſciam penè memoriam: tum literis prodita hiſtoriarum monumenta, auro contra chara: tum denique crebra illa & quotidiana colloquia, quæ ille hiſtoriarum promtiſſima narratione ita condire ſueverat, ut omnibus admirationi eſſet. Nolo hîc, utrum Theologo utilis & neceſſaria ſit hiſtoriarum cognitio, diſceptare, quando res ipſa, vel me tacente, ſatis per ſe eſt manifeſta. Theologus enim ſinę hoc veluti viatico quodam, & face hiſtoriarum minùs commodè ſuum tueri munus poterit. Nulla ratione faciliùs quosvis errores & ſuperſtitiones, quæ nunquam non velut peſtilens quoddam ſidus afflatu ſuo Eccleſiæ nocent, quàm hac ipſa, uti Cicero ſcitè appellat, teſte temporum, luce veritatis, vita memoriæ, magiſtra vitæ, nuntia vetuſtatis, debellabit & in ordinem coget. Eodem anno uxorem duxit Annam Huldricam, Johannis Henrici Huldrici, Viri erudititiſſimi, & multiplici Linguarum notitia clari, Eccleſiæ ad Spiritum ſanctum Miniſtri fideliſſimi, filiam unicam; Jacobi verò Hul-

drici S. S. Theol. Profeſſoris graviſſimi, & Collegii Carolini Præpoſiti neptem; fœminam lectiſſimam, & rebus proſperis ac dubiis ſociam fidiſſimam, quæ & maritum viventem unicè ac perſeveranter dilexerat, & acerbo fato amiſſum inſanabili dolore luget. In matrimonio eo bene cõveniente nata eſt ei proles numeroſa ſatis. Tribus, uti in loco dicetur, eodem genere lethi, eodémque, quo ipſe, tempore extinctis, aliisq; ante mortem ejus cœlo tranſcriptis, ſuperſtites reliquit ſex; filios quatuor, Johannem Henricum, in ſtudiis cumprimis Orientalibus provectum ſatis, & axiomate Verbi Divini Miniſtri jam inſignem, Salomonem, Jacobum & Conradum, optimæ ſpei omnes: filias duas, Dorotheam & Annam, quarum illa nupta eſt Viro egregio, Joh. Caſparo Wolphio, Profeſſoris, quem ſuprà laudavi, Filio, Verbi Divini Miniſtro.

1643. Anno quadrageſimo tertio ſequente Theologiæ Catecheticæ in Collegio Humanitatis, & Linguarum Orientalium in ſuperiori Profeſſio publica authoritate ei impoſita, & priori illi adjuncta eſt, quam ille pari fide & ſucceſſu ſuſtinuit. Quàm fuerit Linguarum Orientalium, Perſicæ, Copticæ, Arabicæ, Turcicæ, Syriacæ, Chaldaicæ, Hebraicæ ad ſtuporem & miraculum uſ-

que

que peritus, ſuperſedeo dicere, ne, cùm res toti orbi notiſſima ſit, videar Athenis, quod ajunt, noctuas inferre. Sanè Hebraicam linguam calluit ad extemporalitatem uſque. Memini ipſum Heidelbergæ compellari à Rabbino quodam, ejusque filio jam adulto, quem diu pater linguam Hebraicam docuerat. Cúmque audiret Rabbinus HOTTINGERUM ſecum expeditiſſimè Hebraicè colloquentem, indignatione ſæva commotus erga filium adſtantem, in eum irruit, & inſigniter eum nobis inſpectantibus & riſum non tenentibus depexum dedit, additis his verbis: Nebulo, tam longo tempore te linguam Hebraicam docui, & pateris adhuc à Chriſtiano hoc te vinci! Sed & Arabicè locutus eſt admodum promtè, cùm adhuc verſaretur Leidæ, & Arabem in ædibus Golii aſſiduitate contubernii ſibi conjunctum haberet. Sic igitur ille unà Theologiam Catecheticam, Hiſtoriam Eccleſiaſticam & Linguas Orientales docuit, & ſuſtinens onus non ſimplex, nec unius Viri, omnium tamen deſideria facilè exſatiavit. Et publicæ inſtitutioni adjunxit tum crebras diſputationes & exercitationes, quibus eruditionis ſuæ theſauros nobis expoſuerat non vulgari cum applauſu omnium & certiſſimo fru-

ctu;

ctu; tum privatam etiam inſtitutionem, qua vix aliud efficacius ad ingeneranda animo reconditæ doctrinæ penetralia. Factum hinc magis atque magis, ut non domi tantum, ſed foris etiam & cura & gratia artis increſceret, neque tam iret ad æternitatem nominis, quàm perrumperet. Cui rei magnum momentum addidere publica ſcripta, quibus ille artifici planè manu laboratis ſubeundum ſibi & tentandum illud publicæ exiſtimationis vadum ſtatuit. Initium ſcribendi fecit anno Seculi quadrage-
1644. ſimo quarto, ætatis viceſimo quarto. Fervebat controverſia de integritate Codicum, tum Hebraici Veteris, tum Græci N. Teſtamenti. Inter Pontificios ſecta quædam deterioris commatis conſpiraverat ad enervandam veritatem Hebraicam, cui ſuppetias etiam tulere ex Reformatis malè conſulti quidam, quorum quale conſilium fuerit, novit Deus, qui omnium ſcrutatur corda hominum. Fortè ex Oriente aſportabatur Pentateuchus Samaritanus, quem Joſephus Scaliger ſcriptis ad Samaritanos Ægypti, itémq; ad magnum eorum Sacerdotem Eleazarum in civitate Sichem morantem literis anxiè præſtolabatur, & occupatus morte non accepit. Itaque Peireskius Senator Aquiſextienſis, qui antea etiam

tiam opera Oſtagerii Pentáteuchum illum coemi curavit,ſed coemtum illum navi à piratis direpta non obtinuit; operam dedit,quo fuit in literas ſtudio flagrantiſſimo, ut alterum illud exemplum, quod ad Scaligerum miſſum in manus Genebrardi inciderat, impetraret. Cúmque impetrâſſet, illud Morino Bleſenſi, Monacho doctiſſimo,ſed perverſi ad abutendum ingenii tradidit. Is eo avidè perlecto totus converti cœpit in Hebraicæ veritatis accuſationem, eo argumento, quòd codex ille Samaritanus, hodiernis, quos terimus, Hebraicis, uti credere nos voluit, longè antiquior, lectiones habeat diſcrepantes plurimas. Confidebat nempe Monachus,tam bardos eſſe & plumbeos noſtros, ut fraudem tentatam ſubolere non poſſent, nec reperiri quenquam, qui ejusmodi ſtudiis intendiſſet animum. Andreas igitur Rivetus, Theologus non ex multis, author fuerat Ludovico de Dieu, Viro ſummo, & qui in hiſce literis pares pauciſſimos habuit, ut Monachi hujus petulantiæ fibulam imponeret. Neque ille defuit cauſæ. Sed telam hanc texere incipientem & aliquouſque jam progreſſum, mors propera fato abripuerat. Hottingerus igitur, qui jam ante opera Mœcenatis ſui Golii non unum na-

nactus fuerat Pentateuchi illius codicem, & ab ipſo etiam Ludovico de Dieu nonnullas in Morinum notas acceperat; liberalius contendendi, & examinandi codices illos ſortitus otium, lucubrationum ſuarum telam in Morinum publica ſcriptione ſtrinxit. Liber toti erudito orbi charus, acceptúsque fuit. Conſtat Morinum diu adhuc ſuperſtitem librum accepiſſe & legiſſe, neque contra mutire auſum. Et Marſennus, cui Hottingerus librum adjunctis literis miſit, id ſolum reſpondit, nec ſibi Hottingeri juvenilem ardorem ſatis probari, nec Hottingerum Morinum penitus nôſſe. Quaſi videlicet juveni integrum non fuerit ſenum deliria taxare, & ipſe Morinus interiorem animi ſui notam in vul-
1647. gus edito libro non patefecerit. Anno ſeculi quadrageſimo ſeptimo Hodegum vernacula lingua ſcribere cœpit. Guilielmus Gothardus Canonicus Solodurenſis ſcripſerat *Magnificat Solodurenſe.* hic libro titulus erat. Carpſerat in eo libro & vellicaverat ea, quæ Joh. Jacobus Huldricus longo ante tempore collegerat de Legione Thebæa, nec non de religione Felicis & Regulæ, quos Tigurinorum fuiſſe protevangeliſtas creditur. Hominis, cui Eccleſiæ Tigurinæ oblectamenti ſui gratiâ inlu-

derc

dere leve facinus viſum, refellendi negotium aſſiduis precibus Hottingero dederat patronus inſignis, quem audita adverſariorum gloriatio, & importuna dicteria exulceravere. Idipſum petiere etiam alii. Natum hinc ſcriptum vernaculum, cui titulus, Chriſtenlicher/ vnpartheyiſcher Wegweiſer/ tribus tomis diſtinctum, quibus ex Scriptura & Antiquitate probatum ivit, Eccleſiam Tigurinam neque novam neque apoſtaticam eſſe: quin Eccleſiam potiùs Romanam novitatis & apoſtaſiæ reatum contraxiſſe. Demonſtrationem hanc per ſingula Theologiæ capita inſtituit. Sed lucem publicam ſalutârunt pauca capita de *Scriptura, Traditionibus, Deo, cultu Dei, invocatione Sanctorum, cultu imaginum, juſtificatione hominis coram Deo*, & quæ huic affinia ſunt, de *merito operum, purgatorio, indulgentiis, &c.* Non mediocrem offenſionem creavit hic liber adverſariis, dolentibus juxta & indignantibus, in iis prodi & propalari hiſtorica ac familiari methodo ambitionis & dominationis Papiſticæ arcana, & τὰ κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης, quæ nos per DEI gratiam Reformationis beneficio ἀπειπάμεθα. Forerus ex Lojolæ caſtris, & ſignorum quondam ſuorum deſertor ac proditor, qui ſcurrilibus & probroſis facetiis noſtros

ſtros adortus non ſine rerum ſacrarum fœda profanatione, quædam carptim ex Hodego traducenda & exſibilanda ſumpſerat, vindice ſtylo confoſſus eſt. Eodem anno edidit *Erotematum Linguæ ſanctæ* libros duos cum appendice Aphoriſmorum ad lectionem Bibliorum Hebraicorum Iſagogicorum.
1649 rum. Anno quadrageſimo nono vulgavit librum apprimè utilem, *Theſaurum Philologicum* ſeu *Clavim Scripturæ*, qua, quicquid ferè Orientalium, Hebræorum maximè & Arabum habent monumenta de Religione, ejusque variis ſpeciebus, Judaiſmo, Samaritaniſmo, Muhamediſmo, Gentiliſmo: de Theologia & Theologis, verbo Dei, ἐγγράφω, ἀγράφῳ, variis Bibliorum exemplaribus, Fontium Hebræorum integritate, Scripturæ Accidentibus, partibus & diſtinctionibus, ſenſu & commentariis: de Thargumim ſeu Paraphraſibus Chaldaicis, Syriacis, Arabicis, Perſicis, Samaritanis, Græcis & Latinis: de Maſora & Kabbala, de ſingulorum V. T. librorum Canonicorum & Apocryphorum authoritate in genere, & de Lege, Prophetis & Prophetiis in ſpecie, breviter & nervosè referatur. Quantum hic liber contulerit ad literaturæ Philologicæ incrementum, quamque paſſim vivida ingenia ad capeſſenda hæc
ſtudia

ſtudia excitaverit, verbis explicari non poteſt. In propatulo ſunt de eo Virorum doctiſſimorum teſtimonia, quorum Hottingerum pœnitere minimè debuit. Anno ſeculi currentis quinquageſimo primo exorſus eſt telam operis non mole minùs quàm argumento & tractatione illuſtris, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ N.T. Sceleton initio formaverat, quod ſtudioſæ juventutis, cui ad hæc ſtudia officii impoſiti neceſſitate præire debuit, commodis ſerviret, & nobiliſſimi ſtudii utcunque ſitim incenderet. Procedente tempore crevit opus ſub manu & prælo, ita ut vix quinque partibus Hiſtoriam N.T. ad Reformationis usque tempora deduceret. Et in ipſa Reformationis hiſtoria deſcribenda, quam decreverat usque abſtirpe, & primis, quod ajunt, radicibus exquirere, & ad metam usque non perfunctoriè, ſed cum ſingulari cura & ſtudio producere; quatuor tomos, quorum ipſe hic, qui nunc editur, poſtremus eſt, conſumpſit: conſumpturus plures adhuc, niſi vitæ ſtamina fato ei præmaturo abrupta eſſent. Nempe in hoc argumento ita inſtructus erat documentis authenticis, ut adfirmare poſſim, neminem cum eo paria facturum. A longo enim tempore princeps hæc ei cura fuit,

(margin, beside "Anno ſeculi"): 1651.

ut Reformatorum omnia monumenta αὐτόγραφα colligeret, & quæ hinc inde ſparſa delituerunt cimelia, ſive prece ſive pretio ſibi compararet. Teſtis eſt Bibliotheca illa ſplendidiſſima, & tot elephantina, quæ in ea aſſervantur Epiſtolarum ἀνεκδότων volumina. Atque his præſidiis inſtructus Reformationis hiſtoriam omnibus numeris conſummatiſſimam poſteritati tradere nullo negotio, ſi Deo cordi fuiſſet ejus uſuram Eccleſiæ longiorem concedere, potuiſſet. Spes nihilominus ſupereſt integra, quandoque ea, quæ deſiderantur, ſimili methodo ex iisdem illis, quæ parata ſunt, ſubſidiis edi, & ad calcem feliciter perduci poſſe. Cæterum integrum illud opus tantò majori laude & prædicatione dignum eſt, quantò & methodi facilitate ac præſtantia, & copia rerum, quarum plurimæ parum antehac tritæ & vulgatæ fuerunt, & multiplici uſu magis eminet. Nam Judæorum & Muhammedanorum hiſtoriam, quam ille per ſingula ſecula explicatam dedit, quotusquisque ante ipſum attigit? Nihil dicam de arcanis Gingiſchaniſmi, quæ ille authore potiſſimum Ahmede Arabſchiade aperuit & recluſit. Quàm verò Eccleſiæ veræ ὕπαρξιν in mediis perſecutionum flammis, & florentiſſimo Anti-Chri-

Anti-Chriſti regno accuratè pandit? Quàm ſuperſtitionum in Eccleſia ortum,& invaleſcentium incrementa ſingulis quæque temporibus incluſa feliciter expoſuit? Neque ad ejus operis contumeliam pertinet, quòd reperti ſunt, qui œſtro malevolentiæ perciti immaniſſimis illud probris proſcindere, & ipſum authorem libris στηλιτευτικοῖς maculare & ludos facere ſuſtinuerint. Quorum in numerum refero inprimis Labbeum Lojolitam miſerum & rancidum, nec non moroſum illum & triſtem Senecionem Chium, Allatium, qui vel ſolo illo libro contra Hottingerum furiis inſpirantibus & mentem ac calamum flectentibus ſcripto, apud bonos omnes cognomen Leonis conturbavit ac decoxit, & Canis plusquam Epirotici jure meritóque obtinuit. Quæ enim, malùm, hæc feralis inſania eſt, quis furor, quæ canina rabies, leviter ſibi contradicentem, & contradictionem argumentis talibus, quibus ſi error infuiſſet, hominis tamen non pecoris eum fuiſſe apparuerat, munientem, non æquo animo tolerare, non fomentis, malagmatis & lenibus remediis curare, ſed probris veluti de plauſtro congeſtis non cumulare ſed obruere, & eidem convitia ac maledicta atrociſſima non modio nec

trimodio, ſed toto horreo admetiri? Quæ obſcœnitas ad nomen ita alludere, ut caſtæ aures & purus animus abhorreat? Canem hæc, non Leonem generoſum, non hominem, nedum Chriſtianum obolent. Fuerit Allatius, ille Gigantum frater, paulò in Græcorum, inprimis eorum, quæ hactenus inedita nobis fortuna invidet, monumentis verſatior. Habuerit ſenex ingenium ad corrumpendum & detorquendum, ad dolos ac fallacias inſtruendum, ad paraſitandum denique ſubactius. Hæc enim ſola laus ipſi propria & eximia eſſe poteſt. Quanquam hominem in Græcia natum, Græcum idioma calluiſſe paulò exactiùs, mediocri in laude ponendum mihi videtur. Sed fuerint hæc, quæ dixi, in eo ſumma. Quo pacto ille aſſurget ad gloriam Hottingeri, qui, præterquam quòd veritatis & Orthodoxiæ ſtudio ductus ſub ſignis Chriſti militavit, etiam excelluit non in vernaculo ſibi idiomate, ſed in Hebraico, Chaldaico, Syriaco Arabico, Coptico, Perſico, in quibus ſingulis Allatius non tantùm nihil vidit, ſed Talpa Tireſiâ coecior fuit? Olim Chiis in ſenatu Attico data eſt licentia vomendi. Credidi igitur lecto Allatii Chii libro, quo tot convitia in Hottingerum noſtrum non jactait ſed

vo-

vomuit, gentis ſuæ antiqua licentia eum uti voluiſſe. Sed de Philippi Labbei Virgidemia quid dicam? Hoc unum nempe, authorem ejus Lojolitam fuiſſe, adſuetum cum inſanientibus furere. Criminatur, bardos heterodoxos Hottingerum tam ridiculum Hiſtoricum, craſſo ſub aëre natum, magnis ſtipendiis auctoratū adverſus Eccleſiam Catholicam conduxiſſe. Ita intemperanter homo ille tum Eccleſiam, tum ſolum noſtrum patrium, tum innocentem aëra ferit ac lacerat, ut Hottingero modò væ faciat. Sed verò qui illi bardi Heterodoxi, & quæ illa Eccleſia Chatholica, adverſus quam conductus magnis ſti ſtipendiis Hottingerus? Conſtat Hottingeri ſtipendium publicum, cùm ad Hiſtoriam ſcribendam Eccleſiaſticam appelleret animum, ne uno quidem teruncio redditum auctius eſſe. Neque enim mercede propoſita noſtri ad veritatis patrocinium & religionis Orthodoxæ defenſionem adduci ſe patiuntur, ſed ſolius bonæ conſcientiæ pretio, & in publicum bene merendi ſtudio. Pietatem & religionem quæſtui habere eorum eſt, qui adorant beſtiam, & ejus characterem ſeu ſignaturam recipiunt. Neque Helvetii, quos craſſo ſub aëre natos beatus ille & χαριέντων χαριέστα-

 χαριέστα-

ἐιέσαλος bacchatur, adeò obtuſa geſtamus pectora, quin craſſas illas & plus quam Cimmerias Papatus tenebras per gratiam Dei agnoſcere, & eodem adjuvante depellere, Labbeo, omnibúsque Lojolitis & aliis Papæ mancipiis in iis miſerè adhuc & exitiabiliter palpantibus & circumactis, potuerimus. Anacharſis Scytha, & Democritus Abderita exemplo fuerunt,

> Magnos poſſe viros & magna exempla daturos
> Vervecum in patria craſsóque ſub aëre naſci.

Sed quid Labbeo iraſcor amplius? Habuit Hottingerus, cur in triumphis duceret, quòd Lojolita, cujus ſectæ nihil inauſum intemeratúmve, cum impeteret. Si omnino mittendus fuit livori ſanguis, quidnî paratus eſſet latus apertum dare potiùs id genus hominibus malevolis & publici odii piacularibus victimis, quàm quibusvis aliis? Accedit, quòd Labbeus ille eam ſibi erga doctos legem odii dixit, ut ne ſuorum quidem famæ parcere decrêrit. Nam Miræo etiam & Halloſio quamvis Jeſuitæ dicam impingere, & ſtigmata inurere auſus eſt. Quo argumento Hottingerum ſolatus eſt Pontificiorum licèt partibus addictus Vir quidam magnus, & illuſtris litera-

rum Mœcenas. Haud diſſimili multum æſtu calumniandi contra Hottingerum incaluit Abrahamus Ecchellenſis Maronita, in Gymnaſio Romano Arabicæ Linguæ Profeſſor, qui nidore Pontificiæ culinæ allectus facilè induci potuit, ut in gratiam Romani Pontificis multa de Orientalium Eccleſiarum, inprimis Syriacarum & Arabicarum cum Pontificia conſenſu ſplendidè mentiretur, uti in ſuis ad Catalogum librorum Chaldæorum Hebed Jeſu notis, alibiq; ipſum feciſſe liquet. Idem ab Allatio illo ἀγχαλίνῳ excitus temperare non potuit, quin rerum inani tumore, & verborum vaniſſimo ſtrepitu Hottingero inſultaret, & multa adverſus eum inclementer diceret. Qui haud dubiè eum vindicem ſuæ exiſtimationis, & multò magis veritatis ſatis acrem & ſibi gravem paſſurus fuiſſet, ſi vel per negotia, cum quibus crebrò influentibus continue ei certandum fuit, hactenus integrum fuiſſet, vel mors præmatura intentionem ipſius non abrupiſſet. Sed exorientur, ſpero, & caput exerent viri cordati & docti, qui inflatis illis & criſtas erigentibus aulæ Romanæ paraſitis, quos Pontificii reliquis omnibus, quibus antehac innitebantur, præſidiis exuti & nudati, ad novum hoc armorum & certan-

di genus repræſentandum conduxerunt, os illud effrene & λαλοῦν τὰ ὑπέρογκα, obthurabunt, eoſdémque ad ἐχεμυθίαν redigent. Qua in re ille ipſe vir doctiſſimus Elias Vejelius, quem Allatius invidioſo nomine Juvenis Ulmenſis deprimere conatus eſt, quaſi videlicet juvenes ſenum inſipientiam arguentes poſtponendi & negligendi eſſent; operam adeò non aſpernandam navavit, ut jam liceat ἐκ τοῦ κρασπέδου τὸ ὕφασμα γνώσκειν. Et optandum ſeriò eſt, Evangelicis hanc curam animo inſitam & altè infixam eſſe, ut Orientalium Eccleſiarum ſtatum paulò penitiùs & domi cognoſcere, & earum doctrinam cum dogmatibus Occidentalium accuratâ συμβιβάσει contendere quibuslibet modis poſſint, ne filii Seculi reperiantur φρονιμώτεροι ὑπὲρ τοὺς υἱοὺς τοῦ φωτός. Sed è diverticulo, in quo nos adverſariorum Hottingeri inſolentia continuit, in viam redeamus. Eodem, quo Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ ſcribendæ initium fecit, anno, edidit *Hiſtoriam Orientalem*. Quia enim Orientalium, Arabum cumprimis Hiſtoriæ, res geſtæ, dogmata à noſtratibus hactenus parciùs & incertiùs, ex itinerariis, ut plurimùm depromta, innotuerunt, univerſali verò Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ pro materiæ ubertate inſeri

omnia

omnia non potuerunt, juſtiori aliquo & pleniori opere id ſibi exequendum putavit. Egit autem eo in libro de Muhammediſmo, ejúsque cauſis tum procreantibus, tum conſervantibus, inprimis Muhammede, ejus parentibus, majoribus, patria, navitate, educatione, pſeudoprophetia, æmulis, dogmatibus, Hegira, præliis, ſucceſſoribus, morte: de Saraceniſmo, ſeu religione veterum Arabum: de Chaldaiſmo, ſeu ſuperſtitione veterum Nabatæorum, Chaldæorum, Charranæorum: de ſtatu Chriſtianorum & Judæorum tempore orti Muhammediſmi: de variis inter ipſos Muhamedanos circa Religionis dogmata & adminiſtrationem ſententiis, ſchiſmatis & hæreſibus excitatis. Quibus omnibus pleniorem addidit illuſtrationem Taarich Bene Adam, quâ ex ipſis Arabum ſcriptis, vita & res geſtæ Prophetarum, Patriarcharum, quorundam etiam Apoſtolorum, Regum Perſiæ, aliorúmque ab Adamo ad Muhammedis uſque natales in orbe degentium & imperantium, explicantur. Cæterùm opus illud, quâ cœptum erat methodo, continuare decreverat. Sed alia inciderunt, quæ curæ huic intercederent. Ne tamen in abſtruſiori hac Orientalium Hiſtoria & Oceano quodam

neque malum, neque lentum fuit, cui iſthoc officiorum erga alios genere nihil gratius aut jucundius fuit. Verùm hujus rei mentio denuò inferiùs incidet, ubi eos, quibuscum commercium literarium ſuſtinuit, attingemus. Eodem anno præter Hiſtoriæ Eccleeaſticæ partem tertiam, emiſit Analecta Hiſtorico Theologica, quibus argumentum fecit de *neceſſitate Reformationis ſuperiori Seculo inſtituta*; *de Heptaplis Pariſienſibus ſeu Bibliis Regiis*; *de Jubilæo Judaico, Chriſtiano & Pontificio*; *de Terræ motu ex mente Hebræorum & Arabum*; *de uſu Linguæ Hebraicæ contra Pontificios & Anabaptiſtas*; *de uſu Linguæ Arabicæ in Theologia, Medicina, Iuriſprudentia, Philoſophia & Philologia*; *de lectione Patrum*; *de uſu denique Patrum*. Addidit ſub finem *Cyrilli, Patriarchæ Conſtantinopolitani Confeſſionem*, Scripturæ & Patrum teſtimoniis veſtitam: necnon ejusdem vitam, ſcripta & martyrium. Succeſſit Ana-
1654. lectis his ſequente anno Diſſertationum miſcellanearum πεντὰς, *de abuſu Patrum*, *de ſcriptis Eccleſiaſticis ſuppoſititiis*; *de Philoſophia Hiſtorica*. Quibus acceſſit *Irenicum Helveticum & methodus legendi Hiſtorias Helveticas*. ſ Atque hîc præterire non poſſum, Hottingerum cùm omne genus antiquitatibus ruſpandis fuiſſe addictiſſimum, tum maximo

ximo ſtudio in Antiquitates patrias erude- randas aut explicandas incubuiſſe; nec levi nec obſcuro indicio ſuæ erga patriam pietatis. Hinc quoties caſus dubius ingrueret, & abſtruſum aliquid ex antiquitatibus eruendum domeſticis incideret, ipſius limina prudentiſſimi quique inquirendi gratia ſalutavere, quos ille, ut Ennii verbis utar, ope ſua ex incertis certos compoteſque conſilii dimittebat, ut ne res temere tractarent turbidas. Secutus in eo eſt amplexanda veſtigia Bullingeri, & Simleri noſtri, quorum utérque incredibili induſtria res in patria geſtas, duraturis ad memoriam omnem ſcriptis complecti, & lucem iis eximiam fœnerari, maximo poſteritatis commodo ſtuduit. Eodem anno Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ partem quartam de carceribus ſuis miſit. Sequenti veró præ- 1655.
ter ejuſdem Hiſtoriæ partem quintam edidit Juris Hebræorum leges 261. juxta νομοθεσίας Moſaicæ ordinem atque ſeriem digeſtas, & ad Judæorum mentem ductu R. Levi Barcelonitæ, indicato cujuslibet præcepti fundamento, materia, ſubjecto, fine, accidentibus, transgreſſoris pœnas, propoſitas. Quæ omnia ita pertractavit, ut non Theologiæ tantùm & Linguæ Hebreæ, ſed ipſis etiam Juris ſtudioſis inſignem uſum

uſum præſtare poſſent. Dolendum verò magnopere eſt, opus illud, quod affectum adeò gravibus & prudentibus viris placere potuit, perfici & ad metas provehi non potuiſſe. Verùm tot nexibus, tot quaſi catenis majus indies occupationum ejus agmen extendebatur, ut negligenda multa eſſent magno uſui cæteroquin noſcentibus futura. In eundem annum Heidelbergenſis vocatio incidit. De ea privatim primùm cum eo egerat Vir inſignis Daniel Toſſanus, literis ad ipſum Kalendis Maij exaratis, quibus ſignificationem edidit voluntatis Sereniſſimi Electoris, qui inter immenſam curarum illuſtrium molem illam de accitu ad inſtaurandam Academiam Virorum præſtantium non poſtremo loco habuit. Anxia deliberatio diu ſolicitos tenuit Scholæ Tigurinæ Proceres, utrum Virum ſcholæ Patriæ apprimè utilem dimitti conduceret. Verùm cùm decimo quinto Junij ipſius Sereniſſimi Electoris literæ ad Ampliſſimum Reipubl. Tigurinæ Senatum ſcriptæ, Hottingerum tres præter propter annos Academiæ ſuæ ad exornandam Veteris Teſtamenti, & Orientalium Linguarum Profeſſionem, mutuò concedi, data fide poſtliminij expeterent: prævaluit ſtudium gratificandi erga Principem, cui om-

nia

nia obſequia & venerantium officia deberi nemini dubium fuit. Sic igitur decimo tertio Julij Tiguro omnium bonorum lætis ominibus eum proſequentibus, ſolvit, & Baſileam uſque cùm progreſſus eſſet, Doctoris titulum & gradum accepturus, breve ad tempus ſubſtitit. Antea quidem obfirmaverat titulum eum non ambire, reveritus exempla majorum noſtrorum, apud quos illa conſuetudo jam pridem obſoleverat. Verùm curatiſſimis precibus amicorum, neceſſitati præſenti veniam orantium, ultro ceſſit. Non improbârunt ſanè Majores noſtri, ſanctiſſimi & doctiſſimi Viri, præmia & honores, qui his meritò tribuuntur, qui magnos in ſtudiis progreſſus fecerunt; ſed veros honores non in ſplendore ſolo titulorum, verùm in conſcientia virtutis & optimorum quorúmque judicijs reponentes, titulos inanes & pretio emtos ridebant, reprehenſo ſimul veterum more, quo Romanæ Eccleſiæ omnes in his gradibus capeſſendis juramento obſtringebantur. Nunc ſalutaribus legibus in Reformatis Academiis proviſum eſt, ut ne incpti & indigni honores adipiſcantur, & qui ad dignationem hanc ſummam perveniunt, ſoli veritati in verbo Dei revelatæ & in confeſſionibus orthodoxis

repe-

repetitæ ſacramento dicant. Certus igitur jam obſecundare præſenti neceſſitati, & præmiſſa præliminari inter Buxtorfium, Wettſteinium, Grynæum, Theologos Baſileenſes clariſſimos, & Hottingerum συζητήσει, quæ examinis fungebatur vicem, die viceſima prima de duobus primariis fidei Chriſtianæ articulis, Scriptura ſacra & Gratuita peccatoris per Chriſtum Juſtificatione, publicam pro more velitationem ſuſtinuit, exercentibus ipſum Georgio Crocio & Kleppero Haſſis, Wolzogenio Nobili Auſtriaco; nec non Luca Gernlero & Werenfelſio, Baſileenſibus tum Miniſtris, qui ſinguli hodiéque ſuperſtites Eccleſiam Chriſti ſuo quíque lege gnaviter ædificant. In ea exercitatione, quæ non tam ad explorandum eum, qui ſat amplum jam ſuæ famæ & πανσοφίας theatrum habuit, quàm ad colendum priſcum probúmque morem inſtituta erat, omnium facilè applauſum meruit, habuítque. Itaque die viceſimo ſexto Julij, poſtquam de Jubilæo orationem exquiſitam ad ſpectatiſſimam omnegenus hominum coronam dixit[f], Johannes Buxtorfius, ille Hebraizantium noſtro Seculo Phœnix delectus agonothetes, meritiſſimos ei honores inter ſecunda gratantium omina, & ſerias votorum nuncupa-

cupationes contulit. Certatum dein erga eum eſt ſtudiis tum aliorum, tum Ampliſſimi Senatus Baſileenſis, cujus publicis expenſis ſumptuoſum convivium, raro hactenus exemplo, celebratum eſt. Viceſimo octavo poſt die iter ſuum, comite gratiſſimo & amiciſſimo, Rodolpho Wettſteinio, V. Cl. proſequi perrexit, & die primo Auguſti feliciter confecit. Adventus ejus cùm Sereniſſimo Electori, tum Academiæ Profeſſoribus, & toti adeò civitati lætus extitit. Profeſſionem porro ſibi demandatam die decimo ſexto Auguſti, Oratione Inaugurali de Scripturæ & Linguarum Orientalium ante Reformationem contemtu, auſpicatus eſt. Lectionibus aliquot iſagogicis præmiſſis, cœpit commentari in Geneſin & Pſalmos. Hoc ſibi penſum ordinarium præfixit, cui deinceps, quoad Heidelbergæ docuit, conſtanter inhæſit. Sed & diſputationes ſic ſatis frequentes, aliaque ejusmodi exercitia publica inſtituit, quibus Magnatum, qui fortè intereſſe dignati ſunt, ingenia delectare, aliorum expolire adnixus eſt. Eodem, quo novam hancce provinciam aggreſſus eſt, añō, aliud etiam munus in ejus manus conſignatum eſt, Ephoria videlicet Collegii ſa-

d pientiæ

pientiæ, quod Sereniſſimus Elector alliciendis Theologiæ Studioſis efficax remedium, aperiendum duxit. Hinc mirus mox ſecutus eſt Studioſorum confluxus. Neque ſola ei inſpectio & inſtitutio, ſed & Oeconomia commiſſa eſt, quam pari fide, vigilantia & ſucceſſu adminiſtravit. Acceſſit paulò poſt nova provincia, Eccleſiaſtici nimirum Senatoris, uti vocant, non minùs negotiorum varietate & curarum pondere oneroſa. Hiſce publicis muneribus diſtrictus nihil omnino reliqui fecit, ut Deo & Principi fidem ſuam veris documentis probaret, & quæſitam domi gloriam extra patriæ limen non perderet, ſed in majus extolleret. Cúmque multi timerent, ne eximia, quæ affecta domi habebat opera, Heidelbergæ ſi non in ſpongiam incumberent, ſaltem ob typographiæ Orientalis defectum multos in annos premerentur, & hoc nomine Vir magnus ex Belgio, Gisbertus Voëtius, ei ſeriò aures vellicaret, curæ habuit, ut typographiam Orientalibus ſuis conatibus obſtetricaturã Heidelbergæ inſtrueret. Quod brevi ſucceſſit.
1656. Anno ſequente quinquageſimo ſexto converſo poteſtatis Academicæ orbe, ad ipſum ejusdem gubernacula invitum, & honoris illius ante expectatum ſuperventu anxium

xium, devoluta ſunt. Hanc etiam adminiſtrationem tantò difficiliorem, quantò ille harum rerum minori adhuc uſu novus incola valuit, Numine & ſecundo adflatu Deus proſperavit. Vidiſſes tum hominem, quem tot negotia prementia circumſtabant, quique adeò mutationem laboris inſtar refectionis habuit, mira dexteritate & promtitudine cum occupationibus illis non venientibus, ſed irruentibus paria facientem! Eo anno typis vulgavit *Collegium Sapientiæ Reſtitutum*, ſive Orationem Secularem de Collegio Sapientiæ, quod Heidelbergæ eſt. Addidit Orationi notas de Heidelbergenſis Academiæ origine, progreſſu, privilegiis. Sed & conſiliis de pace Reformatos inter & Lutheranos ſarcienda, à Sereniſſimo Principe, tum temporis ſaxum illud magna contentione volvente, implicitus, aliquot diſputationes Irenicas ad ventilandum propoſuit; non eo tamen eventu, quem calidis votis boni omnes præceperunt. Obſtabant eadem, quæ antehac, impedimenta, odia parum pia partium, & ingeniorum, quæ rixis haud ſecus quàm Chamæleon vento paſcuntur, ſcabies. Cæterùm veniet, veniet ille dies, quo potentior humana obſtinatione & refractariis odiis Dei gratia, voto-

rum nos noſtrorum damnabit, & ratio conſtabit tot laborum, quos pii hactenus & moderati utrarumq; partium viri, concordiæ hujus conciliandæ ſtudio ardentes exant-
1657. lârunt. Sequenti anno, depoſito Rectoratu, & redeunte, quamvis novo Decanatus, uti vocant, onere ſuſcepto, otio paulò benigniori, illas dulces ipſi ante omnia Orientales Muſas, quibus cum præcedente, año, quo alia omnia peragenda fuerunt, tantùm non divortium fecerat, denuò in contubernium ſuum admiſit. Natus hinc ei partus auſpicatus, *Smegma* nimirum *Orientale*, ſordibus, barbariſmo, contemtui præſertim Linguarum Orientalium oppoſitum. Capita Libri ſunt *de contemtu Linguæ & Scripturæ Sacræ ſuperioribus Seculis: de uſu Linguarum Hebraicæ, Chaldaicæ, Syriacæ, Arabicæ, Perſicæ, Æthiopicæ in genere, multiplici de Linguarum confuſione, earundémque in Eccleſia pretio: de uſu Linguarum Orientalium in tranſlatione Sacræ Scripturæ: De uſu Linguæ Syriacæ & Arabicæ in collatione Scripturæ Sacræ, inſtituto examine ex Deuteronomio Hexaplorum Pariſienſium: de uſu Linguæ Arabicæ in reſtituendis vocibus Hebræis, vel planè obſoletis, vel raró in contextu ſacro obviis: de uſu Ling. Orient. in Theologia Hiſtorica, ubi ordine Veteris Teſtamenti Hiſtoria proſopographica*

ca ex Hebræorum & Arabum. Patricidis cum cumprimis, Elmacini, & Annalium Samaritanorum ſcriptis ἀνεκδότοις ad Judicum uſque tempora pertexitur. Smegmati huic proximè ſecuto anno quinquageſimo octavo annexuit tum *Promptuarium*, ſive *Bibliothecam Orientalem*, exhibentem Catalogum, ſive centurias aliquot tam Authorum quàm Librorum Hebraicorum, Syriacorum, Arabicorum, Ægyptiacorum: addita mantiſſa Europæorum: tum *Grammaticam quatuor Linguarum, Hebraica, Chaldaica, Arabica, Syriaca Harmonicam*, ita perſpicuè inſtitutam, ut ad Linguam Hebraicam, tanquam matrem, cæterarum etiam, ceu filiarum, Linguarum accommodentur præcepta. Eo anno celebrata ſunt Francofurti Comitia Imperii Romani, quibus de Imperatore cooptando Principes Electores in medium conſultavére. Hottingerus igitur, jubente ita Sereniſſimo Principe, in ejusdem Comitatu Heidelbergâ Francofurtum conceſſit, ibique aliquot hebdomadarum moram nexuit. Pulcherrima hinc ei nata occaſio viros præcipuæ dignationis, quorum lætiſſimam ibi ſegetem, ſive dominos ſuos affectantium, ſive ſpectaculi causâ confluentium cernere fuit, compellandi, & eos inito literario fœdere ſibi pro-

1658.

 piùs

ϰιέσιϑ- bacchatur, adeò obtuſa geſtamus pectora, quin craſſas illas & plus quam Cimmerias Papatus tenebras per gratiam Dei agnoſcere, & eodem adjuvante depellere, Labbeo, omnibúsque Lojolitis & aliis Papæ mancipiis in iis miſerè adhuc & exitiabiliter palpantibus & circumactis, potuerimus. Anacharſis Scytha, & Democritus Abderita exemplo fuerunt,

Magnos poſſe viros & magna exempla daturos
Vervecum in patria craſsóque ſub aëre naſci.

Sed quid Labbeo iraſcor amplius? Habuit Hottingerus, cur in triumphis duceret, quòd Lojolita, cujus ſectæ nihil inauſum intemeratúmve, eum impeteret. Si omnino mittendus fuit livori ſanguis, quidnî paratus eſſet latus apertum dare potiùs id genus hominibus malevolis & publici odii piacularibus victimis, quàm quibusvis aliis? Accedit, quòd Labbeus ille eam ſibi erga doctos legem odii dixit, ut ne ſuorum quidem famæ parcere decrêrit. Nam Miræo etiam & Halloſio quamvis Jeſuitæ dicam impingere, & ſtigmata inurere auſus eſt. Quo argumento Hottingerum ſolatus eſt Pontificiorum licèt partibus addictus Vir quidam magnus, & illuſtris litera-

rum Mœcenas. Haud diſſimili multum æſtu calumniandi contra Hottingerum incaluit Abrahamus Ecchellenſis Maronita, in Gymnaſio Romano Arabicæ Linguæ Profeſſor, qui nidore Pontificiæ culinæ allectus facilè induci potuit, ut in gratiam Romani Pontificis multa de Orientalium Eccleſiarum, inprimis Syriacarum & Arabicarum cum Pontificia conſenſu ſplendidè mentiretur, uti in ſuis ad Catalogum librorum ChaldæorumHebed Jeſu notis, alibiq; ipſum feciſſe liquet. Idem ab Allatio illo ἀχαλίνῳ excitus temperare non potuit, quin rerum inani tumore, & verborum vaniſſimo ſtrepitu Hottingero inſultaret, & multa adverſus eum inclementer diceret. Qui haud dubiè eum vindicem ſuæ exiſtimationis,& multò magis veritatis ſatis acrem & ſibi gravem paſſurus fuiſſet, ſi vel per negotia, cum quibus crebrò influentibus continue ei certandum fuit,hactenus integrum fuiſſet,vel mors præmatura intentionem ipſius non abrupiſſet. Sed exorientur, ſpero, & caput exerent viri cordati & docti, qui inflatis illis & criſtas erigentibus aulæ Romanæ paraſitis, quos Pontificii reliquis omnibus, quibus antehac innitebantur, præſidiis exuti & nudati,ad novum hoc armorum & certan-

di genus repræſentandum conduxerunt, os illud effrene & λαλοῦν τὰ ὑπέρογκα, obthurabunt, eoſdémque ad ἐχεμυθίαν redigent. Qua in re ille ipſe vir doctiſſimus Elias Vejelius, quem Allatius invidioſo nomine Juvenis Ulmenſis deprimere conatus eſt, quaſi videlicet juvenes ſenum inſipientiam arguentes poſtponendi & negligendi eſſent; operam adeò non aſpernandam navavit, ut jam liceat ἐκ τοῦ κρασπέδου τὸ ὕφασμα γινώσκειν. Et optandum ſeriò eſt, Evangelicis hanc curam animo inſitam & altè infixam eſſe, ut Orientalium Eccleſiarum ſtatum paulò penitiùs & domi cognoſcere, & earum doctrinam cum dogmatibus Occidentalium accuratâ συμβιβάσει contendere quibuslibet modis poſſint, ne filii Seculi reperiantur φρονιμώτεροι ὑπὲρ τοὺς υἱοὺς τοῦ φωτός. Sed è diverticulo, in quo nos adverſariorum Hottingeri inſolentia continuit, in viam redeamus. Eodem, quo Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ ſcribendæ initium fecit, anno, edidit *Hiſtoriam Orientalem*. Quia enim Orientalium, Arabum cumprimis Hiſtoriæ, res geſtæ, dogmata à noſtratibus hactenus parciùs & incertiùs, ex itinerariis, ut plurimùm depromta, innotuerunt, univerſali verò Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ pro materiæ ubertate inſeri

omnia

omnia non potuerunt, juſtiori aliquo & pleniori opere id ſibi exequendum putavit. Egit autem eo in libro de Muhammediſmo, ejúsque cauſis tum procreantibus, tum conſervantibus, inprimis Muhammede, ejus parentibus, majoribus, patria, navitate, educatione, pſeudoprophetia, æmulis, dogmatibus, Hegira, præliis, ſucceſſoribus, morte; de Saraceniſmo, ſeu religione veterum Arabum: de Chaldaiſmo, ſeu ſuperſtitione veterum Nabatæorum, Chaldæorum, Charranæorum: de ſtatu Chriſtianorum & Judæorum tempore orti Muhammediſmi: de variis inter ipſos Muhamedanos circa Religionis dogmata & adminiſtrationem ſententiis, ſchiſmatis & hæreſibus excitatis. Quibus omnibus pleniorem addidit illuſtrationem Taarich Bene Adam, quâ ex ipſis Arabum ſcriptis, vita & res geſtæ Prophetarum, Patriarcharum, quorundam etiam Apoſtolorum, Regum Perſiæ, aliorúmque ab Adamo ad Muhammedis uſque natales in orbe degentium & imperantium, explicantur. Cæterùm opus illud, quâ cœptum erat methodo, continuare decreverat. Sed alia inciderunt, quæ curæ huic intercederent. Ne tamen in abſtruſiori hac Orientalium Hiſtoria & Oceano quodam

plane Delio natatore deſtituerentur diſ-
cendi cupidis. compendium eorum, quæ
diductiùs perſequi initiò certus erat, pro-
poſuit tum in compendio Theatri Orienta
lis, tum in Topographia Eccleſiaſtica. Hiſto-
riam hanc Orientalē Viri doctiſſimi utroq
pollice probârunt. Extant de ea judicia
tum ſcripta tum edita ſummorum viro-
rum, quæ librum haud publici ſaporis, nec
infimæ notæ fuiſſe palam & luculenter te-
1652. ſtantur. Sequente anno typis conſcriben
dam curavit Grammaticam Chaldaicæ &
Syriacæ Linguæ harmonicam. Obſervave
rat nempe, Orientalium Linguarum diſ-
cendarum amore & cupiditate ita jam fla-
grare ſtudioſorum animos, ut ſubſidia ejus-
modi ultrò expeterent & flagitarent.
Quamobrem ut juſtiſſimis deſideriis obſe
queretur, hunc in ſe laborem ſuſcipere
1653. non eſt gravatus. Anno Seculi quinqua-
geſimo tertio Artium Rhetoro-Logica-
rum Ordinarius, & Theologiæ Vet. Teſt.
atque controverſiarum extra ordinem
Profeſſor deſignatus, ſimúlque Canonico-
rum ordini adſcriptus eſt. Conjunctam
cum ea Profeſſione Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ
& Linguarum Orientalium Profeſſio-
nem retinuit. Fuit patientia laboris ſupra
fidem eximia, qui proinde tot onera hu-
meris

meris ejus impoſita nec abnuit, nec gravia ſibi & moleſta reputavit. Accedit, quòd non publicis tantùm his, quibus diſtrictus fuit, curationibus vigilantiſſimè vacavit, & quotidie calamum in exarandis, quos in publicum mitteret, libris exercuit: Verùm etiam amicorum, peregrinorum & hoſpitum, qui ipſius videndi & audiendi gratiâ huc commeârunt, deſideriis ſatisfecit. Erat enim ipſius domus plena ſemper & frequens concurſu ſplendidiſſimorum hominum. Quoties aliquid abditum quærebatur, ille theſaurus, ille delubrum adibatur Ex omnibus, quæ ei obvenerunt, negotiis miro vigore & induſtria ſe explicavit. Neque etiam deficiebat ad ſubita extemporali facultate. Veniebant omnium Ordinum, omnium ætatum viri: percontabantur de arduis, de dubiis quæſtionibus, quarum ille pondus præſenti ſemper animo excepit. Quid moleſtiam epiſtolarum & ſcribendi ad amicos hîc recenſeam; quo nonnunquam ſolo perire ſibi diem ſæpè querebatur? Quotidie aut Galli, aut Germani, aut Belgæ, aut Angli, aut Sueci, aut Dani, aut Itali ad ipſum Epiſtolas miſitavêre de literis, de caſibus Eccleſiæ, de Civilium rerum momentis, de aliis, quibus ille graviter & promtiſſimè reſpondit. Nam nomen

neque

neque malum, neque lentum fuit, cui iſthoc officiorum erga alios genere nihil gratius aut jucundius fuit. Verùm hujus rei mentio denuò inferiùs incidet, ubi eos, quibuscum commercium literarium ſuſtinuit, attingemus. Eodem anno præter Hiſtoriæ Eccleeaſticæ partem tertiam, emiſit Analecta Hiſtorico Theologica, quibus argumentum fecit de *neceſſitate Reformationis ſuperiori Seculo inſtituta*; *de Heptaplis Pariſienſibus ſeu Bibliis Regiis*; *de Iubilæo Iudaico, Chriſtiano & Pontificio*; *de Terræ motu ex mente Hebræorum & Arabum*; *de uſu Linguæ Hebraicæ contra Pontificios & Anabaptiſtas*; *de uſu Linguæ Arabicæ in Theologia, Medicina, Iurisprudentia, Philoſophia & Philologia*; *de lectione Patrum*; *de uſu denique Patrum*. Addidit ſub finem *Cyrilli, Patriarchæ Conſtantinopolitani Confeſſionem*, Scripturæ & Patrum teſtimoniis veſtitam: necnon ejusdem vitam, ſcripta & martyrium.
1654. Succeſſit Analectis his ſequente anno Diſſertationum miſcellanearum πεντὰς, *de abuſu Patrum*, *de ſcriptis Eccleſiaſticis ſuppoſititiis*; *de Philoſophia Hiſtorica*. Quibus acceſſit *Irenicum Helveticum & methodus legendi Hiſtorias Helveticas*. ¶ Atque hîc præterire non poſſum, Hottingerum cùm omne genus antiquitatibus ruſpandis fuiſſe addictiſſimum, tum maximo

ximo ſtudio in Antiquitates patrias erude-
randas aut explicandas incubuiſſe; nec le-
vi nec obſcuro indicio ſuæ erga patriam
pietatis. Hinc quoties caſus dubius ingru-
eret, & abſtruſum aliquid ex antiquitati-
bus eruendum domeſticis incideret, ipſius
limina prudentiſſimi quique inquirendi
gratia ſalutavere, quos ille, ut Ennii ver-
bis utar, ope ſua ex incertis certos compo-
téſque conſilii dimittebat, ut ne res teme-
rè tractarent turbidas. Secutus in eo eſt
amplexanda veſtigia Bullingeri, & Simleri
noſtri, quorum utérque incredibili iudu-
ſtria res in patria geſtas, duraturis ad me-
moriam omnem ſcriptis complecti, & lu-
cem iis eximiam fœnerari, maximo poſte-
ritatis commodo ſtuduit. Eodem anno
Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ partem quartam de
carceribus ſuis miſit. Sequenti veró præ- 1655.
ter ejusdem Hiſtoriæ partem quintam e-
didit Juris Hebræorum leges 261. juxta
νομοθεσίας Moſaicæ ordinem atque ſeriem
digeſtas, & ad Judæorum mentem ductu
R. Levi Barcelonitæ, indicato cujuslibet
præcepti fundamento, materia, ſubjecto,
fine, accidentibus, transgreſſoris pœnas,
propoſitas. Quæ omnia ita pertractavit,
ut non Theologiæ tantùm & Linguæ He-
breæ, ſed ipſis etiam Juris ſtudioſis inſignem
uſum

uſum præſtare poſſent. Dolendum verò magnopere eſt, opus illud, quod affectum adeò gravibus & prudentibus viris placere potuit, perfici & ad metas provehi non potuiſſe. Verùm tot nexibus, tot quaſi catenis majus indies occupationum ejus agmen extendebatur, ut negligenda multa eſſent magno uſui cæteroquin noſcentibus futura. In eundem annum Heidelbergenſis vocatio incidit. De ea privatim primùm cum eo egerat Vir inſignis Daniel Toſſanus, literis ad ipſum Kalendis Maij exaratis, quibus ſignificationem edidit voluntatis Sereniſſimi Electoris, qui inter immenſam curarum illuſtrium molem illam de accitu ad inſtaurandam Academiam Virorum præſtantium non poſtremo loco habuit. Anxia deliberatio diu ſolicitos tenuit Scholæ Tigurinæ Proceres, utrum Virum ſcholæ Patriæ apprimè utilem dimitti conduceret. Verùm cùm decimo quinto Junij ipſius Sereniſſimi Electoris literæ ad Ampliſſimum Reipubl. Tigurinæ Senatum ſcriptæ, Hottingerum tres præter propter annos Academiæ ſuæ ad exornandam Veteris Teſtamenti, & Orientalium Linguarum Profeſſionem, mutuò concedi, data fide poſtliminij expeterent: prævaluit ſtudium gratificandi erga Principem, cui om-

nia obſequia & venerantium officia deberi nemini dubium fuit. Sic igitur decimo tertio Julij Tiguro omnium bonorum lætis ominibus eum proſequentibus, ſolvit, & Baſileam uſque cùm progreſſus eſſet, Doctoris titulum & gradum accepturus, breve ad tempus ſubſtitit. Antea quidem obfirmaverat titulum eum non ambire, reveritus exempla majorum noſtrorum, apud quos illa conſuetudo jam pridem obſoleverat. Verùm curatiſſimis precibus amicorum, neceſſitati præſenti veniam orantium, ultro ceſſit. Non improbârunt ſanè Majores noſtri, ſanctiſſimi & doctiſſimi Viri, præmia & honores, qui his meritò tribuuntur, qui magnos in ſtudiis progreſſus fecerunt; ſed veros honores non in ſplendore ſolo titulorum, verùm in conſcientia virtutis & optimorum quorúmque judicijs reponentes, titulos inanes & pretio emtos ridebant, reprehenſo ſimul veterum more, quo Romanæ Eccleſiæ omnes in his gradibus capeſſendis juramento obſtringebantur. Nunc ſalutaribus legibus in Reformatis Academiis proviſum eſt, ut ne incpti & indigni honores adipiſcantur, & qui ad dignationem hanc ſummam perveniunt, ſoli veritati in verbo Dei revelatæ & in confeſſionibus orthodoxis

repe-

repetitæ ſacramento dicant. Certus igitur jam obſecundare præſenti neceſſitati, & præmiſſa præliminari inter Buxtorfium, Wettſteinium, Grynæum, Theologos Baſileenſes clariſſimos, & Hottingerum συζητητοῦ, quæ examinis fungebatur vicem, die viceſima prima de duobus primariis fidei Chriſtianæ articulis, Scriptura ſacra & Gratuita peccatoris per Chriſtum Juſtificatione, publicam pro more velitationem ſuſtinuit, exercentibus ipſum Georgio Crocio & Kleppero Haſſis, Wolzogenio Nobili Auſtriaco; nec non Luca Gernlero & Werenfelſio, Baſileenſibus tum Miniſtris, qui ſinguli hodiéque ſuperſtites Eccleſiam Chriſti ſuo quíque lege gnaviter ædificant. In ea exercitatione, quæ non tam ad explorandum eum, qui ſat amplum jam ſuæ famæ & παιδομαθίας theatrum habuit, quàm ad colendum priſcum probúmque morem inſtituta erat, omnium facilè applauſum meruit, habuítque. Itaque die viceſimo ſexto Julij, poſtquam de Jubilæo orationem exquiſitam ad ſpectatiſſimam omnegenus hominum coronam dixit, Johannes Buxtorfius, ille Hebraizantium noſtro Seculo Phœnix delectus agonothetes, meritiſſimos ei honores inter ſecunda gratantium omina, & ſerias votorum nuncupa-

cupationes contulit. Certatum dein erga eumeſt ſtudiis tum aliorum, tum Ampliſſimi Senatus Baſileenſis, cujus publicis expenſis ſumptuoſum convivium, raro hactenus exemplo, celebratum eſt. Viceſimo octavo poſt die iter ſuum, comite gratiſſimo & amiciſſimo, Rodolpho Wettſteinio, V. Cl. proſequi perrexit, & die primo Auguſti feliciter confecit. Adventus ejus cùm Sereniſſimo Electori, tum Academiæ Profeſſoribus, & toti adeò civitati lætus extitit. Profeſſionem porro ſibi demandatam die decimo ſexto Auguſti, Oratione Inaugurali de Scripturæ & Linguarum Orientalium ante Reformationem contemtu, auſpicatus eſt. Lectionibus aliquot iſagogicis præmiſſis, cœpit commentari in Geneſin & Pſalmos. Hoc ſibi penſum ordinarium præfixit, cui deinceps, quoad Heidelbergæ docuit, conſtanter inhæſit. Sed & diſputationes ſic ſatis frequentes, aliáque ejusmodi exercitia publica inſtituit, quibus Magnatum, qui fortè intereſſe dignati ſunt, ingenia delectare, aliorum expolire adnixus eſt. Eodem, quo novam hancce provinciam aggreſſus eſt, año, aliud etiam munus in ejus manus conſignatum eſt, Ephoria videlicet Collegii ſa-

pientiæ, quod Sereniſſimus Elector alliciendis Theologiæ Studioſis efficax remedium, aperiendum duxit. Hinc mirus mox ſecutus eſt Studioſorum confluxus. Neque ſola ei inſpectio & inſtitutio, ſed & Oeconomia commiſſa eſt, quam pari fide, vigilantia & ſucceſſu adminiſtravit. Acceſſit paulò poſt nova provincia, Eccleſiaſtici nimirum Senatoris, uti vocant, non minùs negotiorum varietate & curarum pondere onerosa. Hiſce publicis muneribus diſtrictus nihil omninò reliqui fecit, ut Deo & Principi fidem ſuam veris documentis probaret, & quæſitam domi gloriam extra patriæ limen non perderet, ſed in majus extolleret. Cúmque multi timerent, ne eximia, quæ affecta domi habebat opera, Heidelbergæ ſi non in ſpongiam incumberent, ſaltem ob typographiæ Orientalis defectum multos in annos premerentur, & hoc nomine Vir magnus ex Belgio, Giſbertus Voëtius, ei ſeriò aures vellicaret, curæ habuit, ut typographiam Orientalibus ſuis conatibus obſtetricaturã Heidelbergæ inſtrueret. Quod brevi ſucceſſit.
1656. Anno ſequente quinquageſimo ſexto converſo poteſtatis Academicæ orbe, ad ipſum ejusdem gubernacula invitum, & honoris illius ante expectatum ſuperventu anxium

xium, devoluta ſunt. Hanc etiam adminiſtrationem tantò difficiliorem, quantò ille harum rerum minori adhuc uſu novus incola valuit, Numine & ſecundo adflatu Deus proſperavit. Vidiſſes tum hominem, quem tot negotia prementia circumſtabant, quique adeò mutationem laboris inſtar refectionis habuit, mira dexteritate & promtitudine cum occupationibus illis non venientibus, ſed irruentibus paria facientem! Eo anno typis vulgavit *Collegium Sapientiæ Reſtitutum*, ſive Orationem Secularem de Collegio Sapientiæ, quod Heidelbergæ eſt. Addidit Orationi notas de Heidelbergenſis Academiæ origine, progreſſu, privilegiis. Sed & conſiliis de pace Reformatos inter & Lutheranos ſarcienda, à Sereniſſimo Principe, tum temporis ſaxum illud magna contentione volvente, implicitus, aliquot diſputationes Irenicas ad ventilandum propoſuit; non eo tamen eventu, quem calidis votis boni omnes præceperunt. Obſtabant eadem, quæ antehac, impedimenta, odia parum pia partium, & ingeniorum, quæ rixis haud ſecus quàm Chamæleon vento paſcuntur, ſcabies. Cæterùm veniet, veniet ille dies, quo potentior humana obſtinatione & refractariis odiis Dei gratia, voto-

rum nos noſtrorum damnabit, & ratio conſtabit tot laborum, quos pii hactenus & moderati utrarumq; partium viri, concordiæ hujus conciliandæ ſtudio ardentes exant-
1657. lârunt. Sequenti anno, depoſito Rectoratu, & redeunte, quamvis novo Decanatus, uti vocant, onere ſuſcepto, otio paulò benigniori, illas dulces ipſi ante omnia Orientales Muſas, quibus cum præcedente, año, quo alia omnia peragenda fuerunt, tantùm non divortium fecerat, denuò in contubernium ſuum admiſit. Natus hinc ei partus auſpicatus, *Smegma* nimirum *Orientale*, ſordibus, barbariſmo, contemtui præſertim Linguarum Orientalium oppoſitum. Capita Libri ſunt *de contemtu Linguæ & Scripturæ Sacræ ſuperioribus Seculis: de uſu Linguarum Hebraicæ, Chaldaicæ, Syriacæ, Arabicæ, Perſicæ, Æthiopicæ in genere, multiplici de Linguarum confuſione, earundémque in Eccleſia pretio: de uſu Linguarum Orientalium in tranſlatione Sacræ Scripturæ: De uſu Linguæ Syriacæ & Arabicæ in collatione Scripturæ Sacræ, inſtituto examine ex Deuteronomio Hexaplorum Pariſienſium: de uſu Linguæ Arabicæ in reſtituendis vocibus Hebræis, vel planè obſoletis, vel raro in contextu ſacro obviis: de uſu Ling. Orient. in Theologia Hiſtorica, ubi ordine Veteris Teſtamenti Hiſtoria proſopographica*

ca ex Hebræorum & Arabum. Patricidis cum
cumprimis, Elmacini, & Annalium Samari-
tanorum ſcriptis ἀνεκδότοις ad Iudicum uſqne
tempora pertexitur. Smegmati huic proxi-
mè ſecuto anno quinquageſimo octavo an- 1658.
nexuit tum *Promptuarium*, ſive *Bibliothecam*
Orientalem, exhibentem Catalogum, ſive
centurias aliquot tam Authorum quàm
Librorum Hebraicorum, Syriacorum, A-
rabicorum, Ægyptiacorum: addita man-
tiſſa Europæorum: tum *Grammaticam qua-*
tuor Linguarum, Hebraicæ, Chaldaicæ, Arabi-
cæ, Syriacæ Harmonicam, ita perſpicuè inſti-
tutam, ut ad Linguam Hebraicam, tan-
quam matrem, cæterarum etiam, ceu filia-
rum, Linguarum accommodentur præ-
cepta. Eo anno celebrata ſunt Francofur-
ti Comitia Imperii Romani, quibus de Im-
peratore cooptando Principes Electores in
medium conſultavére. Hottingerus igitur,
jubente ita Sereniſſimo Principe, in ejus-
dem Comitatu Heidelbergâ Francofur-
tum conceſſit, ibíque aliquot hebdomoda-
rum moram nexuit. Pulcherrima hinc ei
nata occaſio viros præcipuæ dignationis,
quorum lætiſſimam ibi ſegetem, ſive do-
minos ſuos affectantium, ſive ſpectaculi
causâ confluentium cernere fuit, compel-
landi, & eos inito literario fœdere ſibi pro-

piùs adjungendi. Ad Cancellarii Hungarici Archiepiſcopi, in rebus Turcicis verſatiſſimi, notitiam aditum ei fecit Principis procuratio. Ex eo familiari colloquio multa ſe Turcicam Eccleſiam & Rempublicam, aliàque ejusmodi concernentia didiciſſe faſſus eſt. Cum Wellero Electoris Saxonici Eccleſiaſte de pace Eccleſiaſtica ſermones altiores miſcuit. Gratulatus autem ſibi imprimis eſt, quòd cum Jobo Ludolfo amicitiam uſque ad intimam familiaritatem in eo ſeceſſu excolere poſſet. Jobus Ludolfus enim, qui poſtea à Duce Saxonico Vinarienſi Erneſto ad conſilium de Republica dandum vocatus eſt, Æthiopum Habeſſinorum Linguæ & Hiſtoriæ tum civilis, tum Eccleſiaſticæ ſine exemplo callentiſſimus eſt, & vel eo nomine ſibi placere poteſt, quòd illi Virorum doctiſſimorum bigæ, Samueli Bocharto & Hottingero noſtro ad Linguæ & rerum Æthiopicarum adyta conantibus, inſtitutionis facem prætulit. Digreſſus à Ludolfo commercium cum eo literarium religiosè coluit. Nec defuit Ludolfus amicitiæ officiis. Præterquam enim quòd per literas ipſum docuit de variis, quæ ex illo anquiſiverat, ſive linguam Æthiopicam, ejus originem, mutationes, proprietates; ſive, ri-

tus

tus Habeſſinorum ſpectantibus:etiam ſubmiſit tum Syllogen Lexici Æthiopici, & ſupplementum Radicum Æthiopicarum, quæ maximo ipſi in concinnando Lexico Harmonico uſui fuiſſe conſtabat: tum confeſſionem fidei Claudii Regis Æthiopic ſcriptam Anno Chriſtiano MDLV. quam Æthiopico idiomate exaratam, Sereniſs. Elect. munus, Ludolpho Latinè faciendam & notis illuſtrandam transmiſerat. Agitata præterea inter eos ſunt ſecretiora conſilia de mittendis Principum authoritate & impenſis in Africã juvenibus uno vel duobus, in Orientalium idiomatibus & rebus paulò jam provectioribus, qui Africanarum, imprimis Æthiopicarum Eccleſiarum arcana paulò penitiùs indagarent, & novis monumentis ibi collectis copias noſtras augerent. Francofurti etiam cum Gentio Antiquitatũ Hebraicarum peritiſſimo, nec non Hundio Seniore, quem ſolitus eſt vocare Theologum magnum & realem, aliiſque, quos fortuna ipſi conciliavit, neceſſitate literaria junctus eſt. Adeò ille ſua illa feriarum curarum laxamenta ſupplevit non vitiis, uti plerique faciunt, ſed honeſtiſſima amicitiarum cum viris celebribus conglutinandarum occupatione. Heidelbergam reverſus, & circumacto jam trium annorum

 ſpa-

ſpatio, qui terminus Heidelbergenſi commorationi à Patriæ Proceribus fixus & definitus fuerat: de miſſione à Sereniſſimo Electore impetranda, & maturando ad conſtitutum reditu ſolicitus fuit. Cæterùm Sereniſſimus Princeps ſcriptis ad Tigurinum Senatum literis, uti Hottingeri uſuram Eccleſiæ & Academiæ Archipalatinæ commodis longiorem ne invideret, facilè cupita obtinuit. Cúmque paulò poſt Johannem Wirzium Theologiæ apud nos Profeſſorem, Virum ad unguem factum, mors ſubita abſtuliſſet, ita Hottingerus ejus in locum Tiguri votorum omnium deſtinatione ſuffectus fuit, ut ad obeundum tamen illud munus vicaria potiùs alterius opera uti, quàm Principis ingratiis eum domum ſolicitare Proceres decreverint.
1659. Annus quinquageſimus nonus proventu variarum Hottingeri lucubrationum dives & fœcundus fuit. Edidit enim *Cippos Hebraicos*, ſive Hebræorum tam veterum, quàm recentiorum, Tannæorum, Amoræorum, Rabbinorum monumenta, Hebraicè à Judæo quodam teſte oculato, tum intra, tum etiam extra terram ſanctam obſervata & conſcripta, ab ipſo verò Latinitate donata notisque illuſtrata. Adjunxit appendicem geminam, alteram de

variis

variis Orientis monumentis, menſuris & inſcriptionibus: de nummis Orientalium Hebræorum maximè & Arabum, alteram. Quàm fuerit liber ille ad palatum literati orbis, argumento eſt, quòd eo intra biennium diſtracto, neceſſum habuerit denuò typis mandare; quod ipſum non ſine lima in promtu, & cum fœnore quodam & auctario præſtitit. Libro, in quo copia & varietas rerum jucunda cum varietate certavit, pretium addidere limatiſſima doctorum judicia, quorum non pauca publicè extant. Sanè Illuſtris Baro Boineburgius, maximus ille ingeniorum fautor, quanti librum fecerit, literis ad eum datis teſtificatus eſt. Sed & Hermannus Conringius Vir ſummus, ſuum de eo libro & argumento judicium benigniſſimum in Epiſtola, quæ meritò lucem videt, expromſit. Poſt Cippos Hebraicos vulgavit *Primitiàs Heidelbergenſes*, ſive tomum diſputationum, à reſtituta Academia ab eo tam publicè, quàm privatim habitarum. Argumenta ſunt de mediis explicandæ Scripturæ Sacræ: de Reformationis cauſa efficiente, & materiali: de uſu Scriptorum Hebraicorum in Novo Teſtamento: De Pace Eccleſiica: de Sabbatho Judaico, Chriſtiano, Mariano, Muhammedico, Gentili: de ido-

lis Veteris Teſtamenti. Huic operi ſucceſſit κτίσις ἑξαήμερος, ſeu Hiſtoriæ Creationis Examen Theologico-Philologicum, ita inſtitutum, ut opera ſex dierum ex primo Geneſeos capite ſtrictim enarrentur, ſingulæ penè voces obſcuriores inprimis, & Emphaticæ quæſtionibus 164. eluciden-tur, & varios ad uſus accommodentur. Denique eodem anno publico donavit duas quæſtionum Philologico-Theologicarum centurias, de Theologia, Principiis fidei Chriſtianæ in genere, Verbo Dei, ejúsque cauſis, effectis, ſubjecto, adjunctis in ſpecie, diſputationibus triginta, in Collegio Sapientiæ diſcuſſas. Mirum videri meritò poſſit, homini in tam exercita & laborioſa ſtatione, & compedito tot occupationum nexibus, integrum fuiſſe continua ſcriptione utilitatibus publicis inſervire. Memorantem ſæpe audivimus, ſe, ut expeditiùs libros ſcriberet, uſum tum conſilio Fortii Ringelbergii, tum exemplo Magni Bullingeri noſtri; quorum ille in aureo de Ratione ſtudii libro, vinci poſſe ſcribendi tædium hoc modo prodidit, ſi librum Chalcographis offerat author, antequam ei vel manum admoverit, quò libro jam incepto Typographus ferventibus operis quotidie exigens chartas eum ob-

obtundat, & nolentem volentem ad ſcribendum impellat: hic tot negotiis circumventus, eò nonnunquam Typographorum induſtria adactus fuit, ut vix illi pagella operis urgentibus tradenda ſuperaret. Feliciter uti potuit hoc tum conſilio tum exemplo Hottingerus, cui tanquam abyſſo eruditionis & quamvis ſubitis parato, nunquam ejusmodi defuere merces, quas celeriter in dium extruderet. Verùm ſicut hoc conſilium ſalubre non eſt niſi vulgarem doctrinæ modum ſupergeſſis, adeóque haud facilè tentandum, imitandúmve: ita Typographorum nonnunquam ſive prudens circumſpectio tum authoris famæ, tum commodis ſuis caventium, ſive moroſitas quædam imitaturis intercedit. Eodem anno Hottingerus ad Sereniſſimum Ducem Wirtenbergicum Stutgardiam profectus eſt, à Republica Tigurina magna de publica re legatus. Atque hic celare non poſſum, quod in vulgus notum eſt, Hottingeri in actu rerum etiam civilium prudentiam & dexteritatem non ſemel emicuiſſe. Neque piguit Proceres ejusmodi, ubi conduceret, eum curationibus adhibere: non quòd deeſſent Viri prudentiſſimi, & multis experimentis clari, ſed quia Principibus & Magnati-

gnatibus,eum per cauſam ſtudiorū notum & favorabilem eſſe confiderent. Sequenti
1660. anno typis exſcribi curavit diſputationum Theologico-Philologicarū faſciculum, de reſurrectione mortuorum; de notis Eccleſiæ viſibilis; de translationibus Bibliorum in varias Linguas vernaculas, tam in Synagoga Judaica Phariſæorum, ſive Rabbanitarum, Karræorum, & Samaritanorum, quàm in Eccleſia Chriſtiana, Syrorum, Armenorum, Ægyptiorum, Arabum, Perſarum, Græcorum, Æthiopum, earúmque origine, virtutibus & vitiis; de nominibus Dei Orientalium, Hebræorum, Chaldæorum, Syrorum, Arabum, Samaritanorum, Æthiopum, Perſarum, &c quæ omnia ante hac Heidelbergæ publicè ventilanda expoſuerat. Edidit etiam Curſum Theologicum Methodo Altingiana expoſitum, adjunctâ oratione de Urim, Theologi ideam nobis exhibente, quàm præcedente anno dixerat, in ea ipſa ſolennitate, quâ mihi Steinfurtum ad Theologicam Profeſſionem avocato, & adid, jubentibus ita Gymnaſii Proceribus, quibus dicto audientem eſſe me conveniens erat, gradum Theologiæ expetente, ſummos honores in Facultate Theologica ultrò decretos contulit. Quo quidem

quidem mutuæ charitatis & meæ erga ipſum venerationis vinculo arctiùs indies adſtricto, extitit ſumma ipſum, quoad ſuperſtes agitavit, & me inter voluntatum animorúmque conſenſio, quam nunc morte ipſius longè triſtiſſima ſublatam non poſſum non acerbo & veriſſimo luctu proſequi. Adeò ille non ab ineunte tantùm ætate mea, hoc memoriæ Parentis mei, ipſi quoad vixit, amiciſſimi quaſi debitum munus exſoluturus, Patris quodamodo affectum mihi repræſentavit, ſtudiorum meorum fidus magiſter & formator: verùm etiam poſthac memor vinculi illius בין סמך ונסמך uti appellare memini, nihil reliqui fecit, ut nominis illius menſuram impleret. Utinam verò hiſce ego damnis defungens, & jucundiſſimo ſuaviſſimóque ſtudiorum meorum teſte ac patrono privatus, cum publicis illis longè gravioribus decidere poſſim! Verùm relictis in hoc mundi & miſeriarum cœno hoc unum reſtat, ut non tam defunctum ignavo queſtu proſequamur, quàm iisdem quibus ille alis ad æternitatem, quæ nos quandoque conjunget, enitamur. Cæterùm ne videamur ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα πηδᾶν, ſeu ſepta noſtra tranſilire, ad propoſitum redimus. Anno 1661.
igitur ſexageſimo primo juris publici fecit

Etymo-

Etymologicum Orientale ſive *Lexicon Harmonicum Pentaglotton*, quo non matris tantùm Hebraicæ Linguæ radices Biblicæ omnes vel conſtituuntur, vel ubi inter Judæos temporis injuria uſurpari deſitæ ſunt, ex Chaldæa, Syria, Arabia, Æthiopia, reſtituuntur, diversisque ſuis ſignificatibus explicantur: ſed & Chaldaicæ, Syriacæ, Arabicæ, Samaritanæ, Æthiopicæ, Thalmudico-Rabbinicæ Dialectorum, ceu filiarum voces, juxta ſeriem Hebraicam ex libris tam Canonicis, quàm Eccleſiaſticis exhibentur: harmonia ſimul vel matris cum filiabus, vel filiarum inter ſe luculenter oſtenditur: propriæ denique cujusvis radicis ſignificationes adjiciuntur. Præfatus eſt illi libro de gradibus ſtudii Philologiæ, inſerta ſimul Apologia brevi adverſus Abrahamum Echellenſem, qui Præfatione in Catalogum librorum Chaldæorum Hebed Jeſu Metropolitæ Sobenſis, traduxit Seldenum, Hottingerum noſtrum, Calixtum, Ludovicum de Dieu, Conſtantinum L'Empereur, Salmaſium, eo potiſſimùm nomine, quòd Orientalibus ſtudiis intenti, germanam tamen verborum ſignificationem ut plurimùm non deprehendant, ambigua & obſcura pro certis & luculentiſſimis ſtatuant, atque interim

ea,

ea,quæ in clariſſima luce verſantur, quòd ipſorum commenta radicitus extirpent, omnino prætereant. Verùm non aliam defenſionem tum ſui, tum Virorum horum doctiſſimorum, quos eâdem accuſatione involverat adverſarius, Hottingerus paravit, quàm in memoriam revocatis Ecchellenſi errorum plauſtris, quæ ipſi à contribulibus Flavignio, Gabriele Sionita, Johañe Morino objecta ſunt; nec non ex proprio ingenio demonſtratis notoriis ſpalmatis, quæ ille in tractatu Arabico-Latino, *Synopſis propoſitorum ſapientiæ Arabum Philoſophorum* inſcripto, adversus genium Arabicæ Linguæ admiſit. Cæterùm ipſum inſtitutū Hottingeri, voces Orientales tum ad nativam & primigeniam radicem, tum ad convenientem harmoniam redigentis, ſaluberrimum mihi ſemper viſum eſt, & ad ſtudia Orientalia altiùs provehenda unicum. Poſt Etymologicum Orientale, eodem anno prodiit *Compendium univerſæ Theologiæ Iudaicæ*, methodo Scholaſticâ ſuccinctè exhibitum, & collegiorum privatorum uſibus ita accommodatum, ut ad pleniſſimam dogmatum, Regiminis, Leiturgiæ ſive rituum Judaicorum notitiam, indicatis cujúsve materiæ fontibus, viam aperiat. Compendio huic ſubjunxit *Epitomen*

men utriusque Iuris Hebraici, aphoriſmis Majmonidis exbibitam, locis Scripturæ, unde depromti ſunt, confirmatam, & notis generalibus illuſtratam. Sed & *Archæologiam Orientalem*, conſtantem tum *Compendio Theatri Orientalis*, de Arabum, Perſarum, Turcarum, Tartarorum, Indorum, Mauritanorum, Muhammedanorum ſtatu Politico, Eccleſiaſtico, Scholaſtico & Oeconomico: tum *Topographia Eccleſiaſtica Orientali*, quæ brevis eſt Eccleſiæ Orientalis ſecundùm Nominum, dogmatum, ſedium Patriarchalium, Linguarum, Climatum diverſitatem deſcriptio: eodem tempore publico donavit. Atque hic finis eſt eorum operum, quæ Heidelbergæ ad Cleanthis veluti lucernam elucubravit. Octavo & decimo Martii accepit literas ab Illuſtri Reipublicæ Daventrienſis Senatu humaniſſimas, quibus ille Henrico à Dieſt, celebri Theologo, quem ob feſſam ætatem, & interpellantem continuum morbum rude donari placuit, ſucceſſor multis precibus expetitus eſt. Cui ille reſpondit, honori ſe maximo vocationem eam ad Gymnaſium longo jam tempore decantatum ducere, prærogativam tantam nactum publici favoris: ſed & amplexurum ambabus ulnis eam conditionem, niſi obſtarent tum Patriæ,

Patriæ, quæ jam pridem ſui ipſum beneficii fecerat, θελκτήρια, tum Sereniſſimi favor, inuſitatis hactenus erga ſe indiciis eniteſcens, haud æquo animo laturi, ſi aliis fidem, quàm vel ipſi vel Patriæ obſtringeret. Acquievére juſtiſſimæ excuſationi Proceres Daventrienſes. Circa idem tempus Felix Platerus Reipublicæ Baſileenſis Archiater, artis ſuæ peritiâ famoſiſſimus, Caſſellis mandata perferens magni Principis, Marpurgenſi eum Academiæ Theologiæ Profeſſorem conciliare ſtuduit. Sed & Amſterdamenſes & Bremenſes privatorum literis ad eum miſſis periculum fecerunt, an ſpei aliqua facula eum ſuæ Scholæ uſibus vindicandi alluceret. Verùm irrita fuêre procantium ſtudia. Nam Patriæ Proceres non amplius præſentiæ ipſius deſiderium ferentes, gravi timore, ne Schola patria tamdiu ipſo orbata detrimentum pateretur, Sereniſſimum Electorem enixis precibus rogârunt; ut ei patrios lares repetendi licentiam concedere clementer dignetur. Neque Procerum noſtrorum deſideria longius morari viſum Principi, inprimis quia jam præſtò eſſent, quibus eadem, quæ Hottingerus cum laude obivit, munera tutò credi poſſent. Gratia igitur diſcedendi ei facta, ſimul per li-

teras Senatui Tigurino gratias ampliſſimas profeſſus eſt, ſimul Hottingero honorariam Conſiliarii Eccleſiaſtici provinciam domi gerendam, clarum indicium principalis gratiæ decrevit & detulit. Paulò antè tamen, quàm vaſa colligeret, improviſus eum caſus, ejúſque familiam perculit. Nam lue dyſentericâ civitatem infeſtante, amiſit 14. Auguſti Annam Catharinam Eliſabetham, quolibet ſimulachro emendatiorem puellam. Quem equidem caſum eo animo pertulit, quo Chriſtiana pietas jubet. Cæterùm hieme appetente non differendum ampliùs iter ratus, poſtquam & Sereniſſimus Elector Clementiæ, quâ hactenus eum complexus fuerat; & Collegæ atque Amici reliqui, quos magno numero ſibi tum affabilitate morum, tum officiis conciliaverat, ſinceræ charitatis & amicitiæ perennaturæ fidem fecerunt, teſtimoniáque ἀπολυτικὰ ampliſſima ei certatim exhibuerunt; cum familia ſua propitio Numine diſceſſit viceſimo octavo Octobris & itinere feliciter confecto. 8. Novembris Tiguri appulit, publico omnium gaudio & gratulationibus exceptus. Proceribus civitatis in Conſeſſu tum Senatûs, quem vocant, minoris, tum Ducentûm-virorum, tum Eccleſiæ & Scholæ Præſidum oretenus ad-

adminiſtratæ inter exteros provinciæ rationem reddidit. Acquievére Proceres,& præfata laudatione ei gratias egere, quòd rebus tam præclarè & proſperè geſtis, & Eccleſiæ commoda pro ſua virili curaverit, & Patriæ honori conſuluerit: ſimul decreto ei publico nomine præmio ſimili, quo antehac etiam Venerandus Breitingerus ex Synodo Dordracena redux exceptus eſt. Princeps ei cura fuit ſtudii Theologici in Patria promovendi, atque ita informandi, ut majores indies progreſſus ſtudioſi faciant. Diſputationes aliáque ejusmodi exercitia, quibus juventus excitetur, & ingenia cognoſcantur, frequentiora ut inſtituerentur poſthac, author exactórque fuit. Sed & Bibliorum Germanicorum ſecundis quodammodo curis juxta authenticorum codicum exemplar,ſicubi à fontibus verſio uſitata longè abiverit, limandorum, negotium circa idem tempus Miniſtris datum eſt. Diſtributis operis ille præfuit ei Collegio, quo ipſa reviſio tentata eſt, nactus Collegas Viros Clariſſimos, Joh. Caſparum Waſerum, Collegii Carolini Præpoſitum; Joh. Henricum Zellerum, S. Theologiæ Profeſſoren; Guilielmum Simlerum,Collegii Parthenici Ephotum; Joh. Rodolphum Hoffmeiſterum,

 Pro-

Profeſſorem; Joh. Henricum Ottonem Linguarum Profeſſorem ; Guilielmum Freigium, Collegii Neoparthenici Inſpectorem; Joh. Jacobum Schædlerum, Eccleſiæ Abbatiſſanæ Diaconum : cujus collegii ad extremum etiam me, factum Steinfurto reducem, partem eſſe placuit. Duravit quinque continuos annos, & quod excurrit. Proinde otium ſuum ab ordinariis negotiis vacuum fere hoc ſolo labore occupari & conſumi ſæpenumero queſtus eſt: quanquam non meliori & utiliori damno temporis frontem poni, quàm hoc ipſo, quo temporis ſumtus tam pretioſo & ſancto labori impenderetur, ultrò agnovit. Jucundiſſima mihi eſt, eritque illius temporis recordatio, quo quotidie ſacro-ſancto huic ſtudio ingeniorum noſtrorum nervos intendentibus nobis integrum fuit συμφερτῇ ἀρετῇ & collatâ in commune ſymbola, fontes tractare, verſiones Orientales ſimul & Occidentales diſcutere, Scripturas accuratâ συμβιβάσει contendere, aberrationum originem indagare, denique nihil prius & antiquius habere, quàm ut genuinum & Grammaticum Scripturæ ſenſum unanimi omnium conſenſione & in timore Dei firmiter tenere, certóque complecti poſſemus. Sed & propoſitum ei

ſerium

erium fuit perſuadendi Ampliſſimis Proceribus, uti miſſis in conſil.um Evangelicis Cantonibus, & eorundem piâ ſuffragatione efficiant, quò publicâ authoritate & delectis ex ſingulis Cantonibus viris ad hoc idoneis, procuretur *Verſio Helvetica* quàm fieri poteſt, accuratiſſima, communibus Evangelicorum omnium per Helvetiam uſibus deſtinanda. Quod conſilium ſanctum utinam eventu ipſo noſceremus! Anno ſexageſimo ſecundo typis tradidit *Enneadem Diſſertationum Theologico-Philologicarum Heidelbergenſium.* Continentur eo libro diſſertationes, de libris Veteris Teſtamenti ſuppoſititiis, Prophetia præſertim Enochi, & Samaritanorum, libro Joſuæ, indéque deducto compendio Theologiæ: de *δοκιμασίᾳ* Abrahami: de Paradiſo: de Baptiſmo: de Melchiſedeko, annexa brevi Apologia contra Jeſuitam Labbæum: de cauſis cœnæ Dominicæ, & Analyſi verborum hoc eſt corpus meum: de Leone Allatio nimiæ temeritatis convicto, & perpetuo Eccleſiarum Latinæ & Græcæ conſenſu. Subnexum hiſce diſſertationibus eſt compendium Theologiæ Judaicæ. Eodem anno ipſo Aſcenſionis Dominicæ feſto, Rector, ſeu uti vocant, Scholarcha creatus eſt, conſpirantibus omnium ſuffragiis. Eam dignitatem, quam cæteroquin duorum

annorum ſpatio definiri leges jubent, ſuſtinuit ad vitæ extrema usque. Quantum in eo fuerit juvandæ Reipublicæ literariæ ſtudium, quam in indicendis & obeundis conventibus indefeſſa ſolertia, & in negotiis expediendis alacritas, quàm tenera diſciplinæ cura, recentibus adhuc imaginibus quodammodo circumferimus. Quæ cauſa fuit, quòd poſt decurſum ſpatium & circumactam aliquoties volubili orbe metam honos hic ei, quamvis deprecanti & occupationum molem obtendenti, continuatus fuerit. Neque ille, qui quodlibet ſibi tormentum injunxit, ne publicis utilitatibus & neceſſitatibus deeſſe videretur,
1663. gravem ſe & difficilem præbuit. Sequente anno ſcripſit *Bibliothecarium*, ſive tractatum de officio Bibliothecarii: de Bibliothecis veteribus & novis toto orbe diſperſis in genere, in ſpecie de ſcriptis & ſcriptoribus Anglicanis: de regulis in collectione Bibliothecarum obſervandis: Ratione & modo Bibliothecas tam diſponendi quàm diſpoſitas in Catalogos redigendi. Adjuncta ſimul eſt *Bibliotheca Theologico-Hiſtorico-Critica* de Theologia Biblica, Patriſtica & Topica, inſertis ſimul Leonis Africani vitis celebrium quorundam inter Arabes virorum, tam Muhammedanorum, quàm Judæorum

dæorum & Chriſtianorum ex Manuſcriptis ἀνεκδότοις. Porro Bibliothecarii ejusmodi conſignandi conſilium Hottingero diu ſuggeſſerat Illuſtris, quem ante laudavi, Baro Boineburgius, qui continuis precibus eum ſtimulaverat, uti operi huic manum quantocyùs fieri poteſt, admoveat. Spem nempe de Hottingero firmam conceperat, illum in hoc argumento edecumatum aliquod opus, cui ſimile nulla retro ætas vidiſſet, publico daturum. Multa faſſus eſt præſtitiſſe in eo genere Geſſnerum, Lycoſthenem., Simlerum, Friſium, Lambecium, Sixtum Senenſem, Poſſevinum, Claudium Clementem, Voëtium, Mejerum, Bellarminum, Labbæum, Naudæum, Voſſium, Molanum, Halloſium, Lindium, Alſtedium, Hornium, Jonſium, Freimonium, Delrionem, Jacobum Gothofredum, Ludovicum Jacobum à S. Carolo, Roccha, alióſque. Cæterùm eos vel amplitudine ſuâ, vel brevitate, vel confuſione ſatisfacere negavit. Ab Hottingero autem ſe expectare Encyclopædiam, aut potiùs Bibliothecam omnis generis Scriptorum librorúmque veterum, medii & recentis ævi, cùm Orientalium, tum Occidentalium, & ſicunde impetrari quiverunt, Sinenſium,

Indicorum, aliorúmque tam ſacri, quàm profani argumenti. Ita ad ipſum ſcripſit viceſima primâ Octobris, anni ſexageſimi. Atque deinceps creberrimis ad eum datis literis, nunquam deſiit ei aurem vellicare, ut omnibus reliquis curis poſteriori loco amandatis huic uni operam omnem induſtriámque intenderet. Tot igitur incentivis ita Hottingero tundendo atque odio inſtitit pudor, ut ſi eum ſalvum & honeſtum vellet, tandem ruptis omnibus moris Bibliothecæ ſcribendæ vacare debuerit. Bibliothecario huic, quem Quadripartitum inſignivit, appendit Scholam Tigurinorum Carolinam, quâ demonſtratum ivit, Scholam Tigurinam Carolo M. natales ſuos debere. Atque demonſtrationi huic annexuit tum Bibliothecam Tigurinam, ſive catalogum librorum ante & poſt Reformationem à Tigurinis ſcriptorum: tum obſervationes de Collegii Carolini origine & progreſſu, Doctoribus Eccleſiæ & Scholæ. Eodem anno typis exprimi curavit *Modeſtam Apologiam Diſceptationi de Euchariſtia* Soloduri excuſæ oppoſitam: quâ ſolidè & perſpicuè demonſtravit, Eccleſiam Tigurinam de Euchariſtia juxta Scripturam ſentire atq; docere: Tranſſubſtantiationem contra eſſe dogma, quod

& Scri-

& Scripturæ repugnet, & fidei analogiæ, & puræ Antiquitati, & ſobriæ rationi: denique novum, incertum, Scholaſticorum diſſidiis miſerè laceratum & ſcandali pleniſſimum. Apologiæ occaſionem dedit prolixa commentatio in ſextum caput Johannis, quod ad ſtabilimentum Miſſæ & Transſubſtantiationis torquere conatus eſt, Patrum interpretationibus obliquo collo raptis innixus, Illuſtris Legatus Gallicus, qui ſcripti de ea re ſatis prolixi author videri voluit. Neque tamen Author illius libri nomen ſuum præſcribere ſuſtinuit. In quo Concilii Tridentini legem ſeſſione IV. ſancitam & perlatam violare non erubuit. quod ipſum ei Hottingerus jure meritoque exprobravit. Apologiæ hujus concinnandæ neceſſitatem ei impoſuit publica Procerum authoritas, poſtquam Vir Doctiſſimus, Johannes Myllerus, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ apud nos Profeſſor & Eccleſiæ Petrinæ Miniſter, qui huic controverſiæ Venerandi ſenis Stuckii in Theologica Profeſſione antehac vicarius, implicitus fuit, rationes expoſuit, ob quas contentionis hujus funem ducere, niſi ſuperiorum mandato intercedente, grave ſibi putet. Circa idem tempus iter ſuſcepit Hottingerus in vicinam Sueviam, publi-

co nomine miſſus, ut cum Doctore Heidero Lindaviæ de ſubſidiis adverſus Turcam, qui tum temporis arma per Hungariam circumtulit, & omnia circa gravi ti-
1664. more permiſcuit, conſilia ſociaret. Sequenti anno poſt longas integri ferme decennij inducias ad telam Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ pertexendam rediit. Deduxerat antehac filum ad hiſtoriam usque Reformationis, quam nunc demum calente impetu & plenus ſpei, fore ut ſingulare quid & poſteritati maximopere profuturum in publicum proferret, aggreſſus eſt. Edidit igitur Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ tomum ſextum, Reformationis verò primum, in quo Reformationis neceſſitatem, prodromos, gradus; infidelium ob corruptum Chriſtianiſmi ſtatum ſcandala; nec non cauſas expoſuit. Eodem anno in Germaniam & Belgium gravis negotij curandi gratia profectionem inſtituit. Gaviſus autem magnopere eſt, ſibi hac occaſione opportunitatem adfulgere, tum veteres per Germaniam & Belgium amicos amplexandi; tum novos hinc inde ſibi conciliandi, & teſſeram cum iis literariam communicandi. Et Heidelbergæ quidem rediit in amplexus Amicorum vete-

ris

ris notæ, Spanhemii, Ludovici Fabricii, Böckelmanni, Fauſii, Ramſpeckii, Floccenii, Salmuthi, aliorum, qui omni genere officiorum erga ipſum certârunt. Duisburgi Claubergium & Hundium, utrunque nunc Cœlitem, ſtans pede in uno vidit & coluit. Veſaliæ Ewichium, quem Antiquitatum omnium promum condum ſæpe nuncupavit, adivit, & cum ipſo amicitiam contraxit. Idem nonnulla Veſalienſis Eccleſiæ Reformationem concernentia cum eo communicavit. Rheſæ Clivorum Zellerum, ſuum quondam in Orientalibus ſtudiis diſcipulum feliciſſimum, & multiplicis eruditionis capacem inviſit. Ultrajecti ambabus benevolentiæ ulnis obvii & expoſiti, plenique humanitate eum exceperunt, Giſbertus Voëtius, ille maximorum in Eccleſiam Vir meritorum, Andreas Eſſenius, Bürmannus Leuſdenius, Grævius, Montanus, alii. Sed & nobiliſſimam Virginem, decimam Muſam, Annam Mariam à Schurman ſalutavit, cujus humanitatem, admirabilem eruditionem, & ingenium, omni genere artium liberalium ſubactũ & lævigatum nunquam ſatis prædicare potuit. Leidæ ruit in in amplexus deſideratiſſimos Golii ſui, qui jam dudum totum ipſum tenuit, habuit, poſſedit; nec

non

non Heidani Cocceij, Hoornbeckii, Hornii, Gronovii, Legeri, qui omnium erga ipſum officiorum obſervantiſſimos ſe præbuerunt. In ſeceſſu deflexit ad Nobiliſſimum Studlerum Toparcham Bergenſem, à quo æquè atque Nobiliſs. fratre antehac juvenis adhuc maximis beneficiis affectus eſt. Hagæ Comitum in Carræi Eccleſiæ Gallicæ Paſtoris facundiſſimi notitiam pervenit, cujus in officiis promptitudinem impensè laudavit. In reditu Hammonæ Adrianum Pauli Theologum præclarum convenit, humanitatem ejus non leviter expertus. Ubi inter eos ſermo ad literas deflexit, mentio incidit Ahmed Ben audulæ, ſeu Ben Abdallæ, gente Cantabri, ſed Mahummedani, & Regis Maurorum apud Fœderatos Belgii Ordines quondam Legati. Is anno M DC X. à Mauritio Principe Auraico, & Emmanuele Rege Portugalliæ ita rogatus, paulò poſt Marochiii ſcripſit *Confeſſionem Maurorum*, in qua Chriſtianos, inprimis craſſos Pontificiorum errores admodum ſubtiliter ac ingenuosè perſtrinxit, ſimúlque Maurorum de Religione ſenſum nervosè admodum explicatum dedit. Eam Confeſſionem ad utrumque hunc Principem anno Seculi hujus duodecimo transmiſſam, fortè ex Biblio-

Bibliotheca Seldeni in Anglia nactus, deſcripſit Adrianus Pauli, & Hottingero publicis uſibus quam primum conſecrandam & devovendam donavit. Quo munere propenſiſſimo nihil ei gratius exiſtere potuit. Caſſellis gaviſus eſt obviâ & aptante ſe occaſione innoteſcendi Henrico à Dauber, Juriſconſulto eminentiſſimo, &, quâ teſſerâ inprimis placebat Hottingero, Orientalium literarum non promotori ſolùm maximo, ſed etiam Cultori feliciſſimo, qui tantò ampliori dignus prædicatione, quantò minor copia eorum eſt, qui in tanto honoris faſtigio, & tam ſeriis gravibúsque curationibus diſtricti, Muſis ſeriò litant, & poſthabitis nugis ad ſolidæ ſcientiæ adyta enituntur. Marpurgi tota Academia comiter ipſum & lauto convivio excepit. Familiarius autem uſus ibi eſt, quantum licuit per exigui temporis ſpatium, Viris Clariſſimis Sebaſtiano Curtio, Georgio & Friderico-Chriſtiano Crociis, Holtermanno, Deuſingio. Denique quocunque Hottingerus ſe contulit, nemo paulò amore literarum flagrantior tam temperans gaudii, feræque lætitiæ repertus fuit, quin hoſpitem hunc ſibi impensè gratulatus fuerit, & in ejus amicitiam geſtiverit. Itinere hoc feliciter defunctus, & literario-

run

rum monumentorum non ſpoliis, ſed ἀναθήμασι ab amicis in delubro ejus hinc inde ſuſpenſis prægravis & onuſtus die 20. Novembris patrios lares poſt liminiò repetiit.
1665. Anno ſequenti edidit Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ tomum ſeptimum, Reformationis verò ſecundum. Eodem tempore Sereniſſimus Dux Brunſwicenſium & Luneburgenſium Auguſtus, Literarum, Literatorúmque Mœcenas verè Auguſtus, nuntium ad ipſum Tigurū miſit cum literis, principalem erga eum affectum ſpirantibus, quibus ei pro Bibliothecario publici jurisfacto ampliſſimas gratias egit. Sed & ſpecimen ei transmiſit novæ Bibliorum in Linguam Germanicam verſionis, & judicij ejus teſtimonium de eo expetijt. Paulò poſt in gratiam civium ſuorum elucubravit Speculum *Helvetico-Tigurinum*, quod eidem Principi Auguſto inſcripſit.
1666. Anno ſexageſimo ſexto publicavit Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ tomum octavum, Reformationis verò tertium. Simul curſum Theologicum Altingianum tantùm non dimidiâ ſui parte auctiorem iteratò typis commiſit. Cúmque eodem tempore Judæi per terrarum orbem vagis erroribus diſſipati, altas tumidásque ſpes animo conciperent Meſſiæ ſui, quem miſeri & toties horrendum in

mo-

modum deluſi præſtolantur, adventantis, & Nathan Levi Divinum afflatum raptúmque mentitus, Regem Judæorum & Meſſiam jam injunxerit, & inauguratus fuerit quendam nomine Schabbathai, de quo neſcio quæ fallacia miracula mendax fama circumtulit: Hottingerus Epiſtolam vernaculo idiomate & occultato authoris nomine ſcripſit, qua liquidò veritati dedit, partim commentitia & præſtigijs quàm veritati ſimiliora eſſe, quæcunque impoſtor ille Nathan Levi hactenus ſtupidæ hominum ſuorum credulitati propinavit: partim Judæis ſeriò incumbere, ut occaſione hac invitante ſedulò inquirant, annon tempus Meſſiæ adventui condictum pridem effluxerit? annon illi, qui per ſedecim hactenus ſecula ſe pro Meſſia venditârunt, partim ſe ludibrio & deriſui omnium expoſuerint, partim populum ſuum damnis præſentiſſimis mactaverint? annon Schabbathai ille ſuo ſe indicio & conſignatiſſimis notis impoſtorem publicum prodat? annon ſpes adventantis novi Meſſiæ eos deſerat & penitus deſtituat? annon denique cauſam habeant graviſſimam, Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum, tot veri Meſſiæ dotibus irrefragabilibus illuſtrem, ſincerâ fide & humilimâ reverentiâ complecten-

plectendi? Epiſtola eſt planè probi commatis, & demorſos quæ ſapit ungues, digna proinde, quæ in alias etiam Linguas transferatur. Cæterùm eo anno expertus eſt adverſariorum tum Pontificiorum tum Lutheranorum inſultus. Ex Pontificiorum caſtris lacertos movit infelix apoſtata Johannes Georgius Rhætus, qui in *Face veritatis Orthodoxæ* neſcio quo œſtro inſtinctus, tum Majorum noſtrorum, tum Hottingeri Orthodoxiæ illuſit. Cæterùm hominis pruritu duabus diſputationibus de *Notis Eccleſiæ* repreſſo, lampada tradidit Viro doctiſſimo & de Eccleſia Chriſti optimè merito Jacobo Vedroſio, Eccleſiæ Curienſis Paſtori & Decano vigilantiſſimo, qui tum Rhæticarum, tum noſtrarum Eccleſiarum communem cauſam adverſus apoſtatæ hujus arrogantiam ſtrenuè tutandam ſuſcepit. Ex Lutheranorum partibus prodiit Tobias Wagnerus D. Univerſitatis Tubingenſis Cancellarius & Eccleſiæ Præpoſitus, emiſſa in eruditorum Theatrum *Inquiſitione Theologica in Acta Henotica noſtro potiſſimùm tempore inter Theologos Auguſtanæ Confeſſionis, & Reformatæ Eccleſiæ à Reformatis reſuſcitata*, in qua præter Reformatos Doctores, Duræum, Mareſium, Curtium alióſque, crebrò ad partes vocat Hottingerum,

gerum, cujus diſputatiões Irenicas ſugillare conatus eſt. Hottingerus in diſputatione nupera Synodali, in qua probatum dedit, Eccleſiam Reformatorũ non eſſe ſchismaticam, obiter adverſus eum calamum ſtrinxit. Decreverat tamen non amplius certaminis hujus Irenici aleam majori contentione ſubire, cui nec finem nec modum impoſituros adverſarios, exiguo admodum operæ pretio, non hariolari ſe, ſed pœne προθεσπίζειν adfirmaverat. Placet tamen pia & verè fraterna Viri egregii ſanè συμπάθεια, qua Hottingeri caſum in Programate ad me, dum hæc ſcribo, ſubmiſſo, proſequitur. Sequenti eóq; emortuali anno Hiſtoriæ 1667.
Eccleſiaſticæ ultimâ manũ admovit, elaborato inter multas curas hoc ipſo, qui nunc publicam lucem ſalutat, Hiſtoriæ Eccleſ. tomo nono, Reformationis verò quarto. In eum annum incidit vocatio Leidenſis, quam in hiſtoria mortis ejus, cum qua illa connexa fuit, pertexere animus eſt. Ante vero quàm de illa verba facio, commercium ejus literarium, cujus mentionem in hunc locum conſultò conjeci, quòd nulli anno illa propria fuerit, ſed communis omnibus, breviter pandam, Viros doctos & Illuſtres, quibuscũ crebras Epiſtolas commutavit, diſtributurus juxta ſeriem nationũ

& temporum, quibus comercium invicem cæperunt. In *Helvetia* igitur commercium ipſi literarium interceſſit cum Bauhino, Buxtorfio, Rhorio, Rodolpho Wettſteinio, Theodoro Zwingero, Jacobo Hofmanno Sangallenſi Decano, J. Jacobo Vedroſio Curienſi Decano, Jacobo Brandmyllero, Jacobo Huldrico Antiſtite Tigurino, Rodolpho Stuckio, Johanne Wirtzio, J. Henr. Rhonio Expræfecto Kyburgico, Hurtero Scaphuſienſi Decano, Sebaſtiano Schobingero Conſule Sangallenſi, Luca Gernlero, Chriſtophoro Luthardo, J. Henr. Hummelio Bernenſi Decano, Samuele Grynæo, Georgio Myllero Lauſannenſi Theologo, Georgio Schalichio Scaphuſienſi Decano, Leonhardo Meyero ib. Paſtore, J. Jac. Stockero Quæſtore. In *Germania* cum Sebaſtiano Ramſpeckio, Hakſpanio, Chriſtiano-Friderico Crocio, Daniele Toſſano, Sebaſtiano Schmidio Theologo nunc Argentoratenſi, Johanne Zechendorfio, Johanne Hundio, Ezechiele & Friderico Spanhemiis, Ludovico Fabricio, Friderico Böckelmanno, Caſparo Fauſio, Marco Floccenio, Balthaſare Venatore, Sereniſſima Principe Eliſabetha Palatina, Jobo Ludolfo, Illuſtri Barone Boinebur gio, Melleto, Dilherro, Henrico Mejero

Lipſiaco

Lipſiaco, Raumero Deſſavienſi, Johanne Friſchmutho, Samuele Andreæ, Daniele Sachſio, Georgio Grocio, Arnoldo Mauritio Holtermanno, Theodoro Spizelio, Hermanno Conringio, Adriano Pauli, Elia Vejelio, Balthaſare Bebelio, Sebaſtiano Curtio, Joh. Sauberto, Erico Mauritio. In *Belgio* cum Jacobo Penone, Henrico & Jacobo Altingiis, Levino Warnero, Jacobo Golio, Andrea Riveto, Falckenierio, Johanne Steinbergio, Friderico Spanhemio, Conſtantino L'Empereur, Triglandio, Matthia Paſore, Henrico Cligneto, Johanne Coccejo, Gisberto Voëtio, Chriſtiano Ravio, Anthonio Perizonio, Samuele Mareſio, Johañe Hoornbeckio, Johanne Leuſden, Petro Montano, Hornio, Henrico à Dieſt, Chriſtiano Schotano, Bernhardo Heymbachio Lovanienſi, Plempio, Joh. Godeſchalko Schurmanno. In *Suecia* cum Eliâ Terſero, Erico Odelio, Jordano Edenio, Johañe Buskagrio. In *Sileſia* cum Jonſtono. In *Anglia* cum Edwardo Pocockio, Johanne Duræo, Dudlejo Loftuſio, Cancellariæ Dublinenſis in Hybernia Magiſtro. In *Galliis* & *Geneva* cum Ludovico Capello, Samuele Petito, Antonio Legero, Davide Clerico, Alexandro Moro, Meſtrezatio, Arnoldo Bootio, Gariſſolio,

Theodoro Tronchinó, Eſaja Coladone, Stephano Blanco, Paulo Ferrio, Franciſco Turretino, Capellano Sorbonico. In *Italia* cum Nicolao Zaffio, Arnoldo Am End, A. Cavalcante Florentino. Horum omnium literæ frequenter ad ipſum de variis rebus exaratæ, & ab eodem ſolicitè cuſtoditæ, inter ejus λειπόμενα comparent. Nunc igitur ad ultimum vitæ Hottingeri actum, ipſámque adeò mortis ejus luctuoſiſſimæ, & quæ cum illa cohæſit, Leidenſis vocationis, recenſendæ hiſtoriam me converto. Johanne Hoornbeckio, Theologo ſuper æthera noto, ſuperiori anno publico omnium mœrore cætibus hominum exempto, Illuſtris Academiæ Lugduno-Batavæ Curatores poſt Cl. Turretinum Genevenſem Theologum fruſtra illuc ſolicitatum, Hottingerum pertinaciter ſibi ambiendum duxerunt, digniſſimum futurum variis nominibus, qui in locum Hoornbeckij, cum quo ſuperſtite intimam diu amicitiam coluerat, depangeretur. Legerus Eccleſiæ Gallicæ Lugduno-Batavæ Paſtor fideliſſimus, in anteceſſum de eo admonuit Hottingerum, eúmque obnixè rogavit, ut animi ſui ſenſa, & implicitam notionem bonâ fide proximis literis explicare, & evolvere dignetur. Ille ſtatim ei reſpondit nec publi-

ca

ca patriæ commoda, nec familiæ ſuæ rationem ferre, ut ſpem aliquam obſequii futuri faciat. Mox advolavere literæ Præpot. Generalium Ordinum, nec non Ordinum Holandiæ & Weſt-Friſiæ ad Ampliſſimum Reipublicæ Tigurinæ Senatum, ac ſimul literæ Nob. D. D. Curatorum vocatoriæ, Conſulis Delfenſis, A. Van der Goes, Johannis Cocceij, Jacobi Golij, quibus ille ad amplectendum provinciam honorificam ſeriò invitatur, propoſito argumento palmario, quòd in celebri Academia, ad quam veluti mercatum quendam literarium melior orbis pars confluere ſolet, & paratis ibi tot præſtantiſſimis ſubſidiis, inprimis locupletiſſima illa Bibliotheca Orientali, cui nunc ex legato Levini Warneri plus quàm duplum peculium acceſſerit, longè feliciùs & uberiori fœnore talentum ſibi divinitus conceſſum Eccleſiæ & Reipublicæ literariæ commodo exercitùrus ſit, quàm vel in Patria, vel alibi locorum. Variè aff. cit hæc res Hottingerum, hinc Patriæ Scholæ & Eccleſiæ neceſſitatibus, familiæque ſic ſatis numeroſæ ratione, illinc vocatione tam illuſtri, tam ſplendida, tàmque gravibus ambientium argumentis munita, neque ullo tamen antehac indicio prenſata, animum in diverſa diſtrahente.

 hente.

hente. Vicit tandem conſilium totum hoc negotium deponendi in ſinum Ampl. ſſ. Procerum, eorundemque arbitrio cum ſignificatione promtiſſimi quamcunque in partem obſequij, quicquid hoc eſt, reſignandi. Proceres igitur noſtri ſeriâ æſtimatione cuncta penſantes, & omnibus in utraque parte calculis poſitis computatiſque, retinendum potius Hottingerum, quàm permittendum ſtatuerunt. Cui ſententiæ ſine exceptione ſtatim paruit. Significatum id per literas Præp. D. D. Ordinibus, & Nobil. D. D. Curatoribus, ſimúlque ſententiæ hujus rationes, ne quidquam illi graviùs ſuſpicarentur, expoſitæ ſunt. Cæterùm Leidenſes, quibus una opinio indubitata & ἐῤῥιζωμένη erat, haud meliùs rebus ſuis, quàm præſente Hottingero provideri conſulique poſſe, non territi repulsâ, ſed mutato hactenus conſilio, ut paucos ad annos ejus uſuram Academiæ ſuæ concedi expeterent; ſequente Majo vocationem, adjunctâ denuo interceſſione Præp. D. D. Ordinum, & Amicorum ad infimas obteſtationes procumbentium, precibus quaſitiſſimis, redintegrare nó dubitavere. Haud modico igitur tempore, inter continuas dubitationes & deliberationes extracto, aliis pro retinendo ipſo, pro conceden-

concedendo alijs, optimo utrisque conſilio adnitentibus, tandem unanimi conſenſu omnium in hanc itum eſt ſententiam: annuendum eſſe votis ambientium, & Profeſſionem Hottingeri in Patria vicariâ meâ operâ, donec rediverit ille, ſupplendam, exornandámque. Id poſtquam publicis ad Præpotentes D. D. Ordines, Ipſiúsque Hottingeri ad Nob. D. D. Curatores literis perſcriptum eſt, ille ſe ad iter accingere cœpit, dies noctésque inquies animi, & ſolicitus, quâ ratione in Patria res ſuas ordinaret, & vaſis collectis familiam facillimè in locum deſtinatum transferret. Inter cæteras, quas anxio pectore verſaverat, curas non infima fuit illa, de elocatione prædij duabus circiter à civitate leucis proximè Limagum noſtrum ſiti, cui *Pacimontano* nomen indiderat. Illud cùm abſente familiâ, commodo ſuo coli & exerceri poſſe deſperaret, Nobili Toparchæ vicino honeſtâ lege elocare inſtituerat. Igitur die quinto Junij, quem, cùm faſtis eximi neq; at, atrum ac funeſtum nobis, Patriæ & Eccleſiæ univerſæ habendum duco, decimam inter & undecimam antemeridianam ſe commiſit Limago, fluvio urbem noſtram interluenti, comitantibus ipſum uxore, tribus liberis, ancillâ, nec non optimo adfine Guili-

elmo Freigio, & Nobiliſſimo Viro Georgio Schneebergero, Cohortis Equitum Magiſtro, & Ducentûm-Viro, propitio amne ad prædium ſuum deſcenſurus & Nobili Toparchæ certâ conditione ad tempus uſque reditûs ſui, illud utendum fruendum elocaturus. Cùm vix unius teli jactu navis à civitate abeſſet, ad feſtucam, quam intumeſcentes aquæ texerant, ut ab infelici nauta non obſervaretur, impacta, repente ſubmerſa navigantes omnes exuſſit, & eo quidem loco, quo fluvius rapidiſſimus, procelloſus, & vorticibus ſinuoſis refertus. Ipſe Hottingerus, nec non Nobilis & Adfinis natando ad vadum eluctati, jam videbantur extra diſcriminis aleam poſiti. Verùm cùm & conjugem & optimos liberos in ſummo vitæ periculo verſari forte cernerent, nec exaudirentur periclitantium clamores, denuo fluvium ſuppetias iis laturi petierunt. Eam operam dum navant Hottingerus, & Nobilis comes, incertum an apprehenſi à liberis, an vorticibus in transverſum abrepti denuo ſubmerſi ſunt, & cùm aliquandiu ſive inter inſultãtes fluctus jactati natarent, ſive ad obſtantes ſcopulos alliderentur, tandem exhauſti viribus, ab accurrentibus ſpiritum extremum ducentes, utrique ex aquis extracti ſunt.

ſunt. Conjux, adfinis & ancilla, poſtquam diu fluctuanti cymbæ adhærentes certârunt, & noviſſima jam imminuêre, liberati ſunt. Filia nata maxima Margaretha, & minima Eliſabetha, nec non filius ſuaviſſimus Johañes, verum delicium & philtrum amoris, eodem fluvio hauſti, & poſt aliquot horas procul abrepti à fluvio, diverſis locis reperti ſunt. Atq; hunc, ut de reliquis nihil dicam, inprimis Nobiliſſimo Schneebergero, qui præclaris facinoribus ad avita decora feliciſſimè aſſurrexerat, & ſpe maximorum meritorum totam civitatem impleverat; hunc, inquam, exitum habuit, eundem agens añum ætatis, quem magnus ille heros Zwinglius in acie occumbens, quadrageſimum nimirum & ſeptimum, ὁ πάνυ Hottingerus, ille purioris Religionis fortiſſimus vindex, abyſſus eruditionis, & literatorum facilè princeps. O fata acerba & atrocia! O חצי שדי ſagittas omnipotentis! O diem nigro lapillo ſignandum, quæ tot ſpes, tot gaudia noſtra indiverſa convertit! Cæterùm mortuorum cadavera collecta ſunt in vicinis ædibus, quas Nobiliſſimus Oeconomus Edlibachius incolit, cujus univerſa familia ſingularem fidem, & humanitatem abundè in funeſtiſſimo hocce caſu probavit. Nocte concubiâ corpo-

 ra

ra pheretis & urnâ ferali recondita in urbem illata ſunt. Procedebat miſerabile agmen, & amici circum lamentantes inter gemitus & planctus civium, quorum ſomni omnis expertium aures flebilis ille bajulantium ſonus adverterat. Die ſeptimo Junii præter ſolitum media æſtate hyemante (quippe nix decidens magni damnis arbores & ſegetem affecerat,) corpora tumulo illata ſunt, proſequente innumera multitudine omne genus civium, violentorum luctu, & lachrymis ac conclamationibus intimum ac veriſſimum dolorem teſtantium. Porro mortem ipſam anteceſſere quædam animadverſione digniſſima. Octiduo priùs quàm caſus miſerrimus contingeret, in cathedra publica, quam docturus conſcenderat, penſili tabulæ inſcriptum reperit verſum: *Carmina jam moriens canit exequialia cygnus.* Carmen hoc quomodo interpretaretur, dubius, authorem inquiſivit, ſeriò obteſtatus auditores, uti ejus indicium promtè & candidè edere velint. Nemo repertus eſt poſt crebras obteſtationes, qui ſe depicti verſus authorem profiteretur. Ille identidem aſpiciens tabulam, & altiùs expendens, ſingularem animi perturbationem teſtatus eſt. Neque hactenus quisquam

quam inventus eſt, qui ſe authore id factum confeſſus fuerit. Non minus admirabile eſt ſomnium, quod circa initia Leidenſis vocationis, decimo nono Decembris ſuperioris anni, nobis in eo Collegio, quo Verſionem Germanicam Bibliorum recognovimus, recenſuit. Ajebat ſomniaſſe ſe præcedente nocte, quòd cum chariſſimo, qui tum præſes adſtabat Collega Rod. Hofmeiſtero, Theologiæ Biblicæ Profeſſore, deambulaverit in civitatem vicinam. Cúmque appropinquarent templo magnifico, Collegam eum altâ voce ſibi dixiſſe: *Nunc impletum eſt caput decimum quartum Iobi.* Atq; prolatis illis verbis ſubitò ſe expergefactū eſſe. Caput illud decimum quartum Iobi obiter perlectum, ſine Oedipo divinatore, ſomnii nobis adhuc ſtupentibus narrati interpretationem perhibuit. Sed & eo ipſo, quo fato ſuo defunctus eſt, die ex publico ſuggeſtu, Verbi Divini Miniſter egregius populo explicavit textum Joh. XII. 27. *Nunc anima mea ταράχεται turbata eſt. Pater, ſerva me ab hora illa, ſed propterea veni in horam illam.* Ubi primùm triſtis famæ denuntiatio feriit aures animóſque exterorum, certatim ex vicina Helvetia, Germania, Gallia, Belgio advolavêre literæ tum publicarum Eccleſiarum,

rum, tum Virorum doctorum, feralem hunc & tragicum exitum Viri tanti, pro eo atque miretur, efflictim deplorantium. Una omnium querela, Hottingero ætate adhuc viridi & in medio laborum curſu erepto, præſentiſſimis damnis non Eccleſiam & Scholam Tigurinam, non Leidenſem Academiam, quæ in ejus amplexus ruere geſtiverat, ſolam, ſed univerſam Chriſti Eccleſiam mactari. Non literatos paucos, ſed literas ipſas in uno homine ſummum periculum adiviſſe. Quem jam illud immenſæ capacitatis opus Hiſtoriæ Reformationis pertexturum? Quem tum *Theſaurum Biblicum Originalem, & Orientalem*, Opus futurum cedro digniſſimum, tum *Anatomiam Muhammediſmi tripartitam*, & *Theatrum Muhammedicum πεντάςεγον*, quæ opera jam publicè promiſerat, vel ſimile aliquid elaboraturum? Iam Orientalibus ſtudiis, inprimis Arabicæ literaturæ tantùm non interitum præſagire, quòd cis paucas tempeſtates Levinus Warnerus, Samuel Bochartus, Hottingerus, triga illa Virorum, Orientalium literarum cœlum cum paucis aliis, qui ſuperſtites quidem, ſed ad ſenectutem & occaſum vergentes agitant, humeris ſuis geſtantium, extincti fuerint. Quem pretioſiſſima illa

ſcripta Orientalia, quæ vel aliunde ſua manu deſcripſit, vel hinc inde collegit, ad uſum publicum revocaturum? Sicut Achillis arma eo interfecto nemo portare poterat: ita neminem futurum, qui illis ſapientiæ inſtrumentis reconditis uti impoſterum poſſit. Ad hæc non vanum timorem eſſe, ne miſerabilis hic caſus præſagus ſit majorum calamitatum, & funeſtiſſimi in Eccleſia & Republica naufragii. Sicut enim ſublatis columniis ædificii ruina; ſublato lumine tenebræ; ſublato vitæ duce errores; ſublato Imperatore clades; ſublato gubernatore naufragium: ſic ſublatis divino judicio ſpiritualibus hiſce columnis, luminibus, doctoribus, ducibus, gubernatoribus, civitatum populorúmque ruinam, tenebras, errores, diſſipationes, clades, naufragia, animi corporiſque interitum ut plurimum ſequi. Denique & hoc ad calamitatum publicarum cumulum accedere, quòd Hottingerus Vir talis & tantus, qui ſummum faſtigium privati hominis explevit, tam indigno genere lethi, tam malignitati interpretantium expoſito: neque ille ſolus, ſed tot cum eo liberi chariſſimi, & ille, quem æquè ac animam ſuam dilexit, generoſus comes, qui gente & mente nobiliſſimas matronas, piiſſimam Matrem, &

Con-

Conjugem ſævam luctu, & neſciam tolerandi utramque, nec non quinque natos & natam, puſillos omnes, in præſentiſſima orbitatis mala conjecit, vitæ retinacula abrupit. Cæterùm neque defuerunt malorum horum levamenta, quæ paſſim ſuggerebantur. Ingens damnum ex triſti hoc obitu etſi paſſa ſit Eccleſia, tamen non defuturum impoſterum etiam Eccleſiæ ſuæ Chriſtum, qui pretioſo ſanguine ſuo eam redemit, dum ſincera ei fide adhæreamus. Adhuc balſamum illud ſuave, & pretioſum chariſmatum Spiritûs ſancti, ſummi Sacerdotis noſtri vertici ſine menſura ſuperfuſum, deſcendere ſuper barbam Aaronis, & inde ad ſacræ veſtis limbum, & ſubjecta Eccleſiæ membra. Quoad literas & inprimis ſtudia Orientalia, quæ in Hottingeri caſu ruinam minitari viſa, ſiquidem adſanctificandum Dei nomen, & propagandum Evangelium comparata ſunt, alios Deum ſuſcitaturum, qui ſi non pari ſucceſſu, at certè non minore ardore in ea incumbent. quo argumento magnus ille Golius literis nuper ad me exaratis ſe conſolatus eſt. Ipſius Hottingeri filios, quos poſt ſe reliquit, benigniori jam ſpei radio nos illuſtrare, neque quidquam reliqui facturos, ut

χειμή-

κειμήλια paterna quandoque in uſum Eccleſiæ depromant. Iam & publicas calamitates, quas ejusmodi Eccleſiæ & Reipublicæ luminarium mors portendere videtur, ſupplicationibus & reſipiſcentiâ minimè fucatâ averruncari poſſe. Fuerit ille γόνυ χλωρὸν genu viride, mortuus viridi & florente ætate, adeóq; ſi futura merita reſpicimus, præcociter & intempeſtivè. At maturum tamen fuiſſe Domino כגדיש inſtar manipuli tritici hordeo tempeſtivi, uti Iobus loquitur. Quos Deus diligit, eos ἀποθνήσκειν νεανίσκους, *mori juvenes*. Véram ſcitámque eſſe illam gnomen Baudianam:

Non temporum tenore, ſed laudum modo
Definienda eſt vita. Sat vixit diu,
Quem nec pudet vixiſſe, nec piget mori.

Deniq; nec mortem ipſam, quam perpeſſus eſt Vir deſideriorū Dei, cum chariſſimis illis lethi conſortibus, videri debere vel ingloriam, vel noxiam, quaſi non æquè patente ad beatam æternitatem januâ. Opinionem eſſe, quæ attollit & exaggerat mala, & velut cothurnis quibusdam auget. Demendam eſſe illam circumfuſam nubem, & rem videndam in clarâ luce, non vana & circūpoſita rebus. Mortem utiq; Sanctorū nullo diſcrimine pretioſam eſſe in oculis Domini, utut in oculis noſtris videatur flebilis. Non potuiſ-

potuiſſe malè mori, ſemper qui bene, qui Domino vixit. Initia noſtra & finem, ac certum imminentium ordinem Deo curæ eſſe, nec in incerto Chriſtianis judicium eſſe oportere, Providentia ne Numinis res mortalium, an forte volvantur, cùm ipſis Gentilibus inſita fuerit opinio, fatum congruere rebus, & *πάντων ταμεῖον ἔργων ἐν ὀυρανῷ εἶναι*. Divinitùs immitti, quæ mala nobis videntur, ideóq; ab ipſis Gentilib⁹ rectè nuncupata *ξυμφορὰς θεηλάτους*. His autẽ qui diligunt Dominum, omnia cooperari in bonum, nec poſſe eos vel mortem, vel vitam, vel ullam denique creaturam ſeparare à dilectione Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Dies noſtro eſſe חרוצים *ἀριθμητοὺς numeratos*, & *τὸν Θεὸν τοῦ μέτρου* unicuiq; hominum definiviſſe *μέτρον τοῦ κανόνος menſuram canonis* tum aliarum rerum omnium, tum vitæ. Jam præiviſſe etiam tot fortes athletas & callinicos, qui vel in ejuſdem mortis diſcrimen adducti ſunt, vel eodem fato defuncti. Ieſum Chriſtum illum ſalutis noſtræ Principem, & duodecim ejus diſcipulos ſemel, eminentiſſimum gentium Apoſtolum Paulum ter marinarum tempeſtatum rabiem perſenſiſſe, & vitæ ſuæ periculum adiviſſe. Fridericum Barbaroſſam in Armenia; Hartmannum Rodolphi Impera-

peratoris magnæ ſpei filium, Rhinaviæ vicinæ; Ferguſium & Donevaldum Scotorum Reges; Fridericū Henricum Comitem Palatinum, Ludovici Regis Bohemiæ filium primogenitum, & ante ipſum Friderici III. Electoris Palatini filium, quo cum magnus ille Olevianus idem periculū ſubierat; Ludovicum Comitem in Eberſtein, Academiæ Francofurtenſis ad Viadrum Rectorem; Franciſcum Gonzagam; Marulum Poetam, Pontani diſcipulum; Guilielmum Neſeum Virum doctiſſimum, Luthero & Eraſmo, qui crebras ad eum epiſtolas dedit, chariſſimum; ante annos 40. Bruggæ vicinæ ultra centum homines, & inter eos Benedictum Rauw Eccleſiæ Bruggenſis Miniſtrum; Carentone nuper homines plus quam triginta, & eos pleroſque non infimæ ſortis: alióſque innumeros, nullo piorum & impiorum, fidelium & infidelium diſcrimine, eodem mortis genere abreptos eſſe. Neq; verò deeſſe exempla virorum doctorum, qui indigniori adhuc fato oppetiere. Ita Euripidem canum morſibus laceratum; Æſchylum teſtudine è ſublimi ab aquila in caput jactâ extinctum; Sophoclem uvæ acino ſtrangulatum: Polybium lapſu ex aqua mortuum; Philemona Syracuſanum, & Philiſtiona Nicæenſem riſu

diſceſſiſſe. Denique cui dubium eſſe, quin inſtar Ionæ clamaverint ad eum, qui exaudit etiam ex aquis? Quin Hottingerus mediis tranquillus in undis Theologiæ ſuæ fructu ſuaviſſimo ſe ſuſtentaverit, juxta illud Iobi XI. 16. *Miſeriæ oblivifceris, & quaſi aquarum, quæ præterierunt, recordaberis. Et ſupra meridiem ſtabit vitæ lux, & cùm te conſumtum putaveris, vives ut matutinum. Habebis fiduciam propoſitâ tibi ſpe, & ubi foderis* (defoderis paxillos tentorii tui) *ſecurè cubabis.* Quin denique caput illud XIV. Iobi, quod Deus antehac ipſi per ſomnum ſuggeſſerat, conflictatus cum mortis angoribus animo compoſito ruminaverit, & ex illo his potiſſimùm verbis altiùs meditatis indormiverit: *Homo natus è muliere brevis eſt diebus, & ſatur irâ. Sicut flos egreditur & exciditur, & fugit velut umbra, & non permanet. Definiti ſunt dies ejus, & numerus menſium ejus tecum eſt. Statuta ejus feciſti, & non præteribit. De arbore ſpes eſt, ſi præciſa fuerit, adhuc pullulabit, & propago ejus non deſinet. Si ſenuerit in terra radix ejus, & in pulvere mortuus fuerit truncus ejus, ab odore aquæ germinabit, & faciet meſſem, ſicut planta novella. Sic homo obdormit, nec reſurget, donec non fuerint cœli. Vocabis & ego reſpondebo tibi. Opus manuum tuarum perdere deſiderabis?* Jam

& malignorum ſiniſtra interpretamenta minimè extimeſcenda eſſe. Nam ex eventu, quem homo & bruta ſæpe communem habent, judicium formare de hominibus, non ſapientis eſſe, ſed profanorum, quorum animos non feriunt niſi ea, quæ ante oculos jacent, prætermiſſis altioribus illis, inprimis æternâ conſtitutione, nexúque cauſarum latentium, & multò ante deſtinatarum. Peſſimum eſſe hominum ſuperborum & hypocritarum morem, de ſe nunquam non benignè, de aliis iniquè judicantium. Sicut judicio Chriſti deteriores non fuerunt, quos turris in Siloë corruens oppreſſerat, reliquis Hieroſolymitanis univerſis; nec meliores Galilæi, quorum ſanguinem cum victimis non permiſcuerat Pilatus: ita eos, quos improviſi caſus auferunt, eo argumento minimè deſpiciendos, nec quicquam graviùs de illis ſentiendum eſſe. Verum eſſe illud Sapientis הכל כאשר לכל *Singulis* accidere poſſunt *quæ omnibus*: Et illud Publii Syri: *Cuivis accidere poteſt, quod cuiquam.* Judicia DEI eſſe imperſcrutabilia, & vias ejus imperveſtigabiles. Quantùm cœli altitudine ſuperant terram, tantum vias cogitationésque DEI, ſupra vias & cogitationes hominum ſcandere. Velum quoddam eſſe,

quod Deus ſuis obducit operibus, quorum proinde cauſæ in receſſibus Divinæ ſapientiæ abſtruſæ tam non ſcrutandæ ſint, quàm non penetrandum in adyta Dei. Hoc unum altè nobis eſſe infixum debere, quod Salvator noſter Hieroſolymitanis dixit: *Niſi pœnitentiam egeritis, ſimili modo omnes peribitis.* Hæc illa copia eſt judiciorũ de morte Hottingeri noſtri, & ſuaviſſimarum conſolationum, quibus utcunque animos ægerrimos ad firmitudinem retulimus. Tu interim, ô pia & excelſa anima, Vale, & lætus pacatúsq; fruere gloria, Tibi ſelecto ejusdem organo longè ante incunabula mundi decreta & præparata. De cætero quicquid ex Hottingero amavimus, quicquid mirati ſumus, manet, manſurúmque eſt in animis hominum, in æternitate temporum, fama rerum. Multos alios velut inglorios & ignobiles oblivio obruet. Hottingerus poſteritati narratus & traditus, monumentisque ære fixo perennioribus innixus, ſuperſtes erit.

PECTO-

Σ. Θ.

חשן המשפט

PECTORALE JUDICII,

Sive

ORATIO INAUGURALIS,

De

GEMMIS THEOLOGICIS.

MAgnifice D. Rector, Nobiliſſimi & Ampliſſimi inclytæ hujus Academiæ Curatores, Conſules, & Senatores Reipublicæ Lugdunenſis ſpectatiſſimi: Doctores, Profeſſores celeberrimi; Paſtores vigilantiſſimi; cæterique, quotquot adeſtis, Auditores omnium ordinum honoratiſſimi: Túque florentiſſima ſtudioſæ juventutis corona.

De *Davide*, Pſalte ſanctiſſimo, eodémque Rege & Propheta auguſto, felici, pio, Sacræ commemorant Literæ, quòd teneram vix egreſſus ephebiam, tyrocinium in Monomachia Goliathi, immani mole cyclopis poſiturus, arma quidem regia, ga-

* leam

leam chalybeam, gladium, loricam, Schaulis ut mandato & deſiderio ſatisfaceret, admiſerit; mox tamen, quod nec apparatum illum bellicum tractare, nec commodè, tot impedimentis oneratus, incedere aſſueviſſet, abjectis ferro & chalybe, veluti novitate & inſolentiâ rei attonitus, in hæc ingenuus adoleſcens eruperit verba: *Non poſſum cum iſtis incedere!*

Liceat & mihi, non ephebo ampliùs, tyroni tamen, & pugnandi peritia tot paſſibus inferiori, ad prælia Domini me accincturo, fateri palàm, & hanc mihi palæſtram inſuetam eſſe.

Non enim didici, *Auditorès* omnium Ordinum *honoratiſſimi*, modò in Orientalium detentus ſinuoſis antris, modò Hiſtoricorum irretitus mæandris, varióque, mediæ cumprimis ætatis, Scriptorum dicendi genere, ſcabroſo ſæpe & inficeto, à lactea Romanæ facundiæ via in devia abreptus, ita tersè pro roſtro dicere, ita caſtigatè, ita delenificè, ut Auditorii tam illuſtris, támque eruditi vel aures demulcere poſſim, vel flectere mentes.

Et quanquam veſtigiis eorum, quos veluti infans ego Hercules veneror, & admiror, inſiſtere utcunque aſſueviſſe videar; pygmæum tamen tantùm, qui de gigan-

gantum humero proſpiceret, me fuiſſe, more gentis, quæ Scapham ſolet appellare Scapham, candidè profiteor.

Erubui, à longo ſatis tempore, & ex quo Athenas reliqui Palatinas, in panegyrin prodire adeò frequentem, cathedram conſcendere Academicàm, & tot præcellentiſſimis ingeniorum æſtimatoribus, meam in dicendo prodere ruditatem.

Quid ergò? Nonne rectiùs multò & Academiæ Veſtræ conſulerem, & famæ etiam caverem meæ; ſi & ego ſplendida Profeſſorum Leidenſium inſignia abjicerem, togam, publica quidem authoritate, aurigantéque amicorum benevolentia, impoſitam, protinus deponerem, verbóque dicerem: *Non poſſum cum iſtis incedere*; quàm ſpecioſo hoc Syrmate, cum Academiæ, toto orbe celeberrimæ ſive tædio, ſive etiam detrimento, riſum aliis, aliis ludibrium excitarem.

Sed redeat in præcordia virtus! Neque enim, quæ lorica mea eſt, & galea chalybea, umbra huc acceſſi, non ambitu ſuperciliofo, non artibus malis, aut prenſatione illiberali opellam meam obtruſi: Sed veſtra, *Curatores Nobiliſſimi & Ampliſſimi*, authoritate ſecundùm vocatus, Veſtra *Profeſſores celeberrimi*, benevolentia

blandè invitatus, Reipublicæ denique, Vobis & ſanctiſſimo religionis nexu, & arctiſſimo amicitiæ vinculo junctiſſimæ, conſenſu, huc dimiſſus & almæ ſtudiorum matri, *Leidenſi*, *Leidenſi*, inquam, Academiæ, in cujus me ære inde ab anno hujus Seculi 39. (lentum profecto nomen!) fuiſſe, minimè diffiteor, ἀμοιβὰς, ſi quæ in me ſunt, ἀποδοῦναι, propitio Deo Opt. Max. faventibus Mæcenatibus, conſtitui.

Quòd ſi verò neque ego arma cum Davide ferrea aut chalybea gerere didici: Si ſublimiora aut graviora, ocello veſtro digna, tractare non conſuevi: Lapides, ſpero, ſupererunt & pedum, quibus contra urſos, contra leones, contra vaſta mole gigantes feliciter Jeſſiades uſus eſt. Cur enim noſtra nos terreat res anguſta domi, qui novimus cæleſte ritè pulſantibus patere armamentarium; nec aliis, quàm egenis & ad incitas redactis, ſui copiam libentius offerre. Nunquam Solis ſanè beneficium majus eſt, quàm cùm radiis ſuis tenebras diſcutit. Nec potentia omnipotentis illuſtrior, quàm ſi in abjectis & fragilibus ſe exerit vaſis. Dei ergo fretus auxilio, ejus nixus præſidio, ſtipatus ſatellitio, in hanc deſcendo arenam. Sed & veſtra exploratè mihi perſpecta animum ad-

dit

dit humanitas. Voluiſtis me adeſſe: Cur ergo vel aſpectum ſubire Veſtrum, Veſtras occupare aures, Veſtros intueri vultus, Veſtro me vel patrocinio, vel Collegio commendare exhorreſcerem? Cur ſummum de vobis præſenti non polliceor favorem, quem abſentem, longiſque diſſitum ſpatiis tot devincire non dedignati eſtis prolixi affectus documentis? Neque verò ego, quòd curtæ mihi conſcius ſim ſupellectilis, quod metuam, ne infanti Herculis cothurni ſint aptati, animum planè abjicio: Ibo quò potero, reliqua Deo, & Veſtræ ἐπιεικείᾳ, quæ & conatum æſtimare ſolet, commiſſurus.

Ne verò illotis, quod ajunt, manibus, Sacrarium hoc ingrediamur, liceat, bona veſtra cum venia, & nobis ſolenni aliqua Oratione Provinciam noſtram, illuſtrem quidem; ſed gravem & periculoſiſſimæ aleæ pleniſſimam, auſpicari. Et quanquam tum ea temporum noſtrorum ſit facies, ſqualida profectò & cadaveroſa, tum materiæ etiam dubia ſe offerat ubertas, adeò ut optio difficilis videri queat; nihil tamen vel præter officium, vel attentam etiam veſtram expectationem tentaturum me confido, ſi ſuccinctè & breviter, ſine fuco & phaleris, Ideam Vobis Theologi

Chriſtiani, rudi penicillo delineatam, exhibuero.

In animum quidem induxeram meum, in gratiam Ornatiſſimorum D. D. Studioſorum nonnulla, *καὶ μάλα καίρια*, vel de Methodo ſtudii Theologici proferre in medium, vel luculentas, quibus Theologia reformata gaudet, ordine enarrare prærogativas, malui tamen, curſu nonnihil obliquato, de iis, quæ Theologum ipſum ornant atque abſolvunt, quæ dignitatem muneris Theologici, comparatione cum ſummo V. T. Sacerdote inſtituta, ob oculos vivis, quoad fieri poteſt, ponere coloribus. Non ibimus per ſingula, ſed arte non minus, quàm pretio in Sacris Pandectis nobis commendatum, paulò exactiùs contemplabimur חשן המשפט *Pectorale judicij*.

Magna ſummi Sacerdotis in populo Iſraëlitico olim erat authoritas, externo etiam veſtitus ſplendore, ut omnium in eo defixi hærerent oculi, non obſcurè expreſſa. Cum enim, illi qui כהן הדיוט *vulgaris* erat *Sacerdos*, quatuor tantùm deſtinarentur veſtes ſacræ, tunica, fæmoralia, cidaris & cingulus; כהן גדול *Sacerdos* magnus pectorali inſuper ſplendebat, amiculo, pallio, & lamina. Nihil in toto hoc

appa-

apparatu veſtiario otioſum erat, nihil quod oculos & corporis & animi, non paſceret, delectaret, & acueret: Myſterii enim, & ſenſus reconditi locupletiſſimum erat cornucopiæ: Nihil vulgare, nihil ſordidum aut abjectum, quod cortice tantùm ſpectatores attentos deluderet, Sacerdotalis admittebat ornatus. Ἀποσκιάσματα, umbræ erant, quibus & Chriſti Majeſtas, & ſervorum quoque ejus, quos & ipſe Reges conſtituit atque Sacerdotes Deo Patri, dignitas, exerto veluti digito, & Prophetico gnomone notaretur. Unum verò præ cæteris admiratione dignum occurrebat, accuratioris attentionis theatrum, *Pectorale judicii*, ad quod quarumcunq; Gentium Myſtæ, Cemarim, Dryades, Flamines, Pontifices, Bramines ornamentis ſuis ſacris, mitris, Diadematibus, ne eninus quidem poterant accedere. Sive enim ipsum pectoralis illius, ſpectemus uſum, qui cæterorũ multis paraſangis ſuperavit imitamenta, ſive artem, ſive pretiũ, ſumma omnia & ita comparata erant, ut nemini rectiùs, quàm ſumo V.T. Sacerdoti convenirent. Honeſtè quidem Synagoga Judaica ſepulta pridem eſt; ita tamen, ut non ea tantùm, quæ morum inſerviunt emendationi; ſed & ad fidei pertinent confirma-

tionem *τύποι ἡμῶν ἐγενήθησαν*, typorum nobis uſum præbeant. Aptemus ergo lacertos, & quàm appoſitè tota illa pectoralis Aharonici ſtructura, *Vrim & Thummim*, lapides denique ejus inſititii, Theologis etiam N.T. vindicentur, experiamur. Nihil dicemus, quod violentum videri queat, aut obtorto collo raptum. Perſpicua tantùm *ἀλληλουχίᾳ*, & Scripturarum palàm faciamus collatione, tria hæc, quibus Deus ſummum V.T. Sacerdotem communi exemtum voluit cæterorum ſorte, *pectorale judicii*, *Vrim & Thummim*, *lapides* denique *inſititios* in N.T. Theologo minimè deſiderari poſſe. Hic Rhodus, hîc nobis, occaſione adeò præclara nobis blandiente, ſaltandum video. Veſtram interea, Auditores honoratiſſimi, benevolentiam ita ſolicitamus, ut non poſſimus non & aures patulas, & judicium expectare æquiſſimum. Eccur enim illi, quem ad Rheni propemodum fontes, inter montium juga *λαθόντα βιώσαντα*, tam eximia proſecuti eſtis humanitate & affectu inſolito; præſenti jam, & oſtia Rheni, modeſtè pulſanti vel conſuetam in audiendo facilitatem negetis, vel probatam aliis in judicando æquanimitatem. Veſtra hæc laus eſt, Veſtra fama hæreditaria, peregrinis Vos ſponte

te dexteram amicitiæ porrigere. Cur igitur moroſa extimeſcam judicia, quòd, etſi nec ornatè ſatis dicturus ſum, nec pro tam ſplendidi Auditorii dignitate comtè, nec graviter de re graviſſima, nec prudenter, utpote qui hoſpes, facilè, etſi non malitiosè aut temerè, impingere poſſim; juſſus tamen verba facere, obſequii manus dare, quàm tergiverſari peritiorique hanc tradere lampadem maluerim.

Sed ipſam rei arcem invadamus. Tria potiſſimùm, Pontificem V. T. Maximum, commendâſſe, modò meminimus, *pectorale judicii, Urim & Thummim, lapidum denique pretioſorum inſitos diſtinctos ordines.* Et de *pectorali* quidem, *Facito*, inquit Deus Moſi, *pectorale juris, opere artificioſiſſimo. Pectorale* igitur, ſive thoracem juris aut judicii (utrumque enim ſenſum voces Hebrææ admittunt) Moſes artificiosè concinnare jubetur, ut Pontifex Maximus, Deum conſulentibus, de jure reſponſurus, illud indueret. Quicquid enim Iſraëlitis vel dubium, vel intricatum, aut incertum videri poterat eventu (in religionis enim capitibus, aut fidei controverſiis ad legem illi vocabantur & teſtimonium) oraculi hujus compendio erat expediendum. Res, mirum dictu! facilis e-

rat & aperta. Siſtebant ſe ſciſcitaturi ſummo Sacerdoti, pectorali induto, dubia, indubia ſolutionis ſpe; proponebant, reſponſa expectabant: Sacerdos verò pectorali ornatus adeò clarè reſpondebat & perſpicuè, ut de voluntate divina nullus quærenti relinqueretur ſcrupulus. Ingens beneficium Synagogæ, quod Diabolus, veluti ſimia, oraculis ſuis obſcuris, flexiloquis, æmulari potiùs quàm imitari conatus eſt. Atque hæc ratio pectoralis fuit judicii Aharonici. In N. T. Oeconomia non Theologus; ſed larva, ſed *κωφὸν πρόσωπον, κεφαλὴ ἄπερ ἐγκεφάλου* eſt, quisquis absque *pectorali judicii*, absque Scriptura Sacra, pectori ipſi inſculpta, ſe ingerit, aut Profeſſoris Theologi axioma temerè uſurpat. Eſt enim Scriptura Sacra verè חשן המשפט *λογεῖον τῶν κρίσεων* (ut LXX. viralis habet translatio) certiſſimum omnium judiciorum rationale, index, vindex & judex. Quisquis ergo animum ad publicam profitendi ſacras literas applicat munus, *pectorale* hoc ſibi facito: Id eſt: *Sacras literas à puero imbibat,* ruminet, retineat, &; quoties opus; *tanquam fidus paterfamiliâs, vetera & nova promat.* Quod enim miles eſt absque armis, Jurisconſultus absque legibus, medicus absque pharmacis, corpus abs-

absque anima, id ferè Theologus eſt absque ſolida S. Scripturæ notitia. Quinque potiſſimùm veteres Hebræi in Sacerdote ſuo magno admirati ſunt prærogativas חכמה כוח נוי עשר ושנים ſapientiam, vires, pulchritudinem, divitias, & annos: uti in *Vajkr. rabb.* §. 26 ſcribunt. Hoc verò Romanorum more eſt *μετὰ πολλῆς φαντασίας* in re ſeria pene nugari. Ille nobis erit magnus Apollo, qui *δυνατὸς ἐν γραφαῖς, potentem ſe præſtat in Scripturis.* Eſt autem *pectorale* hoc judicii tantò precioſius, quòd non vitæ modò emendationi, ſed & fidei confirmationi operam affert ratam. Ut enim provincia Theologica ampliſſima eſt, & quæ plus longè in receſſu habet, quàm frontiſpicium præ ſe ferat: Ita extra controverſiæ ponimus aleam, nihil in hujus mundi occurrere labyrintho adeò perplexum & impeditum, quod cœleſtis hujus *pectoralis* beneficio ſolvi non poſſit, aut expediri: In quo elucet venéranda ſtyli majeſtas, verborum ſancta gravitas, Hiſtoriarum infallibilis veritas, promiſſionum certiſſima liberalitas, comminationum ſumma ſeveritas. Docendi ſunt imperiti? *Utilis eſt Sacra Scriptura ad doctrinam.* In ordinem redigendi vel in fide errantes, vel in moribus devii? *Utilis eſt S. Scriptura ad redar-*

redargutiorem & correctionem. Erigendi ſunt infirmi, & deliquium propemodum paſſi? *Perfecta eſt Lex Dei,* quæ & defeſſam aut deliquio proſtratam reſtituit animam. Solatio demulcendi ſunt fracti & attriti? meminerimus, quòd *quæcunque ſcripta ſunt, ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam, ut per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus.* Ægroti medicinam deſiderant? Eſt Sacra Scriptura nimirum illud, quod tutò, citò & jucundè curat, ἰατρεῖον ψυχῆς. Partes litigantes, & de fidei capitibus ſoliciti judicem poſcunt? Λογεῖον κρίσεων, quo inſtructus eſſe debet Theologus, videant & audiant; illud conſulant, humana authoritate omni protrita. *Neque enim*, inquit *Auguſtinus, ego Nicenum, nec tu debes Ariminenſe tanquam præjudicaturus proferre concilium. Nec ego hujus authoritate, nec tu illius detineris. Scripturarum authoritatibus res cum re, cauſa cum cauſa, ratio cum ratione certet.* Sed inter judicata hoc pridem retulimus, adeò hoc rationale S. Literarum Chriſtianæ Eccleſiæ Theologis & decorum eſſe & neceſſarium, ut diutiùs iſtis immorari ſit oceano ſuggerere aquam, ſoli lucem.

Ad *alterum* igitur accedimus ſummi Sacerdotis *ornamentum*, *Urim & Thummim*, de quibus expreſſa Dei ad Moſen verba:

Dein.

Deinde ponito in pectorali illo juris Urim & Thummim, quæ ſint ſupra cor Aharonis, cùm ingreditur coram Jehova. Erat *pectorale* Aharonicum כפול *duplicatum.* Cujus excavatæ utrinq; partes *Urim & Thummim* claudebant. Novus hîc excurrendi, falcémque Philologico-Theologicam in uberrimam mittendi meſſem ſe offerret campus. Hæc enim de *Urim & Thummim* ſeges, ſi quæ alia, copioſiſſima eſt, adeò ut nihil in ea propemodum, quod vindicem accuratiorem non mereatur, occurrat. Ipſæ quidem voces uſum ſatis habent tritum, quæ *lucem lucidiſſimam* (hanc enim Emphaſin in plurali agnoſcamus numero) & *perfectionem* notant *perfectiſſimam.* Unde & LXX. δήλωσιν καὶ ἀλήθειαν, *revelationem & veritatem* reddunt. Vulgatus *doctrinam & veritatem.* Samarit: *Elucidationes* & *perfectiones.* Syrus, *Lucem* & *perfectionem.* Arabs *Dilucidationes* & *certitudines:* Eodem ferme omnium redeunte ſenſu. Res verò ipſa ita intricata eſt, & diverſiſſimis authorum judiciis exagitata, ut, quid non fuerint, quàm quid fuerint *Urim & Thummim*, facilius ſit definire. Sed quando alibi lucem, quam potuimus, luci huic in tenebris fœnerari ſumus conati, actum agere minimè erit conſultum. De eo potiùs laboremus, ut No-

vi

vi Teſtamenti conſtet Theologo, jam olim, Deo myſticis, Urim & Thummim, Symbolis ſummi Sacerdotis pectorali inſertis, nobis etiam, quid officii eſſet noſtri, aurem placuiſſe vellicare: Eúmque demum axiomate Theologi dignum, cujus pectorale *Urim & Thummim* ornatum eſſet atque munitum, oſtendere. *Urim, luminibus, luminibus*, inquam, Doctoris pectus colluſtrandum eſt. Et ſane absque his luminibus merſa tenebris mens humana, atque densâ ex peccato nocte obducta, circa Deum, réſque divinas, caligaret. Neque verò dubium ſufficit lumen, fuſcum, nebuloſum aut obſcurum. Non eſt Theologus μορμολύκειον, aut ſtatua Mercurialis, quæ muta ſemper & immota, viam tantùm indicando, ſed & viva voce, docendo, illuſtrando monſtret. Inter primas Theologi partes refertur, ut ſit διδακτικὸς, *ad docendum aptus.* Didicerit ergo priùs, pectúsque ſuum luminibus ſcientiarum, & methodi facilitate imbuerit, neceſſe eſt, quàm docere præſumat. Non quidem requirimus in Doctore publico eum luminis fulgorem, qui extra ſive ignorantiæ, ſive erroris nebulas aut obſcuritatem Eum conſtituat. Papicolarum hoc poſteriorum ſuaviludium eſt, qui Aharonicum *Urim & Thum-*

mim ad Pontificis Romani ἀναμαρτησίαν ſive (detur venia verbo *Tertulliani*) impeccantiam ſuæ ſervire cogunt hypotheſi. Non ingerimus hîc Lulliana illa ænigmata, aut numeros Platonicos, quos ne vel ipſe Oedipus aſſequatur, vel Elias Thisbites expediat. Ea modò ad obeundum munus ſuum Doctor afferat Subſidia, quibus ſine nec commiſſam ſpartam cum laude adminiſtrare, nec expectationi ſuorum ſatisfacere, nec Profeſſioni dignè reſpondere poterit. Seriò expendat ſemper, non ita arcta Theologorum eſſe pomœria, ut decempedâ ea quisque ſuâ metiri poſſit. Quot inter os quotidiè cadunt, & offam, quæ in arena ſæpe conſilium capere jubent? Quot inexpectati caſus, quibus Theologorum tentantur judicia? Quot ſcopuli, quot anfractus? Jam pro Cathedra utiliter docendum: modò adverſarii intra officii limites vel detinendi, vel redigendi: modò antiquitatis larva Novatoribus detrahenda: modò vitioſæ lectiones caſtigandæ: modò plurimorum abſurdorum & impiorum dogmatum meſſis in ipſa herba ſuffocanda: conſcientiæ torpentes excitandæ; proſtratæ erigendæ: cauterio inuſtæ reſecandæ: erroneæ revocandæ. Illic cum tyronibus negotium

hic

hîc cum veteranis. Illis γάλα ἄδολον, *lac ſincerum*, his ςερεὰ τροφὴ, *cibus ſolidus*: Utriſque ſuùm demenſum debetur.

Ad hæc verò ut cum *Apoſtolo Gentium* exclamemus, τίς ἱκανὸς, *quis ſufficiens?* quis dignus eſt? Neque verò ſufficit, Theologi pectus variis ſcientiæ luminibus eſſe φωτεινὸν: *Thummim, perfectiones* etiam requiruntur: ſtudium virtutum Chriſtianarum, ſine quo ſcientia omnis gladius eſt in manu furioſi; monile in collo porci; velut perſonatus hiſtrio, ſchema alienū in ſcena mentiens. Cui enim bono profunda ſcientia absque conſcientia? Polita lingua ſine probata vita, niſi forſan ut quis accuratè referat *Nebucadnezaris* Babylonii ſtatuam, cujus aureum caput in luteos deſinebat pedes: vel bufonem, gemmatum ſi fortè capite, toto reliquo corpore venenatum Sedeat itaque in labris ſuada, ſed & in fibris gratia, quæ ſola verè flexanima & medulla ſuadæ penetrantiſſima eſt. Quoniam verò utrunque hunc veri Theologi characterem gemina oratione, altera quidem in *Antiquiſſima Archipalatina*, altera verò in *Illuſtri Tigurinorum Athenæo*, pro virili uberiùs expreſſimus, ad ea, Auditores honoratiſſimi, properabimus, quæ tertio loco in pectorali Aharonico contemplanda proponun-

ponuntur. *Speculum* nempe Theologicum abſolutiſſimum. Quatuor ordinibus diſtinguebantur lapides pectorali inſiti, unicuique etiam ordini triga aſſignabatur. Et inprimo quidem ordine fulgebant *Pyropus*, *Topazius*, *Smaragdus*: In ſecundo micabat *Chryſopraſus*, *Sapphirus & Adamas*. In tertio ſplendebant *Cyanus*, *Achates & Amethyſtus*. Quartum denique conſtituebant *Beryllus*, *Thalaſſius*, *Sardius & Iaſpis*. Nolumus gemmariorum ingredi officinas, & quæ de lapidibus vel Antiquitas habet, vel recentiorum induſtria ſuggerit; cathedræ Theologicæ aſſerere, vel ordine lapides nominibus & ſitu diſtinctos curioſè examinare. Majus operæ pretium in re quærimus, reperturi etiam illud, ubi Deus cœptis noſtris faverit. Nempe, ut pectorale Aharonicum gemmis & lapidibus pretioſis, toti populo conſpicuum & admirabile fuit: Ita & pectus Theologi Chriſtiani gemmis virtutũ venerabile ſit, oportet. Et quanquam ſuis quibusq; ordinibus diſtinctas virtutes, diſtinctis lapidum trigis aptare poſſemus, brevitatis tamen habituri rationem, ea tantùm hoc loco Theologi recenſebimus ornamenta, quæ Aharonici pectoralis lapidibus maximè reſpondent.

Niteat ergo Theologi pectus religioſa

modeſtia; fortitudine cum lætitia conjuncta; veritatis & ſanorum ſermonum ſtudio; caſtimonia oris, cordis & calami; δυνάμει ἑρμηνευτικῇ, ſive dexteritate docendi.

In prima ergo acie gemmarum Theologicarum *modeſtiam* collocamus *religioſam* in myſteriis tradendis ſacris cumprimis neceſſariam. *Sardio* lapidi ſcriptores naturales inter alia tribuunt, quòd ſanguinem è naribus fluentem compeſcat, ne nimia αἱμοῤῥυγία corpus debilitetur. Modum ergo teneat Theologus, ne nimia curioſitate limites tranſiliat. Myſteria ἄῤῥητα καὶ ὑπέρῥητα debita potiùs reverentia miretur, quàm profana mente rimetur. Eſt ſtudium Theologicum Oceanus, qui & abyſſum ſuam habet, & tremendos hiatus. ὦ βάθος πλούτου; *profunditatem divitiarum tum ſapientiæ tam cognitionis!* Ipſe, qui in tertio cœlo ſummum Theologiæ aſſecutus eſt apicem, exclamare habuit neceſſe. Ad ignem Sacrarum literarum ita accedat Theologus, ut incaleſcat, non verò lampyridum inſtar conſumatur. Deſidiæ quidem eſt, ea, quæ *ſummus* revelavit *Magiſter*, ignorare: ſed & temeritas, ea ſcrutari, quæ latere nos idem maluit. Cœlum multi perrepere volunt; Deum infinitum, Angelos inviſibiles, conſilia æterna, vias ἀνεξιχνιάστους καὶ

ἀνεξερ

ανεξερευνήτȣς, craſſa & inutilia ſæpe terræ pondera rationis ſuæ decempeda metiri volunt. Et qui ne in terra quidem greſſum ſuum formare didicerunt, tertii ſibi cœli faſtigium appetunt. Quid abſurdiùs quæſo eſt, quàm propterea & Majeſtati divinæ, & Scripturæ Canonicæ de S.S. Trinitate, & incarnatione filii Dei, de prædeſtinationis decreto, & ſi quæ ſunt alia pietatis Chriſtianæ myſteria, loquenti diſertiſſimè, detrahere, quòd nec cœca & corrupta ratio ea videat, nec claudus & mancus, imò mortuus in adyta illa ſuis viribus penetret? Hoſpitem habemus animum quotidianum, indivulſo corpori nexu ſociatum; Ignotum tamen fermè, & cujus non ſatis aſſequi poſſumus abditos receſſus. Generationem hominis, quin & animalculorum abjectiſſimorū quotidianam obſervamus; quot tamen amabò in ea occurrunt, quæ humana hactenus induſtria non potuit inveſtigare? Et pervium eſſe exiſtimemus æternum & infinitum ſpiritum, æternam & incomprehenſibilem filii Dei generationem? Alia Chriſti diſcipulis mens ſit. Quò res abſtruſiores Theologicæ, eò religioſiùs tractentur. Cùm leges in monte *Sinai* ſummus tuliſſet *Legislator*, ſerperaſtris & cancellis populus Jſraëliti-

 cus,

cus, ne curioſiùs ſe ingereret, erat arcendus. Qui intimæ admiſſionis erat Miniſter *Moſes*, faciem tamen Dei intueri non poterat. Non ignea tantùm columna, ſed & nubes, Dux Jſraëlitarum per deſertum eſſe debebat, ut luci ſemper mixtam eſſe caliginem, diſceremus. Qui in Sanctum ſanctorum velo à conſpectu vulgi ſubducti erant Cherubini, faciem abſcondebant alis, ut ne primarii quidem ignorare poſſent myſtæ, quantùm in hac ſchola crucis eſſet, quod neſcirent! Cognoſcere ex parte, & Prophetare ex parte, confeſſionem & teſſeram eſſe Apoſtoli, pleniorem notitiam ſupremæ lucis Academiæ reſervandam. Prima erga coronæ Theologicæ gemma ſit *modeſtia*, quæ neque in operta temerario impetu prorumpat, neque aperta inacceſſa putet.

Altera pectoris Theologici ſuccedit *gemma*, *generoſa fortitudo*, animus intrepidus, frons exporrecta, & quæ obrepentis ex edacibus curis triſtitiæ modum ponit, *mentis hilaritas*. Fortis ergo (audacem enim vel temerarium φιλοκίνδυνον ſacra hæc palæſtra non admittit) Athleta ſit Theologus Chriſtianus. *Adamas* præ cæteris in pectorali Sacerdotali fulgebat gemma, puſilla tametſi moles, ignibus injecta intentiſſimis,

ſimis pertinax atque illæſa ita permanet, ut nullam prorſus ignis violentiam admiſiſſe palàm oſtendat. Unde & indomitam antiquis vocari gemmam invenire eſt. Adamantinus eſſe debet Theologus, χαλκέντερος, qualis *Origenes* fuit, laboris patiens, injuriarum contemtor, & qui pericula quælibet ex alto deſpiciat. Non eſt obſcura, deſidioſa aut otioſa Theologi provincia. Sparta eſt luculenta, ſed laborioſa, omnium injuriis, theonini cumprimis dentis morſibus expoſita. Militia eſt univerſa vita humana; Theologicam Profeſſionem militiæ eſſe Scholam, quis eat inficias? Qui ergo huic militiæ nomen dedit, intrepidè pericula adeat, moleſtias fortiter devoret. Cum *Moſe* Ægyptum, deliciasque Ægyptiacas conculcet; cum Samuele Amalekitarum tyrannidem proterat; cum Davide limina Ædis Dominicæ principum aulis præferat; cum Paulo denique μέχρι αἵματος *usque ad ſanguinem* pro Chriſto, pro Rege ſuo, Lege & grege decertet. *Sardium* animo pellere triſtitiam, lætitiam verò excitare, illi, qui de viribus ejus ſcripſere, obſervant. Nos relinquimus authori; ſatis ſit, ſymbolum eſſe Sardium animi hilaris & excitati, frontis liberalis, adeóque Theologi ad quoslibet excipien-

dos ictus parati. Moroſitatem enim, triſtitiam, abjectum animum, ſeriis Theologi conatibus periculoſiſſimum ponere obicem, certum eſt. Si nihil dicendum facien dúmve *invita Minerva*: ſi ne invitis quidem venandum canibus: Quem igitur ille laborum ſuorum expectabit fructum Theologus, cujus florem curæ, ſolicitudines, triſtitia, mœror ſuffocat atque ſupprimit? Datorem hilarem Deus diligit, ductorem hilarem amant viatores.

Non negamus, Palæſtram Theologicam ſcopulis ubique & ſcrupulis eſſe refertam: Veterani etiam, & qui ad quoslibet impetus callum obduxerunt, ſuo tamen nonnunquam teſtati ſunt exemplo, quàm nihil eſſet in turbulento hujus vitæ Oceano tutum, séque, obortis procellis, homines eſſe, cæteris ὁμοιοπαθεῖς. Elias ſingulare ferventiſſimi Zeli exemplum, cum animadverteret, vix inter ſanguinolenta Jezebelis conſilia vitam licere ducere precariam, ſortem infelicem inter juniperi ſolitudines, ita deploravit, ut mori, quàm longiori vita calamitatem ſuam producere maluerit. Satis eſt, inquiebat, accipe nunc Jehova animam meam. Quid familiarius Paulo, quam λύπη ἐπὶ λύπῃ, triſtitia mœrore cumulata? Quæ facies Eccleſiæ fuerit pri-

primitivæ, quàm miſerabilis ubique triſtitiæ ſeges jam ex incremento luxuriantis lolii, mox ex bonæ cauſæ deſertione. Hinc ſuperbi hæreticorum triumphi, illinc fallax falſorum fratrum decipula: Iſtinc perſecutiones, equulei, craticulæ, laquei, flammæ, undæ, ſexcentáque alia innocentiſſimis Chriſtianis inuſta flagella. Nec alio ferè talo res Eccleſiæ ſteterunt vel ſuperiori, vel noſtro etiam Seculo. Sed ne nunc quidem

Plurima bella bonis, doctis diſcrimina deſunt,
Et quo cum certet, mens pia ſemper habet.

Audentior contra eat Theologus, rebúsque adeò deploratis, & in novaculæ acie conſtitutis neque in Stoa ſine ullo mali ſenſu, in utramque aurem dormiat, neque veluti fulmine tactus locum cedat, neque ἐπιχαιρέκακος aliorum calamitatibus inſultet.

Ipſe patienter ferat, quod mutari non poteſt; in reliquorum fortunæ ſocietatem libenter pertrahatur, utrobique tamen fortis ſemper ſit, atque, ſi vel maximè labatur, animo imperterrito. Redeat ad ſe exemplo Davidis, qui cùm variis ærumnarum tempeſtatibus jactatus fuiſſet, in lege tamen Domini portum quæſivit. Niſi Lex tua, inquit in aureo ſuo Alphabetho,

 omnis

omnis mea obleᶜtatio fuiſſet, jam diu periiſſem in afflictione mea. Aſſueſcat cum Paulo in ipſis afflictionum turbinibus gaudiorum quærere abundantiam, cum Jeremia in ſolo gloriari Domino, & cum Stephano inter duros Chriſtum contueri lapides.

Vidimus, non eſſe roſam ſine ſpina, non Moſen absque æmulis, non Eliam ſine Achabo & Jeſabele, non Paulum ſine palo, non ſolem ſine umbra, non jubila ſine nubilis, Adamantino proinde pectore Theologicæ Profeſſionis munus.

Tertiam Theologiæ Chriſtianæ gemmam, *Orthodoxiæ, veritatiſque, quæ ſecundùm pietatem eſt, ſtudium*, obtutui veſtro objicimus. De Smaragdo, Sapphiro, Adamanto, lapidibus pectoralis inſititiis graves conſtanter aſſerunt authores, venena eos non ſuſtinere. Et de Smaragdo quidem commemorant, eum octo granorum hordei pondere in polline devoratum, veneratos à morte vindicare: Serpentis oculos diffluere, ſi penitius & diutius oculos in eum defigat. Sapphirum adverſus ſcorpionum ictus & inteſtinas exulcerationes bibi, contra venena & incantamenta amuletum eſſe præſentaneum, qui Adamantem præſenti toxico madere confirmant

firmant. Virtus hæc ἀμυντήριος καὶ ἀλεξιφάρμακος impiæ novitatis ἀντιπάθεια, venenatæ hæreticorũ fuga Theologum cumprimis cõmendat. Neque enim columina fidei heterodoxias ferunt aut errores, prout nec Hibernæ trabes araneas ferunt, nec Melitenſis ager viperas. Quid enim, amabò, Moſi cum Magis Ægyptiacis, Eliæ cum Baalitis, Philippo cum Simone Mago, Johanni cum Cerintho? Imò quid arcæ Domini cum Philiſtæorum Dagone? Luci cum tenebris? Chriſto cum Beliale? niſi bellum perpetuum & irreconciliabile, Pietas & ſuperſtitio, veritas & mendacium, expreſſa ſanorum ſermonum verba, & gangræna hæretica, ſede eadem morari non poſſunt. Et quanquam tota viperarum hæreticarum progenies crudeli graſſetur veneno; illud tamen quod ſub dulci latet melle, ſæviſſimum eſt. Inter omnia venenata Salamandræ ſcelus maximum eſſe, Plinius refert. Cætera enim ſingulos ferire; Salamandras populos pariter necare improvidos poſſe: Nam ſi irrepſerunt arbori, omnia poma inficere veneno una cum iis, qui ea ederint. Sed quantò anima præſtat corpori, tantò nocentius Satanæ, quàm Salamandræ venenum eſt. Illud ſemel effuſum avidiſſimè hauritur, vaſtæque unius venenato hali

tu dictum factum inficiuntur provinciæ
Aut cujus non ſteterint comæ, qui unius Arii impietate totum penè orbem peſſum datum novit? Quis non ab ſtupeſcat, Muhammedis, abjecti mendicabuli, & mediaſtini non tam natalibus, quàm fortunis obſcuri, qui nec literas noverat, nec nare, mancipia jam eſſe primarios qui, ad gubernacula ſedent gubernatores.

Mitto noſtri Seculi intemperiem, & infelix, quod altiſſimas in agro Dominico egit radices, lolium; imo cicutam, aconitum. Quemadmodum autem, Plinio iterum noſtro teſte, venenum ocyſſimum, quale aconitum eſt; ſua ſe natura prodit, eóque facilius damnum ejus averruncari poteſt; illud verò periculoſius inſidiatur, quo arma ipſa inunguntur, quo flumina inficiuntur, & rerum naturæ elementa, ipſe quoque, quo vivitur, aër, in perniciem vertitur: Ita ubi error vel abſurditate ſua ſordet, vel notoriam impietatem affricat, tunc vel è trivio moneri poſſumus: μὴ ἅψῃ, μηδὲ γεύσῃ, μηδὲ θίγῃς.

Ubi Balitæ ex ungue cogniti Eliæ reſiſtunt; ubi Simon Magus Sp. S. dona pecuniâ licitatur: Ubi Jannes & Jambres Moſi apertum bellum indicunt: Ubi infauſtis atque in religionis Chriſtianæ perniciem ab

ab orco extruſis nominibus Arij, Samoſa-
teni , *Pelagii* , *Socini*, *Serveti* , *Blandratæ*
&c. ad ſcriptum fuerit: Hic niger eſt, hunc
tu Chriſtiane caveto ; tunc res in vado
ferme eſt atque portu; adeò , ut cum E-
piphanio loquamur , μηδὲν ἔργον τὰ ἐκείνων
ἐλέγχειν, ſine negotio talia confutare. Ubi
verò, ut idem ſcribit, error per ſe ipſum
non oſtenditur, ut ne denudatus depre-
hendatur; ſed ſplendido amiculo ornatus,
ut etiam ipſa veritate veriorem ſe exhi-
beat imperitioribus per externam appa-
rentiam, tum verò demum Theologi offi-
cium, oſtendere quid diſtent æra lupinis;
adeóque pretioſum à vili ſeparare. Nam
& anguis in herba viridi latere poteſt, &
monumenta cinere & pulvere conſperſa
incautum ludere ſpectatorem: Audiri vox
Jacobi & extendi manus Eſavi: Ipſa quæ
in patrocinium fidei & pietatis Chriſtianæ
conceſſa ſunt arma, elementa, quibus vivi-
vimus, aër, quam haurimus, flumina qui-
bus utimur, veneno à maleferiatis infici
triſti experientia diſcimus. Quid quòd ſub
ſpecie corporis Dominici, Dominicani or-
dinis Monachus, veluti θανασίμῳ μελικρά-
τῳ, *Henricum* Imperatorem è medio tol-
lere, homo irreligioſus religioni nulli du-
xerit? Ut ut ergo Dæmonem, cum שעיר
hirſu-

hirſutus, villoſus hircus hominum ſe conſpectui objecit, vitari facile poſſit; palpum tamen, ubi in Angelum lucis ſe transformârit, etiam obtrudere poteſt. Leonis vel veſtigia terrent, at ubi oviculam mentitur, ſpecioſiſſimè fallit. Hinc Sacra Scriptura impuris & maleſanis polluitur gloſſematis, torquetur, pervertitur, humani cerebri excrementis polluitur. Satanæ impudentiſſimis ſtrophis. Veterum ſæpe monumenta corrupta ſpecioſo antiquitatis obtentu. Ratio humana, quæ tamen nihil niſi quod placet, quod curatum & adaptatum videtur. Pergimus ad *caſtimoniam*, quartam pectoralis Theologiæ gemmam, decus & ornamentum ordinis. Sapphirus enim cui ſuus in Aharonico thorace locus aſſerebatur, venereos compeſcere affectus, & caſtis præcipuè uſui eſſe perhibetur. Sed & Smaragdum, lapidem in eadem ſtructura ſocium, venerum rerum impatientem eſſe, inter omnes convenit. Sit ergo Theologus *caſtus*. Id quòd Apoſtolus Jacobus diſertis exigit verbis. Eſto, inquit, ἡ ἄνωθεν σοφία ἁγνή. Singulare Theologiæ Chriſtianæ privilegium. Gentium enim Sacra vel crudelia erant ex humani ſanguinis effuſione, vel obſcæna, vel ridicula. Dies etiam, qui Deorum honori

erant

erant ſacri, talibus celebrabantur ſpectaculis, quibus teſte *Valerio Maximo*, intereſſe Catonem puduit. Syrorum, vicinorúmque Arabum & Palæſtinorum Numimina *Chemoſchum*, *Baal Peorem*, ſolis tremenda nominibus impietati faciliùs & libidini, quàm caſtimoniæ præbuiſſe hoſpitium, antiquitatis ſcrutatoribus oppidò compertum eſt. Difficile narratu eſſet quantum humana licentia tot retrò Seculis paratragædiârit. At Chriſtiana Theologia alio è thalamo ſuo prodit ſchemate, *ἁγνὴ caſta*, *ſancta*, *verecunda*. Abſit enim Scholas Theologicas fingamus theatrum, fingamus ſcenicum Senorum, Spurcorum ſermonum, perditorum morum, illiberalium jocorum: Sint illæ potiùs Gymnaſia pietatis, eruditionis promtuaria, veræque ſanctitatis phrontiſteria. Nunquam oculos Theologi à frontali Aharonico avertant: Ideo laminæ aureæ verba מקדש יהוה *Sanctuarium Domini* inſcripta meminerint, ut ejus ſe Heri miniſtros eſſe, qui Sanctitas ipſa eſt, non ignorent. Non fert vir bonus in famulitio ſuo, quos diſtortorum pravitas morum, aut morborum contagium reddit inviſos: & eum, cui Angeli acclamabant, *Sanctus, Sanctus, Sanctus eſt Dominus Zebaoth*, conſortium probare vel Miniſte-

niſterium improborum vel per febrim cogitemus? Sacerdotes olim Levitici leviſſimo rei pollutæ contactu profanati, & ad obeundum munus inepti, exeſſe jubebantur. Ne defunctos quidem promiſcuè contractare licuit. Quantò ergo majori ſtudio illi, qui Miniſtri ſunt non ἀλόγȣ ſed λογικῆς λατρείας, cavebunt, ne vita diſſoluta maculas ſe, veluti ſorices prodant, & perniciosiſſima in Eccleſia Chriſti carcinomata? *Sancta* proinde ſit Theologorum ſapientia ſive in Academiis doceant, ſive in templis. Sancta enim lingua eſt, cujus illi Interpretes conſtituuntur. *Sancta* ſunt *Scripturæ*, quarum explicatio officii illis ratione incumbit. Sancta ſunt *corda*, Templa quippe Sp. S. curæ & inſtitutioni eorum commiſſa; Sanctas ergo tollant *manus*, quibus ſacrificium laudis offerant. Sancti ſint *pedes*, ad Evangelium, quod Sanctum eſt, annunciandum. Sancta *labia*, quibus legem Sanctam, pretiosúmque verbi divini depoſitum, religiosè cuſtodiant. *Sancti toti*, quia Dominus eorum Sanctus eſt. Neque verò animi tantùm; ſed & calami; non labia, ſed etiam labores Theologorum caſtimoniæ litare debent. Nihil vel mente concipiant, vel charta excipiant, quod à Chriſtianorum caſtiſſimis

caſtris

caſtris ſit indignum. Væ enim illis quorum animi impietate, calami verò vel felle, vel hæreticæ loliginis ſucco ita ſunt imbuti atque tincti, ut ea, quæ æternis rectius ſepulta manerent tenebris, literis committere non verecundentur. Quod quidem malum jam olim in Eccleſiæ Romanæ Theologiam caſuiſticam cumprimis ita impudenter, & prorſus γυμνῇ κεφαλῇ irrepſit, ut ipſi hoc nomine, quibus in Papatu non pro cerebro fungus eſt, non ſemel ingemuerint. Mittimus vetera, quando homines plumbei oris, & ferrei cordis auſi ſunt Martyrum, aliorúmque ſanctorum ita contaminare Hiſtorias, ut in iis penè ὐδὲν ὑγιές. Quando, qui cordibus, peccato vulneratis medicinam afferre debebant, veluti ungues in ulceribus, prodigioſis ea ſauciârunt quæſtionibus. Illud mirari ſubit, in tanta luce reperiri, quos hujus inſaniæ nondum pudeat, quique ea, quæ vel commemorare religio prohibet, non movere tantùm; ſed promovere, publicéque defendere, minimè erubeſcant. Nota eſt *Theologia moralis Amadei. Lomarienſis* nuper Theologi primarii, quo abortu, infeliciſſimè obſtetricante typographorum argentangina, author honeſtatis & caſtitatis limites ita tranſiliit,

ut

ut juſtiſſimam facultatis Pariſienſis cenſuram evitare non potuerit. Quæ ut modeſtiæ & caſtarum aurium mentiumque pudori conſuleret, propoſitiones quasdam initialibus tantum vocibus, tanquam ſcandaloſas, propudioſas, nefandas, piarum aurium offenſivas, atque adeò ab Eccleſia, & ab omni hominum memoria prorſus abolendas, judicavit.

Utinam verò Iliacos intra muros non peccaretur & extra! Utinam inter eos, qui quisquiliis veterum Scholaſticorum, furfuribus Spermologorum, Homiliariorum rejectis, meliora didicerunt, meliora etiam ſequerentur, aut proferrent ſaltem! Quoties qui loca conſcendunt ſermonibus ſacris deſtinata, ædificationi publicæ conſecrata, conviciis omnia conſpuunt & calumniis. Qui, cùm nihil vel ex arte in promtu ſit, vel mutuato ſubſidio, quo Auditores ſuos ſive in dogmatum veritate confirment; ſive ad morum probitatem excitent, frænum mox maledicæ laxant linguæ, ut convitia evomant, hiſtrioniam exerceant, nihilque minus, quàm ex Apoſtoli mente & monito, eloquiorum divinorum præconio litent. Hæc clades non ſuperiora tantùm & barbarie oppreſſa afflixit Secula; ſed & noſtra ætate Germaniam

niam potiſſimum miſerè vexat atque dilacerat: Ubi, qui ad pacem & concordiam Eccleſiaſticam in unione fidei fundamentique unitate invitantur, debacchari, conviciis ferociſſimè ſævire in ἰσοτίμου πίστεως conſecraneos malunt; adeóque Schiſma alere, quàm hianti, & horribiliter deducto vulneri manum porrigere medicam. Hæccine verò eſt σοφία ἁγνὴ *Sapientia* illa *Iacobi caſta*, ſancta, verecunda? Imò inſana hæc ſtultitia eſt, procax temeritas, ſcurrilis & ſcenica dicacitas, quæ ingenti hactenus Eccleſiæ damno, triſtique ſalutis & pacis publicæ naufragio, licenter nimis graſſata fuit. Quàm vereor, ne toties jam icti cum Phrygibus demum aliquando ſapiamus.

Quatuor coronis unctum fuiſſe *Moſen*, Hebræorum tradunt Magiſtri, corona Legis, corona Sacerdotii, corona regni, & corona nominis boni. Quatuor hactenus gemmis coronam Theologicam contemplati eſtis, *Auditores Spectatiſſimi*, præfulgidam, Modeſtia, fortitudine, caſtitate, veritate, quinta reſtat, *prudentia Chriſtiana*. Eſt enim Theologus paterfamilias, qui cuique demenſum ſuum aſſignare debet, *infantibus lac ſincerum, adultis cibum ſolidum*. Nutricius eſt, quem, ubi neceſſe fuerit, ne

præmanſa quidem in os ingerere pudebit. Vir Dei eſt, non Architæ crepitaculum, aut tibicen Arabicus. Tuba Jſraëlitica eſt, non æs reſonans aut cymbalum tinniens, ex cujus incerto ſono nihil diſcas, claſſicum an receptui canatur. Alia Jſraëlitarum olim erat induſtria. Geminus apud eos obtinuit tubæ clangor, quorum alter תקיעה dicebatur, תרועה alter. Ille vox æquabilis erat; hic fragor citus conciſúsque. Ille domi, in agitandis cætibus; hic foris in movendis caſtris & excitandis militum ad præliandum animis, audiebatur. Quod ſi ergo ille, cui inter Jſraëlitas tuba erat commiſſa, ignorare ſine præſentiſſimo confuſionis incom̃odo, non poterat, quid belli conveniat, quid domi; quæ feſtorum, quæ armorum eſſent ſigna; quantominus Theologicæ tubæ, confuſo docendi ordine impune peccare licebit?

Quanquam autem prudentiæ exercendæ Theologicæ ampliſſimus pateat campus, duo tamen potiſſimùm ſunt, in quibus cardo Januæ Thologicæ vertitur, *διδασκαλία καὶ ἔλεγχος*, *aſſertio* veri & *confutatio* falſi. In utraque occurrit, quod Theologum occupare poſſit. Fruſtra certè docet, qui non prudenter docet. Prudenter autem ille doceat, qui neque brevitatis habet

bet rationem, neque tractationis Methodicæ, neque perſpicuitatis neceſſariæ? *Brevitatem* tyrocinium Theologicum vel ideo amat, quod ſubactum, memoriâque excultum eſſe debet. Tantum enim poſſumus, quantum memoria tenemus. Tumultuaria eſt notitia quæ ſaltibus acquiritur, non verò gradibus Syſtematicis. Qui hoc ſuperciliosè contemnunt conſilium, iis non abſimiles ſunt, qui vel in biviis Mercuriales negligentes ſtatuas, incertis vagantur itineribus, vel in oceano absque pixide nautica, velis & remis oberrantes, à naufragii ſe periculo ægrè tutos præſtant. Sed *Methodicè* ducat viatores ſuos Theologus; non per ambages, non in devia, aut præcipitia quæſtionum curioſarum & inutilium. Eos enim qui per vaſtos locorũ communium tumultuariè tantùm, ſine ordine, ſine Methodo diſcũrrunt campos, aliquid quidem, quaſi canes Nilotici, quod vanæ gloriolæ ſatisfaciat γαργαλισμῷ, comperimus auferre; ſolidum tamen eos capitum Theologicorum notitiam conſequi, non obſervamus. De aliis, quàmquo voluptas & ingenium eos traxit, interrogati, ita ubique hærent, ut vix ſcalmum ſcandere didiciſſe ſe prodant, prodigi artis præcones. *Perſpicuitati* denique primas deferat Theologus.

logus. De *Adamo* antiquiſſimus annalium Canonicorum refert ſcriptor, eum feliciſſimum fuiſſe nomenclatorem, qui unicuique ſibi adducto animali nomen impoſuit naturæ convenientiſſimum. Amiſit, deplorando primæ felicitatis naufragio, Adami poſteritas naturalem hanc *εὐστοχίαν*. Gratiæ tamen & revelationis beneficio Theologus ita ſingula Chriſtianiſmi capita & nominibus ſuis exprimere, & gradibus diſtinguere poterit, ut vel unica vocula & prælium conficiatur Theologicum & bellum.

Quisquis enim Sacram Scripturam veluti fundamentum & baſin, cui tota religionis innitatur ſtructura, cum prima adoraverit antiquitate; vel Angelo, aliud nuncianti Evangelium anathema dicet.

Quisquis reconditum *de S. S. Trinitate* myſterium primariam fidei agnoſcet palæſtram; profanarum cogitationum calceos eruet; Deum Trinunum nube involutum, neque profanis inſequetur oculis, neque ſe extra revelati verbi repagula diffundet: Memor, non magis infinitum capi à finito, quàm vola aut cochleari Oceanum.

Quisquis, *decretorum* ordinem & originem fontem eſſe omnis ſpei noſtræ *in Chriſto*, & ſolidi ſolatii, quo ſine fluxa & vieta

omnia ſunt, anchoram atque portum, animo ſuo habebit fixum; Ipſe quoque ad ſobrium de Prædeſtinatione examen accedit, mente quidem humili; ſed & læta. Eum neque ſpinoſis controverſiis involvet, neque impiis cavillis eludet, neque tamen affectata negliget.

Eadem ratio reliquorum per univerſam Theologiam capitum ratio eſt. Oſtendat Theologus *Creationis* & *Providentiæ* opera malleum eſſe, quo peſtilentiſſimi atheiſmi hydra feliciſſimè conteratur. Ipſum verò de ea Theologiæ Chriſtianæ doctrinam, cultrum, quo fabulæ Poëtarum aniles, & febriculoſa Philoſophorum deliramenta jugulentur.

Oſtendat *legem* tum nativæ pariter, & proprio attractæ jumento corruptionis ſpeculum non minus commodè vocari, quàm vitæ caſtigatioris normam & amuſſim.

In *peccatorum* enormitate miſeriæ humanæ fundam, in pœnis verò, ἔκδικον θεοῦ ὄμμα; in *Chriſto* panaceam, in Eccleſia, veluti arca Noæ, ſalutem oſtendi, proponi, offerri.

Oſtendat porrò Theologus, *nihil* planè hominem *ex ſe habere*, nec quod ſit, nec quod bene ſit. Αὐτεξούσιον ſtatuam eſſe, hu-

mana vafritie atque faſtu in ſummum Dei contemtum erectam.

Oſtendat *Sacramenta* ex divina quidem inſtitutione gluten eſſe & coagulum, quo, quibus unus Deus, una fides, in unam coaleſcere, deberent Eccleſiæ communionem Hominum verò malitia in perpetuam malitiam, acerbúmque contentionis pomum eſſe converſum.

Ex hac verò nomenclatura non modò piè ſentire; ſed & ſobrie de myſteriis pietatis loqui diſcet. Demiſſe & humiliter de miſero atque corrupto hominis ſtatu: Magnificè de redemtionis beneficio: Reverenter & cum admiratione de decretis: ſobriè de filii Dei incarnatione: De Sacramentis ex traditione non Eccleſiaſtica, ſed Dominica. Diſcet nôſſe ſe ipſum, abjectam ſuam conditionem; ut Deo illibatus ſervetur honos. Deſinet *Arbitrio*, ſacrilegè ferre acceptum, quod ſolius Dei debetur *gratiæ*. Veluti fulmine proſtratus manum porriget, qui arcem cœli invaſurus, ne quidem Principum patere arcana, exploratè habet perſpectum. Hoc clangore Theologus Cathedram, ubi veritatis aſſertioni litandum, impleat.

Ubi verò ad prælia Domini fracti tubarum mugitus applicandi ſunt, ante omnia

operam

operam iterum dabit Theologus, ne fràcta ſit tuba, ſæva aut terribilis, ſed ad triumphum veritatis blandè invitans. Nihil ergo adverſario affingat. Conceſſa utrinque, ne Andabatarum more pugnetur, extra controverſiæ aleam ponantur. Cætera candidè, ſine ἀφαιρέσει, ἢ προσθέσει examinentur. Miſer enim eſt & afflictus, quicunque à regio veritatis tramite aberrat: Cur ergo afflictionem ei addat Theologus Chriſtianus, aut errorem reluctanti obtrudamus? Ægroti ſunt, qui expreſſam ſermonum ſanorum non retinent formam: Cur ergo medium illis digitum oſtendat Medicus? Cæci ſunt, qui ab Orthodoxiæ via deflectunt. Ne igitur offendiculo iis ſimus, ea impingendo, de quibus ne per ſomnium quidem illi cogitârunt. Neque ludibriis agat aut ſannis gravis Theologus: Non enim prudentis eſt hominem laceſſere miſeria & calamitate oppreſſum. Ne igitur conviciis urgeantur aut dicteriis onerentur adverſarii; ſed manſuetudine in orbitam revocentur & viam regiam. Quòd ſi verò ſpes omnis decollet, ſi errori contumacia accedat, aut ingenium ſcepticum in turbido piſcari videatur, tum pro re nata quisque aget, prudentia in conſilium adhibita Theologica, & exem-

plo fretus Chriſti atque Apoſtolorum, qui ita facti ſunt omnibus omnes, ut benignis tamen tantùm benignos ſe exhibuerint, integris integros; perverſis verò acie velut diſpoſita reluctantes.

Exempla denique ſe eſſe probet Theologus, qui haberi vult; hoc enim efficaciſſimum ſimul & ſanctiſſimum docendi genus eſt. Ut enim, ubi rerum teſtimonia adſunt, verba ne quidem habent locum: Ita ægrè movet, niſi ſuo trahat motu. Studeat ergo Theologus eſſe orbis ſplendor, ordinis decus, ornamentum patriæ, exemplum religionis. Probet ſe quisque magno ferri ſtudio ad pietatem, ſanctimoniam, gravitatem, temperantiam, animi magnitudinem, juſtitiam. Commendet ſe ad labores impigrum, ad pericula fortem, ad uſum ac diſciplinam peritum, ad conſilia prudentem. Sit excelſo ſemper animo, & ad omnes caſus ferendos in momenta parato. Caveat inprimis, ne quod facundè & eruditè aliis commendat, turpiter ipſe negligat. Quid enim polita oratione, compoſitis ad devotionem geſtibus, micantibus, imò minantibus ſæpe digitis, caperata & contracta fronte gravitatem præ ſe ferre Theologicam, vita tamen & moribus lixis & calonibus eſſe inferiorem?

Ta-

Talium certè ſermones etiam graviſſimi, fulmina ſunt ex pelvi, qui non alios relinquunt in Auditorum animis aculeos, quàm ſi fabulam ageret in ſcena hiſtrio. Spongiæ ſunt, quæ, dum aliorum detergunt maculas, fiunt ſordidiores. Citharæ ſunt, quæ pulſatæ aliorum demulcent aures, ſensûs ipſæ expertes. Cotes ſunt, quæ acuunt, ſed ipſæ non ſecant. *Bonum eſt, recta & honeſta præcipere, ſed niſi & facias, mendacium eſt*; Scribit Chriſtianorum ille Cicero, *Lactantius*. Epiſcopos in Concilio Tridentino larvas, non homines, ſimulachra, quæ nervis moverentur alienis, & Dædali ſtatuas, Dudithii ad *Maximilianum II.* fuiſſe ſatis ſit, alios Apoſtolica requirit Idea.

Fiſtula dulce canit, volucrem dum decipit auceps; vulgare eſt, *Leidæ* cumprimis *inclytæ*, quod ex memorabili obſidionis Hiſtoria, non ignoratis, uſu tritum. Sed

Dulcius ille canit vita qui præcipit ipſo,
Exemplo Doctor.

Hæc tuba illa eſt, ad cujus clangorem mænia Hierichuntina ſponte cadunt. Quotquot ferè in Theologiam hodie reformant, arietant, calumniis acies ſuas inſtruunt; Plauſtra ubiq; obvia ſunt, funeſtorum, quæ in innocentiſſimos conjiciuntur, convitiorum. At conſcia mens recti famæ menda-

ciari debit. Proinde, ſi veluti ſacrorum omnium contemptor maledica traducatur lingua Theologus; opere & ſtudio libenter ſe illis, quæ revera, non hominum opinione, aut ἐθελοπερισσο θρησκεία, ſacra ſunt, libenter intereſſe Exercitiis, Collegiis, colloquiis probet. Si inviſor habeatur hominum ſanctorum; vitæ teſtetur innocentia, iis ſe quàm proximum cupere vivere. Jejuniorum exprobretur defectus; non ciborum tantum delectu; ſed & urgente neceſſitate, abſtinentia, gulam ſe defraudare poſſe, palàm faciat. *Precum* neglectus, quòd ad digitos & ſphærulas precatorias penſa noſtra neque numeremus neque demurmuremus, objiciatur; aſſiduo ardentique precum ſtudio, non tam violento externo campanæ pulſu, quàm interiori cordis impulſu, exercitiis illis Sacris innutritos nos eſſe condocefaciamus. Creſcentibus periculis, precum etiam noſtrarum creſcat devotio. Pietati, boniſque operibus religionem noſtram repudium miſiſſe, ubi alii petulante convitiati fuerint lingua, nos ſerio ferventique pietatis ardore, prolixa charitatis demonſtratione, liberali eleemoſynarum erogatione ἄθυρα ςόματα obthuremus. Pergant alii noſtram de Prædeſtinatione doctrinam, tanquam pie

pietatis hoſtem ſugillare, nos domeſtico ſcepticos illos profligemus exemplo, vitæ integritate demonſtrantes, eum, qui deſtinatus eſt ad finem, deſtinatum etiam eſſe ad media. Prædeſtinatum ad vitam, vocandum quoque ad viam. Si rituum, ceremoniarum pompam alii in nobis deſiderent, uberiores ſanctimoniæ proferre fructus curæ ſit; ut de cortice eos ludere conſtet, nos de nucleo eſſe ſolicitos. Illos vitreum vas tantum allambere, nos pultem attingere. Verbo, fumos vendere, qui his artibus Orthodoxiæ invidiam conflare ſatagunt, luculento Sanctæ pietatis igni, quotquot ſacris Theologicis operari volunt, univerſo manifeſtum faciant orbi. Illud denique inſigne tum cathedræ Theologicæ ornamentum, tum veritatis, contra petulcos adverſariorum impetus munimentum eſt, cùm ita ſe vitare Scyllam didiciſſe, ut charybdin non metuat, Theologus exemplo ſuo docuerit.

Quid enim, quæſo, juvaret, Majorum inſtitutum, quo ligneorum Idolorum ſaburram Eccleſiæ navi ejecerunt, habere ratum; auro interim, argento, carni, Mundo, brachio humano facere locum?

Quid juvaret Sanctorum invocationem ſuſtuliſſe, patrocinium defunctis negâſſe;

ut alii ſuccederent patroni,umbræ, larvæ? Quid libertas à ſervitute ceremoniarum & rituum; ſi in ἀταξίαν illa abeat, & quidlibet audendi licentiam?

Cur, quod, quæ devotum precum ſtudium,dedecorare poterant,emendata ſunt aut abolita, ipſas propterea preces exilio multemus aut oſtraciſmo?

Sed quò me abripit *pectoralis* noſtri Theologici fulgor: Tubæ officium eſſe receptui etiam canere meminerim. Canam igitur, ne patientia veſtra, & aurium beneficio temerè abuti videar.

Quid exiſtis (ita *Servator* quærit, ex Judæis, præpoſteris omnia vaticinia judiciis, ipſiuſque etiam Johannis Baptiſtæ Miniſterium onerantibus) *viſuri? Hominem mollibus veſtibus amictum?* Liceat bona veſtra cum gratia, modeſta perodia, minima conferre maximis, & ex infirmitatis meæ conſcientia amicè rogare: Quem huc confluxiſtis audituri? Hominem pectorali indutum? At qualis ex officio debeat eſſe Theologus, non qualis per curtam meam ſupellectilem haberi ego poſſim, hactenus dixi. Fortem, Adamantinum? At pulvis & umbra ſum; bos non usque adeò quidem piger, ſed variis occupationibus utcunque delaſſatus. Δυνάμει ἑρμηνευτικῇ pollen-

lentem? Imò hominem ore impedito, blæſaque lingua. Sanctum ore, corde, calamo? At fateor monitis ſum minor ipſe meis. Quid ergo? Diſcipulum me profiteor illius Scholæ Theologicæ, de qua celeberrimus Heidelbergenſium Theologus, *Daniel Toſſanus*, ad Nobiliſſimum virum, *Ottonem à Grunrad*: Ego, inquit, ut ſcis, ſoleo ſæpe tecum noſtris Eccleſiis gratulari, quòd eas Deus voluit his aliquot annis diſſidiis carere, & arctiſſimam ſocietatem colere cum aliis Orthodoxis Eccleſiis, ac nominatim cum Helveticis, quibus id verè palmarium reputandum eſt, quod magno ſemper ſtudio otioſas & curioſas diſputationes vitârunt, & quæ ad fidem & pœnitentiam pertinent, conſtanter ſibi retinenda, & perſequenda putârunt, eamque Sapientiam coluerunt, quæ eſt ἄνωθεν, ἁγνὴ, εἰρηνικὴ, ἐπιεικὴς, εὐπειθὴς μεστὴ ἐλέους, καὶ καρπῶν ἀγαθῶν, ἀδιάκριτος, καὶ ἀνυπόκριτος, ſupernè delapſa, caſta, pacifica, æqua, obſequens, plena miſeri erodiæ, & fructuum bonorum, absque diſceptatione & minimè fucata.

Quod igitur Eccleſiæ Reformatæ ſalutare, rei literariæ felix & fauſtum, inclytæ huic Academiæ honorificum, Auditoribus noſtris utile eſſe jubeat Deus Ter optimus Maxi-

Maximus, ego, *Curatores Nobiliſſimi & Ampliſſimi, Profeſſores celeberrimi, Paſtores vigilantiſſimi, Studioſi Ornatiſſimi*, Apoſtolicæ hujus Methodi veſtigia religiosè veneraturum, bono cum Deo, in me recipio. Eáque ſi non exprimere, commendare ſaltem: Erit ergo ſapientia etiam noſtra cæleſtis, cum neminem, ne Angelum quidem contra revelatam Dei voluntatem audierit. Non domi illa nata erit noſtræ, aut fabulis arte confectis & confictis fucata, non loquutulejæ, barbaræ, præſtigiatricis Lombardicæ Scholæ terminis tincta, non ex cerebri humani officina, aut corrupti ratiocinii ergaſterio petita: Sed cælitus oblata, in Prophetarum, Evangeliſtarum, & Apoſtolorum oraculis religiosè quæſita, reverenter inde depromta, & ad varium Eccleſiæ uſum expoſita.

Reliqua deſunt.

BENE-

BENEVOLE ET CANDIDE LECTOR.

Est ita, uti Mortalium ille Sapientiſſimus teſtatur, & uſu ac experiundo quotidie diſcimus: nimirum hominis eſſe מערכי לב *præparationes cordis, ſed à Iehova eſſe* מענה לשין *reſponſionem linguæ. Recentiſſimum idemq; triſtiſſimũ documentum præbuit ſuaviſſimus parens noſter* ὁ μακαρίτης. *Præparaverat is cor ſuum ad capeſſendam illuſtrem, & quâ honorificentior ipſi obtingere non poterat, in inclyta Academia Lugduno Batava ſparthã, ad quam non tam ambitu, quàm Magnatũ & Virorum doctorum quæſitiſſimis votis & precibus, diu refragrante, & ad extremum, ne parum civilis, & tum alieni tum publici etiam commodi negligens haberi poſſet, quamvis ægro animo conſentiente. Summo, qui ipſum in deliciis unicè habuit, Magiſtratu, accitus fuerat. Præparaverat etiam cor ſuum terſiſſimis juxta & graviſſimis de Theologi officio typicè adumbrato, ſermonibus, quibus ſpartham ſuam præſens pro recepto Academiarum more auſpicaretur. Iámque in eo erat, ut Orationi imponeret colophonem & quas omnibus Theologis officii ſui leges dictas eſſe hactenus obſervaverat, ſibi ante cæteros ipſemet dictaret. Verùm à DEO eſſe, reſponſionem linguæ moderari ac temperare, eámque vel ſufflaminare vel promovere, nimis eheu! flebili caſu didicimus. Nam ipſam hanc Orationem carceribus ſuis jam ſoluturus, & brevi in nobiliſſima Panegyri, habiturus haud dubiè maximum gloriæ ſuæ theatrum, dicturus, ſubita morte unà cum tribus liberis chariſſimis in feralibus aquis extinctus, vivendi ſimul & publicis utilitatibus inſerviendi finem,*

æterna

æterna conſtitutione nexúque cauſarum latentium & multò antè deſtinatarum fixum, implevit. Atque ita haud diſſimili quodam fato, quo Moſes ille familiaris DEI amicus è planitie Moab in montem Nebo ſublatus, ita terram Cananæam luſtravit, & curioſa oculorum indagine cinxit, ut tamen aditu eius prohibitus in eodem monte exuvias mortalitatis ſuæ deponeret, & terreſtrem illam Canaan cum meliori, cuius illa typus & umbra erat, commutaret: defunctus eheu! Parens noſter, Belgium ſuum; quod tenerrimo ſemper affectu dilexerat, ita animo proſpexit; & ſpe certa iam propemodum complexus eſt, ut damnandus tamen fuerit non voti illius, quo ferebatur in terreſtrem illam Canaan, quàm prioris longè & antiquioris, illius quo DEVM ſuum creatorem & ſoſpitatorem inde ab ineunte ætate iuxta cùm omnibus fidelibus & electis ſuſpiravit. Noſtrarum nunc eſt partium; juxta graviſſimum illud Apoſtoli monitum, μνημονεύειν τῶ ἡγȣμένων ἡμῶν, recordari Ducis hujus noſtri, qui nobis locutus eſt ſermonem DEI, & ejus contemplando ἔκβασιν τῆς ἀναστροφῆς exitum converſationis, imitari fidem. Hoc ſolùm nobis flagrantiſſimo dilectiſſimi parentis deſiderio languentibus & pœnè marcidis, relictum eſt. Hoc ſolum identidem nobis profunda mente meditandum. Interim IN SECVLVM NON DIMOVEBITVR; ET IN PERPETVA MEMORIA ERIT IVSTVS. Vale benevole Lector, & στέργε τὰ παρόντα. Tiguri d. 10. Iulii An. Chriſti M DC LXVII.

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ NOVI TESTAMENTI

TOMUS IX.

SECULI XVI.

PARS V.

De Reformatione.

CAPUT. I.

De cauſis Reformationis adjuvantibus, ſeu ſociis.

In prima acie authoritas ſe Regum exerit, Principum, cæterorûmque Magiſtratuum, &c. quorum auſpiciis, fervore atque zelo, & Reformatores in tuto collocabantur, & Reformatio ipſa non ſuſcepta modò, ſed & defenſa poſtea fuit. 2. Cæterum Eccleſiaſticorum reformandi deſiderium, quod tantum hinc inde fuit, ut ubi Clerus officium facere noluit, Laici, non tamen temerè, ſed præmeditatè, animóque deliberato manum negotio, in quo cardo ſalutis vertebâtur, admoverint. 3. Nec parum huc

contulit tum ignorantia Cleri, infirmitas præſertim eius in diſputando,tum fraudes. 4. Perſecutorum infelix exitus. 5. Miraculoſum,quo conſervare Deus ſuos voluit, patrocinium. 6. Pax publica, Libertas conſcientiæ Imperatorum favore impetrata. 7. Subſidium Librorum, quod indies crevit, ita ut unius ſæpè hominis plures fuerint tomi, quàm integrorum antea Collegiorum. 8. Diſſidia adverſariorum. 9. Fœdera publica, quæ tamen Deus defenſioni potiùs, quàm propagationi Evangelii inſervire voluit, 10. Conſtantia Confeſſorum fidei reformatæ, quæ multis facilè perſuaſit, altioris, quàm humanæ originis,eſſe Reformationis ſucceſſum. 11. Honor SS. Miniſterio habitus, quem generoſa multa pectora in Profeſſionis Theologicæ cultura teſtari voluerunt. 12. Impia cleri vita. 13. Addi per, accidens,poteſt nimia crudelitas.

I. Exhibuimus Reformatorum cauſas, *Principalem, Inſtrumentales, impulſivas*: Oſtendimus *Vocationem Reformatorum*: *Adjuvantes* jam, *ſive ſociæ cauſæ* ſequuntur, quæ ut magno occurrunt numero;ita dignæ ſunt, quæ dilgentiùs paulò expendantur.

II. *Primò* loco Imperatores nume-

meramus, *b* Reges, alióſque *c* per Imperium etiam ſtatus; *d* Electores, *e* Principes, Reſpublicas, Nobiles, &c. quorum vel conſilio, vel juſſu & authoritate alibi ſacra Pontificia ſuſpecta reddita, alibi verò Reformatio aut ſuſcepta, aut approbata & tolerata fuit.

a. MAXIMILIANUS I. qui Initio Seculi ad gubernacula Imperii ſedit, & de Leone X. & de Julio II. ita ſenſit, ut haud obſcurè ſervilem Eccleſiæ Statum ſignificârit. De *illo* ex Hutteno videatur *Hiſt. Eccl.* P. V. p. 631. De *hoc* ex *Morn.* Myſter iniquit. *Lat.* Hiſt. Univerſ. p. 504.

Deus æternè! niſi vigilares, quàm malè eſſet mundo, quem regimus nos, ego miſer (ita de ſe ipſo Maximilianus) *venator, & ebrioſus ille ac ſceleratus Iulius.* De CAROLO V. conſtat, 1. *Ejus exercitum Romam oppugnâſſe, cepiſſe, ac diripuiſſe*, d. 6. Maij 1629. Quanta fuerit militum Germanorum ac Hiſpanorum atrocitas & inſolentia Romæ, verbis explicari vix poteſt. Nam præter horrendas lanienas, direptiones, libidines, devaſtationes, contumeliæ ac ludibrii genus nullum in Pontificem, Cardi-

nales, reliquamque turbam prætermiſſum fuit, ſcribit *Sleidan.* l. *6.* p. *66.* Unde & à Galliarum Rege Imperatori hoc ipſum acerbè fuit exprobratum, Epiſtolâ ad Pontificem. Ita verò *ille* de hoc:

Quod ſibi, inquit, Cæſar præferri vellit, quaſi de Eccleſia Romana præclarè ſit meritus, eſſe ridiculum atque leve: Nam nec illius Majores cum ſuis, nec ipſum etiam deberi ſecum, hac quidem in parte, componi: Scil. egregium eſſe filium, & prima laude dignum, cujus exercitus patrem familiâs, Clementem VII. obſedit, vexavit, cepit, & primam orbis terrarum urbem diripuit; & templa Deorum immortalium non uno modo polluit, nec ullum ibi flagitij genus atque libidinis & crudelitatis prætermiſit, qui ludibrium etiam adjunxit ipſe huic tantæ immanitati, quando vota nuncupavit in Hiſpaniis, & Supplicationes decrevit, pro liberatione parentis, quem ipſe domi captum arctiſſimè detineret; Id. l. 15. p. 174. Hinc mala illa gratia à Pontifice relata, de qua Imperator, *Hiſt. Concil. Trid.* p. 42. 2. *Cauſam Reformationis* προκαταρκτικὴν *agnoviſſe diſſolutam Cleri vitam:* Tom. V. Hiſt. Eccl. 897. 3. *Probâſſe doctrinam Reformatorum de juſtificatione.* Ita enim Secretar. Pon-

Pontific. in act. Concil. Trid. p. 108. edit Pforzheim. *Metuo, ne ſit oleum, additum camino, cùm ad Sanctitatem Veſtram Epiſcopus Toletanus ſcripſerit, ipſum Carolum morientem dixiſſe, ſibi videri, veram eſſe Lutheranorum de Juſtificatione ſententiam. Fama idem ſtatim per univerſam Europam tulit, & ſimul, quòd S. V. dixerit, ſe nolle ipſi propterea, quod cum Lutheranis in præcipuo Religionis Articulo ſenſiſſet, ullas exequias celebrare.* 4. Attentis auribus *percepiſſe lectionem Confeſſionis Auguſtanæ*; Translationem in Linguas Italicam & Hiſpanicam procurâſſe, &, juxta quosdam, ingemuiſſe: *Utinam totius ita ſentiret orbis!* 5. Eundem tradunt, paulò ante obitum, ſub utraque ſpecie communicâſſe. FERDINANDUS I. Religionis pacem in Comitijs Auguſtanis confirmavit. *Thuan.* l. 36. Idémque S. Cœnam ſub utraque ſpecie celebrandam pro ſe & ſubditis ſuis à Papa impetratam, eam Viennæ ita adminiſtrari curavit. Refert *Hiſt. Concil. Trident.* l. 6. Ferdinandum, cùm uſum calicis impetrare aliquandiu cum Alberto, Bavariæ Duce, non potuiſſet, obverſum ad Maximilianum filium exclamâſſe: Quadraginta annis offenſus fui generationi illi, & dixi ſemper, hi errant in corde. Petebant præterea, matrimo-

 nium

nium Sacerdotibus concederent, ſed & hoc negatum. Notum etiam eſt judicium *Ferdinandi* hujus de Melanchthone. *Hujus Viri conſilia*, inquiebat; *cùm* rumor de morte ejus ad ipſum fuiſſet perlatus; *ſemper fuerunt moderata*. Idem *Ferdinandus* cùm videret, Concilio Tridentino jam ad exitum per ducto; quantum ad Germaniam, & ſuæ ditionis populos; parùm profectum, ſeróque animadverteret, ſibi à Cardinali verba data, quò à poſtulatis ſuis & communibus cum Rege Galliæ initis conſilijs diſcederet, quod ab aliena ope tantis malis ſubſidium fruſtra expectaret, à proprijs ſibi ſumendum expectavit, & Maximiliani F. optimi juxta ac prudentiſſimi Principis conſilio uſus de controverſis Auguſtanæ Confeſſionis articulis amicè conciliandis feriò cogitare cœpit. Qua in re *Georgij Caſſandri*, Viri optimi ac doctiſſimi, qui Duisburgi tunc erat, opera uti voluit. Is ad exactiſſimam rerum ſacrarum ſcientiam, ſummum animi candorem ac moderationem addiderat, &c. Ad eum igitur Ferdinandus, XI. Kal. Jun. literas dederat, &c. Vid. *Thuan.* lib. 35.

MAXIMILIANUS II. admodùm in Reformatos fuit facilis. Cùm enim a. Ch.

1564.

1564. Fratres in Bohemia à Maximiliano, ut occluſæ paterent portæ, voti compotes facti fuerunt. Adeò autem à Proteſtantium doctrina non fuit alienus, ut & Romam de eo perlatum ſit, *quòd Prædicatorem aleret, ſæpius concionantem audiret, qui in pleraque regni loca, licèt non in Civitatem Pragenſem, communionem calicis introduxiſſet*; Neque id Rex interdum diſſimulabat, ſe cœnam niſi plenam accipere non poſſe; *Hiſt. Concil. Trident.* lib. 5. Sed & Pius IV. per nepotem quoque ſuum, Marcum Altempſium, eum monuit, in fide Catholica perſtaret, ſpe ſucceſſionis oſtentata in Imperium. Reſpondit Rex, ſe Pontifici de tam propenſa voluntate gratias agere maximas; ſed animæ ſuæ ſalutem rebus omnibus mundanis habere cariorem, quam loquendi formulam aulæ Romanæ mancipes dicebant Idioma eſſe Lutheranorum. Idem etiam *Maximilianus*, Proceribus & Nobilitate Auſtriæ liberum uſum Auguſtanæ Confeſſionis in ipſorum omnibus oppidis ac pagis indulſit.

b. In *Anglia* enim jam *Henricus* VIII. occaſione divortij ſui adeò frequenter ſollicitati, jugum tandem Pontificium ita ex-

ſit, ut & nomen capitis Eccleſiæ ſibi ſumeret, & à ſuis idem exigeret obedientiæ juramentum, quod ante Pontifici jurare ſoliti fuerant, quibus ut facilius perſuaderet, adjunxit formulæ jurandi hæc verba: *Quantum id verbo Dei permittitur.* Unde & paulò pòſt, Johanne Fiſchero, Roffenſi Epiſcopo, & Thoma Moro in carcerem ductis, convocatis Regni ordinibus vetuit, ne quis deinceps in Anglia auctoritatem Pontificis agnoſceret, conſtituta pœna, quæ criminis læſæ Majeſtatis reis irrogari ſolet. Se enim Eccleſiæ Anglicanæ caput in terris eſſe; Æquum igitur, ut ſibi, non alij ſolverentur annatæ, & decimæ beneficiorum, ſéque in poſterum judicem fore ac deciſurum controverſias Eccleſiaſticas, & correcturum abuſus: Addita inhibitione, ne quis inpoſterum Papam alio nomine appellaret, quàm Epiſcopum Romanum. Hæc *prima* Reformationis fundamenta, quibus tamen Papiſmo potiùs renunciatum, quam Reformatis ſacris litatum fuit ad an. Chr. 1546, quo *Henricus* Rex ſucceſſorem reliquit *Eduardum*, Alterum Joſiam, ſub quo Romana religio ingens paſſa detrimentum, ac propemodum fuit oppreſſa, fautore maximè *Eduardo Semero,*

ro, Regis avunculo, Reformatis addicto. Quo verò & ordine & ſucceſſu præſtitum illud fuerit, ſuo loco videbimus. *Galliæ* etiam Reges non parum huc contulerunt, tum quód pro *Pragmatica* ſúa ſanctione hoc adhuc Seculo, quamvis tandem victi, fortiter pugnârunt, tum quòd *Libertates* Eccleſiæ Gallicanæ contra abſolutam & œcumenicam Pontificis poteſtatem, maſculè aſſeruerunt, tum denique, quòd Concilij Tridentini authoritatem quovis ſemper modo elevârunt. *Hiſpaniæ* hoc tribuimus, quòd tot ſuſtentârit & foverit magni nominis Theologos, qui & infelicitatem ſuperiorum temporum adeò apertè detexerunt, ut *Ludovicus Vives, Melchior Canus*, &c. & infallibilitatem Papæ publicè perſtrinxerunt, ut *Alphonſus* à *Caſtro*, &c. & Reformatorum labores adeò prolixè commendârunt, ut *Ferdinandus de Eſcalante*, &c. *Daniæ* initia, ſed difficilima, Reformationis *Chriſtierno* II. tribuuntur, Qui tamen eo nomine peſſimè à ſuis habitus, exulare in Germania, vitámque in carcere poſtea finire fuit coactus. *Chriſtiernus* III. ſucceſſor, Gener Johannis Saxoniæ Ducis Electoris, in reformationem conſenſit, renitente Clero, Epiſcopis cumprimis adeò pertinaciter, ut ne

unus quidem puriora admitteret ſacra. Id verò cumprimis laude dignum erat, quòd & moderatos plurimos regnum hoc haberet Theologos, & ipſe Fridericus II. Chriſtierni ſucceſſor à Jacobi Andreæ conatibus ita abhorreret, ut duo libri Concordiæ exemplaria à ſorore, Electoris Saxoniæ conjuge ſibi transmiſſa, in fornacem conjecerit, uſúmque ejus interdixerit d. 24. Julij 1580. Quin & Chriſtiernus IV. noſtris etiam Tychopoli (Glückſtadij) exercitium religionis conceſſit, ejusdémque privilegia Altenæ, prope Hamburgam a. Ch. 1644. confirmavit. In *Sueciam* reformatam introduxit religionem *Guſtavus* I. Erici equitis Sueci filius, qui a. Ch. 1523. vacantis regni poſſeſſionem fuit adeptus. Et quanquam poſtea variæ inſidiæ ſtruerentur, obtinuit tamen ſemel admiſſa Confeſſio Auguſtana, qua de re ſuo loco. Polonia ſubditorum potiùs, & Magnatum quorundam zelo, quàm Regum authoritate, hincinde reformata fuit. Sed de his, σὺν Θεῷ, prolixiùs, ubi ad Subjectum reformationis fuerit deventum.

c Id quod patet, 1. ex *ſubſcriptione* Confeſſionis Auguſtanæ, in quo ordine, Johannes, Dux Saxoniæ, Elector: Georgius Margravius Brandenburgicus, Erneſtus, Dux

Dux Lünenburgenſis, Philippus, Landgravius Haſſiæ, Johannes Fridericus, Dux Saxoniæ, Franciſcus, *Dux* Lünenburgenſis, Wolfgangus Dux Anhaltinus. Civitates Norimbergenſis, & Reutlingenſis.

2. Ex Hiſtoria Reformationis Regnorum, Principatuum, Rerumpublicarum, quæ διάσκεψις ut prolixior eſt, ita ſuo loco, de Subjecto Reformationis, inſeri poterit.

III. Sed & *Eccleſiaſtici cœtus* tanto hinc inde flagrârunt deſiderio reformandi, ut ubi Clerus officium facere noluit, Laici, non tamen temerè, ſed præmeditatè, animóque deliberato, negotio, in quo cardo ſalutis vertebatur, manum admoverint.

Hoc quidem veluti probrum Helveticis, Baſileenſibus cumprimis Eccleſiis objecit, *VVilhelmus Gothardus*, Canonicus Solodurenſis; quem tamen pro merito depexum ivit, ſolidus Scholæ noſtræ Theologus, *Ioh. Rudolphus Stukius*, Exam. Dialog. de relig. P III. Quæſt. VIII. P. 1. *Neque verò negamus*; inquit; *cives Baſileenſes, quòd mora eſſent impatientes, ſtatuas removiſſe, ex animis jam ante remotas. Cui e-*

tiam

tiam facto Deus ita benedixit, ut & civilem motum compoſuerit, & in ſtatuas omnis ira deſierit. Ipſum hac de re audire placet *Oecolampadium*, ad Capitonem: *Gratia & pax à Chriſto, mi frater. Iterum agendæ nobis ſunt Deo gratiæ, qui novos & graviores, incruentos tamen Eccleſiæ noſtræ motus pacavit, in magnam Anti-Chriſti confuſionem:* Malo nodo ſuus cuneus obvenit. Ubi enim Eccleſia noſtra intellexit, Proceres ſuos à Senatu auditos quidem, ſed non exauditos, imò repulſam paſſos, quum petiiſſent authores ipſos non ſervatarum promiſſionum è Senatu penitus amoveri: Collecta in æde Franciſcanorum, & expendens, quid poſthac periculi, ſi Ariſtocratia in paucorum tyrannidem degeneraret, memórque ſecum ſuæ libertatis, & cogitans, quid gloriæ Chriſti, quid juſtitiæ publicæ, quidque poſteritati ſuæ deberet, jam non, ut morem habuit, obſecrare & precari; ſed poſtulare, & Senatum ſui officij admonere, miſſis ad illum delectis ſuis ad Curiam. Et principio ſine armis occupârunt curias quasdam Zunftarum, bona hominum parte pervagante in foro & plateis, ne quid fortè ab adverſariis inſidiarum ſtrueretur. Poſtquam autem dies inclinavit, & reſponſum

ſum datum eſt, nominatos quosdam, in re quidem Evangelica, egredi debere è Senatu, in cæteris autem cauſis poſſe aſſidere, plebs magis exaſperata eſt, contemptam nimirum ſe videns, conteſtatáque eſt, ſe jam non Evangelij, ſed publicæ juſtitiæ tuendæ cauſa adeſſe: Intolerabilem ſibi poſthac tyrannidem, non detrectare tamen in alijs Senatus authoritatem. Et propterea mox totum armata forum occupavit, non quòd opprimere Dominos vellet; ſed ut tutò & ſine periculo negotium tranſigeret. Hoc ſciens Senatus non multò mitior factus eſt. Ita etiam ſequens dies, alioquin Gentilium more inſaniæ ſacer, Eſchenmittwoche/ carnis privia vocant, vidit plebem ferventem, & in armis Curias & forum occupantem: Adverſariorum autem nullus ſe opponere auſus fuit. Conſul Meltingerus, cum Oeglino Offenburger Senatore clàm conſcenſa navicula, neſcio Senatu, elapſus eſt: quòd illum ſibi parum bene conſcium indicavit. Adhuc tamen Senatus ad poſtulationem plebis obſurdeſcebat, & arbitros quosdam, qui in hac cauſa pronunciarent, provocabat: quod tamen plebs non detrectabat, hac ſcilic. conditione, ut plebs ex publico ærario

litiget

litiget & accuſet, illi verò ſuo ſumtu rei ſint. Interim habita eſt magna portarum turriúmque vigilia: nec minor erat Civium circumſpectio, quàm in medio hoſtium. Johannes Irmus plebis nomine apud Senatum oravit mirâ conſtantiâ & fide, & non minus plauſibiliter apud plebem. Senatus itaque cunctando patientiam plebis frangere ſtudebat, & in minoribus petitionibus occupabatur: Nam qua ratione & modo Thilamonius noſter (G. Tylmanij) ſummo templo reſtitueretur concionator, & ſimilia cogitabant. Accidit autem, ut quidam armati perluſtranates civitatem ingrederentur templum ſummum, & cum Hellepardis quaſi per luſum aperirent armarium Idolorum, unúmque Idolum educerent, quod in multas partes ſtatim collapſum eſt, & occaſionem illis dedit & alia Idola comminuendi, licèt nihil ſe tale facturos cogitarent. Prohibere autem hoc cæperunt quidam Pontificij: Unde noſtri contendere nedum pugnare volentes egrediuntur. Sed neſcio quis rumor alijs interim factum inſinuavit. Statim enim ex noſtris armati trecenti ex foro affluerunt, fortaſse anxij de his, qui rem tantam affectârint: Hi vi irruperunt in templum ſum-

ſummum, & omnia Idola deturbârunt, & deinde perrexerunt in templum S. Petri, Prædicatorum & Albani, nec non Huldrici, ſimilitérque in omnibus Templis egerunt. Superveniebant Senatores, qui prohibebant; ſed non curabantur. Imò audiebant graviter: De quo vos per triennium deliberâſtis, nihil efficientes; nos intra horam omne abſolvemus. Quæ vox cum ſimilibus ita eos terruit, cæteróſque Senatores, ut jam prorſus nihil dubitarent, cedendum in hac parte plebi: Unde mox omnia, ut poſtulata erant, obtinuit. Ejecti enim è Senatu duodecim: Meltinger, Conſul hujus anni, Wilhel. Zieglerus Tribunus plebis, Superioris anni, Juncker Bernhardus Meyer, aliâs Baldinsdorff, Juncker Oeglin Offenburger, Ex curia, id eſt, Tribu Croci, Oberrieth, frater Præpoſiti in ſummo templo: & Lucas Iſelin, ſororius Ludovici Ber: Ex Curia clavis, Hanß zum Brunn/Statthalter/ Franciſcus Beer: Ex Curia Urſi. Andreas Epiſcopus, etiam ex Beerorum familia, & Syllbergerus quidam vetulus: Item Ioan. Stoltz/ & Thurniſen: Omnes inſignes adverſarij. Decretum, ut poſthac communibus ſuffragiis creent Scabinos (quos vocant Sechſer) ſingulis in Curiis,

Curijs, & poſthac Diacoſiorum ſuffragio eligatur Magiſtratus ſummus, & Senatores ejus anni confirmentur. Decretum, ut eo ipſo die in civitate & agro Baſilenſi tollantur Idola, abrogataque prorſus ſit Miſſa in omnibus Templis ac domibus. Denique, quæ vel ad gloriam DEI, vel ad pacem Reipubl. pertinent, cum Diacoſijs & ex plebe aſſumtis circiter ſexaginta optimatibus, diſponenda ſunt abſque ulteriori cunctatione. Atque ſic his conditionibus plebs læta domum redit, ſub ipſum noctis crepuſculum. Hic multi fortaſſis, mi fratres, noſtris varia crimina imponunt haud dubiè: ſed falsò. Nullis nec obolum abſtulerunt: tantùm in Templis ulti ſunt injurias quasdam, ita nimirum volente Domino. In die Cinerum, cùm Idola ſecta diſtribui inciperent pauperibus, quidam importuniùs illa petebant, ita ut vulnerarint ſe mutuò. Ea propter viſum eſt noſtris, ut Idola omnia in cineres redigantur eo ipſo die cinerum. Accenſæ ſunt igitur pyræ novem in campo Monaſterij. Triſtiſſimum, mehercule, ſuperſtitioſis ſpectaculum! Sie hetten blutmögen weinen. Et ita ſævitum eſt in Idola. Ac Miſſa expiravit præ dolore. Duodecima autem Februarij Diacoſij cum opti-

optimatibus Senatus conſulta approbarunt, & conciliati ſunt. Hodie in ſingulis curijs plebeii denuo obedientiam exhibebunt: Mox aſſunt Tigurinorum, Bernatium, Soloturenſiumque Legati. Scil. in tempore venerunt, confecto ſcil. divina ope tempeſtivè negotio. Vides, mi frater, ut res noſtræ habeant. Ipſe tamen neſcio, an magis quieti ſimus futuri. Ni fallor, plus laboris, plusque curarum nobis incumbet, quàm unquam. Adverſarij me fontem hujus rei vocant. Sunt aliqui abitionem parantes: ex quibus eſt Glareanus, homo ad maledicentiam & inepta ſcommata natus. Proficiſcitur cum ſuis diſcipulis Friburgum. Ludovicus Bertus ante menſem hinc abiit. Saluta fratres omnes, præſertim Bucerum ac Hædionem. Hæc Oecolampadius ad Capitonem d. 13. Febr. 1529. Eodem ferè modo Iconomachiam hanc refert *Sleidanus*, lib. VI. Comment. pag. 70. Baſileæ addi poteſt *Juterbocum*, oppidum Saxoniæ, Archiepiſcopi Magdeburgenſis imperio parens. Docebant ibi Evangelici præcones, & unus, Thomas Schneidewein, ipſius Alberti Archiepiſcopi authoritate. Elector nihilominus Brandeburgicus Alberti frater quadraginta equitibus ſtipa-

tus eò contendit, concionatores dolo oppido evocatos capit, captos abducit. Populus adverſus Magiſtratum inſurgit, cogitq; Senatum abire repetitum concionatores 1528. *Luth.* tom. 7. 2. Epiſt. pag. 375. Antverpienſium ſubjicimus exemplum quòd, etſi zeli moderamen nonnulli, in eo deſiderent, probat quàm deplorata fuerint omnia adeò, ut & infantes, tacentibus Doctoribus, loqui habuerint neceſſe. Audiemus, autem R. H. (*Richardum Hilles*, Anglum notari puto) ἀυτόπτην hac de re ita loquentem: *Cùm anno ſuperiore, Reverende Vir* (ita. Chriſtophorum Montium appellat) *Antverpiæ aliquot menſes negotiarer, Deus pro immenſa ſua Clementia, quam in Eccleſiam exercet, magnificum illic ſuæ providentiæ in propaganda Eccleſia edidit exemplum; cujus quidem rei cùm tu inter tot tantosq; viros, per quos jam pridem divulgata fuerit; ignarus omnino eſſe non poſſis, tamen ne majorem habeas fidem vanis fictisque rumoribus, ut ſunt permulti quidem de ea re & varij, officij mei putavi eſſe, ut ſummæ quondam inter nos amicitiæ Te de his rebus certiorem facere, breviterque, & quàm poſſum dilucidè, verè ſaltem & ſimpliciter, rem, quemadmodum geſta eſt, explicare.* Eſt in templo B. Mariæ dedicato, imago B. Mariæ Virginis poſita,

ta, divinoque afficienda honore conſtituta. Hanc ſtatuam gemmis auróque fulgentem pro more & conſuetudine ſua ſingulis annis, Dominica, proximè ante feſtum diei Bartholomæi circumferre ſolebant, incredibili pompa, & gloria per omnem urbem, omnibus ejus civitatis optimatibus, regali ornatu ſequentibus, una cum reliquis omnibus inferioris ſortis hominibus. In hac ſolenni proceſſione præcedunt Pontifices, Abbates, Fratres, Monachi, & Monachæ, concinentes: Salve feſta dies! Subſequuntur cæteri omnes, ut vocant, ſuo quisque ordine; per Tribus, cum Tribuum inſignibus laici. Simulachrum autem illud poſtquam per urbem publicè circumgeſtarunt, in medio templo, luminibus, lampadibus, cereis, & hujuſmodi circum ſeptam, divino honore adorandam ſtatuunt. Et hoc fit, ut dixi, per annos ſingulos, die Dominica proximè ante feſtum S. Bartholomæi. Hoc tam impium Idololatriæ genus piorum animos diris cruciatibus diu torquebat. Cùm ergo anno Domini 1566. d. 18. Auguſti, Idolum hoc juxta morem illum Idolatricũ circum geſtari viderent illi, quorum animi, aliqua ſaltem Dei ſinceri honoris ſcintilla tacti erant, diutius contineri non po-

terant, quin ſe palàm veri Dei cultores, quod multi ante diſſimulârunt, oſtenderent. Convenerunt itaque hi omnes ſecundo pòſt die, Martis videlicet, ad templum illud, ubi ſitum erat hoc Idolum, hora à meridie ſecunda, ſubitóque illud vi corripuerunt, in terrâmque dejectum, & omni ex parte confractum minutim conciderunt, ſæpiúſque conculcârunt, ſæpe interim recitantes hæc verba: Schon Meiken (i. e. *formoſa Maria*) quìn loqueris? quin te ipſam adjuvas? Dirutiſque omnibus in eo templo Altaribus pixide cum ſacramento, ſimulachriſque omnibus, pictíſque tabulis demolitis, magnifica quæque omnium in eodem templo Sacellorum ornamenta devaſtarunt. *Quæ & fecerunt omnia, ſine ullo prohibente, deceſſerúntq; placidè, ſine re quavis, vel minima è Templo erepta: Quod quidem ſatis indicat, non avaritia illos ad tale quid faciendum adductos, ſed pio zelo, ut Deo ſuam, ſi fieri poſſit, redderent gloriam.* Diſcedunt ergo & eodem modo tractant Idolum aliud in Templo divi Jacobi, quod ſimili pompa circumgeſtari ſumma cum veneratione per ſingulos annos die Jacobi ſolebat. Atque huc totum, inquam, factum eſt, nullo prohibente, cum vel numerus pauciſſimus eorum

eorum conatibus reſiſtere potuiſſet: Sed tanto terrore ſubitò percuſſit DEUS multorum animos, ut quid ſibi quiſque optimum videretur, penitus ignoraret. Noctu ejuſdem diei idem fecerunt in cæteris templis, quod ante fecerunt in duobus alijs, deturbatis omnibus ſimulachris, altaribus, & cæteris hujuſmodi, Miſſalibus libris conſciſſis, omnia funditus everterunt, quæcunque ad idololatricum pertinere viderunt cultum. *Dum autem fecerunt hæc omnia, Pſalmos in Templis & Monaſterijs cecinerant, ut facilè poſſit judicari eorum conatus, neque, tamen ſunt à quoquam prohibiti.* Atque hi fuerunt omnes ex infima ſorte homines pauperes atq; ut ſe ipſe vocârunt, ironicè *Geus*, id eſt, fex plebis: Nondum enim auſi ſunt potentiores ſe huic religioni faventes oſtendere, ne bona ſua cum vita amitterent: Sed inter bonos verſantur aliquando impij Hypocritæ, qui impietati ſuæ prætexunt religionem, quales inter hos conſpiciuntur tres, qui in Monaſterijs ſpoliandis, res quaſdam furtim ſurripuerant, qui ante diem 25 ejuſdem menſis morte mulctati ſunt. Jam verò multorum animi graviter in Papiſmum incenſi videbantur, multorum autem deferveſcere, & de priſtino ſuperſtitionis ardo-

re nonnihil remittere, adeò ut cùm pauperes hi, qui totàm ferè noctem, dum Monaſterium ſpoliarunt, de manè etiam poſterioris diei per plateas turmatim curſitarent, clamantes: *Vive le Geus*! nemo unus repertus ſit, qui eos retorquere conatus nedum prohibere. Hæc omnia cùm ad Dominam Regentem, ut vocant perlata eſſent, ut ſubitum hunc tumultum ſedaret hominum animos tam alienos conciliare molità eſt. Edictum ergo, Philippi Regis nomine, & authoritate ſibi à Rege conceſſa 25. die ejuſdem menſis Auguſti edidit, in quo edixit, ne ex Nobilibus quiſquam, qui Aprili ſuperiori conqueſti eſſent ad Regentem Dominam de Inquiſitione, & alijs rebus, quid gravius pateretur, aut iis de rebus afflictaretur. Simúlque conceſſit, ut Inquiſitio, qua tantopere offendebantur eorum animi, ad tempus ceſſaret, & ut mandata, quæ ante hac ab ipſo Rege Philippo, & Imperatore Carolo Patre edita erant, & publicè proclamata, de Proteſtantibus acerbiſſimo tormento puniendis, poſthac non exequerentur Magiſtratus, ſed ut ex authoritate omnium qui ex regionibus inferioribus ſunt Magiſtratuum, alius ordo ſtatueretur de reprimendis hæreſibus. Hac

ſal-

ſaltem ſpe, ut nobiles illi, qui ſuperiori Aprili conqueſti ſunt, veros ſe & fideles juxta fidem ſuam & jusjurandum Regi ſubditos præſtarent, totiſque viribus fideliter ſeditiones, & turbas, & tumultus, qui paſſim in illis regionibus excitati erant, ſedarent, ut ceſſaret tandem Templorum, Monaſteriorum, & Clauſtrorum ruina & clades, & ne alia arma præter gladium circumferrent, *Gueuſij* illi, ut vocant. cùm ad conciones & publicam orationem convenirent, hoc edictum Antverpiâ erat miſſum, ut dixi. At eodem die 25. Auguſti in Flandria, Arteſia, Hañonia, proclamatio, vel *Placeat* (ut vocant) Regis nomine edita eſt, qua hęc verba inter alia multa continentur, eos homines (*Gueuſios*) eſſe *ſacrilegos, fures, publicos DEI hoſtes, Regis & Mundi*; *cuivis* concedere facultatem eos interficiendi; ut non modo quilibet id impune faciat, ſed etiam cum honore, tanquam is, qui Reipublicæ hoſtem interficiat, atque patriæ proditorem, &c. Sed nihilominus, initio Septembris communi paci conſultum eſt decreto Principis Auriaci (qui authoritate Philippi Regis præfectus erat Antverpiæ) cum Proceribus municipiorum, & oppidi optimatibus, Papicolæ ſuam, item Evangelici ſuam ha-

berent Religionem, pacificam, ſine ullo prohibente, adeò tamen ut utrique civili ordinationi obedientes in omnibus rebus politicis, quoad aliâs decretum eſſet, & ſtatutum, proxima omnium Magiſtratuum Synodo, & ut ne cui liceret ex Papiſtis Proteſtantium religionem impedire, neque & Proteſtantibus Papiſtarum, ſub gravi pœna. Huic autem ordinationi ſubſcripſerunt omnes, tam Catholici (ut gloriantur ſe appellare Papiſtæ,) quàm Proteſtantes, adeò ut exinde congregarint ſe Evangelici, ad orationes & conciones, bis per ſeptimanam intra urbem, cùm ante id eis non liceret niſi in agro, neq; id quidem vix, omniàque jam pacata ſunt & tranquilla, & oppidum fortiter munitum, cuſtodiæque noctes atque dies conſtitutæ, ne violetur hoc decretum, quod ſtatutum eſt de communi conſilio. Ad d. 19. Septemb. multiplex & varium exauditur murmur multorum, qui confusè confluxerunt in forum ad Monaſterium Fratrum Prædicatorum, & per totum ferè diem turmatim per plateas curſitaverunt, neque qua de cauſa tantopere concitata ſit multitudo, certò conjectari poterat. Hanc autem multitudinis commotionem prudenter ſedavit Princeps Auriacus, con-

conſtitutis oppidò cuſtodibus, ne quid Monachis & Fratribus illatum eſſet damni &c. His rebus peractis, fauſtè & feliciter in vinea Dominica ſucceſſit labor, adeò ut jam Ædem extruere cœperint Proteſtantes, ubi verbum Dei publicè prædicant.

IV. Multum TERTIO huc contulit in firmitas adverſariorum in diſputando, quâ factum, ut vel argumenta opponentium riderentur, vel bonitas cauſæ noſtratium magis pateſceret, usque adeo ut nonnulli hac occaſione veritati herbam *b* porrigere, errorique renuntiare fuerint coacti: Alij verò diſputandi vices planè detrectaverint. Quin & fraudes paulatim detectæ, magnam Hierarchiæ & ſuperſtitioni Pontificiæ exitium parârunt.

a Exempla manifeſta ſunt 1. in diſputatione *Tigurina*, in qua doctiſſimi quique ex ſcriptúris argumentari juſſi, infantiam ſuam & ignorantiam teſtati ſunt: Vid. *Hiſtor. noſtr. Eccleſ.* Tom. VII pag. 628. 2. Nec felicius ſucceſſit Pontificio clero *Bernenſis*, vel ipſis adver-

ſarijs teſtibus luculentum: ea de re judicium Canonici Wormatienſis αὐτολεξεὶ alibi dedimus. *Tom. VII. Hiſtor.* p. 649. 3. In congreſſu *Apologetico Lucernenſi*, Conradi Fabricij, Commendatoris Kuſſenacenſis, cum Plebano Lucernano. Jam anno Chriſti 1522. publicæ habitæ erant conciones Lucernæ contra Pontificem, ejuſque Monarchiam Eccleſiaſticam (de quibus *Hiſtor. Eccleſ.* Tom. V. pag. 340) quæ jam in vulgus emanaſſe videbantur. Ortum hinc commercium Epiſtolicum, inter utrumque, quo alter cauſam Chriſti, alter Pontificis egit: Uter felicius, ex ipſis tutiſſime judicabit lector Epiſtolis, quæ Fabricij nobis manu exaratæ, ſunt relictæ. Ita ergo *Iohannes Bodler*, *Magiſtro Conrado Schmid*, *Commendatori in Kuſſnacht*, S. P. D. Venerande Vir, Recepi literas tuas, & optimè notavi lectas, quòd diſtinctè & articulatim trutinaveris mea ſcripta, ſi vel in aliquo ullam clauſulam præteriens laceſſere mea poſſes. Credo timueris minus ſufficientem occaſionem reperires, cùm ad uſque unicum apicem attendens mea carpſiiti, feciſti planè quòd expectabam: Sed non ægrè tuli, ubi digna tractâſti, gratiſſimum habeo: Sic ubi indigna, patienter fero. Reſpondeo ta-

tamen ut exigis, & perlibenter, ſi tamen ut calumpnieris, à modo, non me provoces. *Ad Grammatica primùm, hinc inde notâſti. Scio, quia ineptioris Linguæ ſum, aut minus eloquens: nec verbo, nec litera ornatus, ab heri & nudius tertius, neque mihi arrogavi unquam eam, quæ paucis conceditur. Linguæ & literarum perfectionem, ut non offendam.* Sufficit mihi, meam couceperis mentem procul. Item ſcribis, me non deſiderâſſe ſalutem, & dicis, honeſtatis id gratiâ ſolùm, & fictè factum. Qui judicat eos, Dominus eſt. Dicis, ſervâſſe te modum, in re, quam mecum egiſti. Si convitia ſunt modus, optimus ſervatus eſt. Excuſaste', quòd non prius examinaveris me pauco labore. Scribis ut prius: ut convenires, primùm maximè bonò id licuiſſe viro, non ſuper eò, quod publicè prædicavi: Sed quòd mente corrupta delatum eſt, aut perfida obſervatum aure. De nebulonibus, quos ponis non ita planè, qui ſint, ſum informatus, quod nunquam eorum conditiones quos depingis, in me tam expertus, quæ tamen magiſtra eſt experientia, & optima rerum. Mundum fâteris in maligno poſitum: Sed retorques in me, quòd non deſinam evertere, quæ docueris, Chriſtiana.

Quod

Quod didicimus prædico, & quod credidimus, adhuc credo Sunt qui noverant deſtruere & tuos & meos ſermones, &, quis ſit de Eccleſia malignantium, ex dictis noſtris & factis facile his patet. Quod famæ ac nominis rationem habeam, quis prohibet diſcretus vir, cùm is crudelis ſit, qui negligit famam, & contemptor Apoſtolicæ doctrinæ, qui non curat de bono nomine, neque tu, ſi tuæ non timuiſſes famæ, infamatorium feciſſes tractatum imprimi. *De capite Eccleſiæ & vicariatu audiviſti quod aſſero:* Multa adducis: *Satisfactum eſt à prædeceſſoribus, viris Sanctis & clariſſimis doctoribus*, & in familijs ſacratiſſimis determinatum, de Chriſto, de Papa, ſecundum varias Metaphoras pro varietate conditionum capitis. De libello famoſo, ſcio qualis ſcribatur à Juriſtis; ſed ad eum ſenſum ego eum etiam appello, quem impreſſiſti, qui libellus ſit, & infamatorius maximè in me, niſi fortè honor meus (quem & cognomine ſubſannus) ſit, quòd ſim der bodenlår der Göttlichen Kunſt / der da prediget / ꝛc. Putas ne bone vir, celebrem gloriam ex hoc conſecutus fueris, viri honeſti apud eos, qui me & nomen noverunt, & ſine affectu perfido audierunt, aut ex tua, qui legerunt impreſſa?

Ul-

Ultra, ut occaſionem habeas circa ſingulas calumpniandi clauſulas, ponis tamen, quod ſub illis terminis non deſcripſi: Si notaſti, *deſcripſi Eccleſiam Romanam non univerſalem.* Illam (ut in memoriam reducam repetens mea) deſcribo iterum, *omnium eorum fidelium congregationem, qui noverunt eam matrem ſuarum, Eccleſiarum & Papam ſummum & primum omnium earum Paſtorem.* Si ex hoc pro intellectu tuo deducis, quod velim *univerſalem*, ſit talis: Eam univerſalitatem qualem deſcribo, confiteor veram, &, ut licet, veneror, una cum ſanctionibus. Videat quiſque cujus ſit: Ego membrum Chriſti, utinam viride ſim! Filius parochianus Romanæ Eccleſiæ. *Ovis, commiſſi ovilis primùm S. Petro, ſupremo Paſtori.* Illa *ſuperioritas,* quam fateor, impulit, ad inferendum terminum *ſuperioritatis*, quem ineptum corrigis, poſuiſſem Apoſtolicæ authoritatis aut qui aptior videtur prælationis. Sed multi contendunt *paritatem poteſtatis compati prælationi, ſed non ſuperioritatem, & majoritatem poteſtatis, præſertim juriſdictionis,* quam tamen in eo termino, imò aſſero & prædico. Neque ita effrenatæ unquam ſim, & enervatæ mentis, aut intellectus tam ſuperbi, ut ab illo ſim ceſ-

ſu-

ceſſurus, *cùm altius quid determinaverit: aut jam diu determinata (quod ſerò ſpero futurum) ceſſaverit.* De *interventu Sanctorum*, quem terminum barbarolatinnm dicis: Sit talis vel non, eundem alias etiam in Latinis legi Codicibus, dicis non probè me intelligere fiduciam ad ſanctos habendam, & per plura declaras, quomodo in ſolo Deo ſit ſperandum, &c. Habeo, qui reſpondeant pro me ad hoc, Viros ſanctos, à quibus didici, *quòd poſſit haberi fiducia & ſpes ex interceſſionibus Sanctorum, quorum oratione, maximam vim habent apud Deum, ſic tamen ut non tantummodò rem noſtram ipſis mandemus curandam, præfigentes nobis quaſi totum meritum ex iis pendere poſſit.* Sed ex Dei miſericordia priuſquam conſtituenda potiſſimum eſt ſpes in morum ſanctitate, vitæ pœnitentis emendatione, aliter habentes fiduciam falluntur. Cùm autem Dei miſericordia excluditur innitendo ſolum operibus noſtris, aut cum Creatura (hoc eſt interceſſio Sanctorum) nis proponitur, *meritum noſtrum ſolùm in Sanctos, reſpondeo morum Sanctitate, & juſtitia neglecta, niſi ſanctiſſimi Viri errent, inſanum habere credo intellectum.* Conferas rogo, quas hic mitto ſuper eo cum

cum prioribus, quas miſi literis, & videbis ſi non idem redit, ſed te me provocante hic enucleatius, Hieronymianam interpretaionem quam adducis ad eum etiam ſenſum capere neceſſe eſt: De Parentheſi; *Si tamen Evangelio, &c.* monſtrum facis, quaſi talis nunquam aliâs fuerit auditus loquendi modus, credo quòd & tu ipſe aliquando etiam in concionibùs eo fueris uſus non quòd dubitares; *ſed ut fidem audientibus firmiorem faceres, & ad credendum induceres, ſi & Evangelio & Scripturæ ſic habent ſacratiſſima, &c.* Obteſtaris Deum inter cæta, ut prior tibi famam reſarciam. *Quod debuit & licuit feci, publicè in cancellis, in memoriam revocando* ſingula â me prius prædicata, quæ tangebant tui libelli in me convitia impreſſa, adjuravi obſervatione vehementiſſima de articulo ad articulum, totum populum, clerum & laicos, ut ſi quis aliud à me audierint ille contrarium palàm revelet: nullo audito, proſequebar narrationem. Poſtremum quæris, ſi libeat calcographis, velis demandare imprimenda, & tua & mea. Sed jam nunc tua gratia ſcis qualis prædicer, & tu prædicaris in vulgo nobis: Facias tuis cum rebus quod

tibi

tibi videtur rationabilius. Ineptiæ meæ notis ſunt aliâs ſatis notæ. Ignotis quid eſt opus eas (non quòd eorum me pudeat) facere notas. Vale optime Vir, & des requiem, à modo, conviciatorio calamo. Cauſæ deveniant, occurrente competentiori medio ad ſua loca & judices. Iterum vale. Datæ Lucernæ craſt. feſti corporis Chriſti, anno 22. Ad quæ, paulò poſt *ſuo Domino Iohanni Bodler, Paſtori Lucernanó, fratri & amico, & Conradus Faber, S. P D.* Literas tuas legi, in quibus me prolixitatis arguis, brevior nunc ero. Nam ſi perpetuo tecum contenderem, non aliud efficerem, quàm quod Proverbio quoque dici ſolet, Æthiopem dealbarem: *Ita confusè omnia miſces, & mixtim omnia confundis, ut tandem id ſit, quod velis ne Sibyllas quidem olfacturas arbitrer.* Nam ut exempli cauſa unum & alterum afferam, dicis tuorum & meorum fore ſermonum deſtructores *quia humana ſunt ea, quæ tu tradis, quid facilius, quàm ea deſtruere poſſe homines? Quòd verò ipſe docueram & doceo, ſermo Dei vivus eſt, & verax, cui reſiſtere nemo poterit, niſi convitiando.* Tu, ſi vales, everte. Famæ meæ nihil timui, cûm Apoſtolica doctrina (ut tuis utar verbis) DEI mi-

miniſtris per infamiam & bonam famam, per convitia & laudes, comendet, 2. Cor. 6 ob id non *infamatorium*, ut tu appellas, ſed divinæ veritatis contra hoſtes ejus defenſorium edidi libellum. *Cùm verò Romanum Pontificē facis omnium Eccleſiarū, neſcio an Regem, an Imperatorem, videri tamen vis ante noviſſe, quod non debeat univerſalis appellari, & dum multum ratiocinaris, nihil aliud agis, quàm quòd ad univerſalem attinet:* ſunt enim *omne* & *univerſale* conſobrinæ. Huc verò tandem deſcendis, ut te membrum Chriſti eſſe dicas, id quod rectè facis, modò ne alterius fias: Pallium enim nimis breve eſt, juxta *Eſajæ* verbum, rivalem admittere non poteſt: *Unus Deus, una fides, unum baptiſma. Quid mihi duo capita fingis? Si Chriſti es, jam ſatis eſt. In hoc perſto.* Noli ad creaturam deſcendere. Pretio enim magno à plagiario redemtus es, mi frater, noli ſervus hominum fieri, 1. *Cor.* 7. Quod ad *Magiſtratum* attinet, non dedignor cujusvis imò non tuum, nedum Romani Pontificis Magiſterium, *modò ne Deum ſe mihi faciat, neque quod unius Chriſti eſſe certò ſcio, ipſe ſibi vendicet.* Paſce oves meas, dixit Chriſtus Petro, *non univerſum ovile,* quod id ne poſſet quidem, etiamſi vellet Petrus, nec paruiſſet etiam

C Pe-

Petrus huic verbo Chriſti, ſi in huncſenſum capi deberent ejus verba. *Nam nunquam legimus, Petrum hunc Magiſtratum obiiſſe.* Summa hujus clauſulæ ſit, *aliud eſt ovis una & altera, aliud univerſum ovile.* Vide, quo loco res tibi ſit, annon in ſenſuum incunabulis hæreas? Secundum eſt, *quòd plures pro te de Sanctorum interventu* (ut barbaries maneat ſalva) *reſpondere aſſeris: Reſpondeant, quotquot velint, & quicquid velint. Reſpondet pro me unus Chriſtus, per unum Paulum, unicam veritatem, qui ſuas imperveſtigabiles divitias juſſit Paulum* (ut eſt apud *Epheſ.*) *omnibus gentibus annunciare, atque in lucem proferre, quas quidem divitias Chriſti cùm emarceſcere ſenſero, tum creaturarum opem implorare incipiam: quo ad verò has Chriſtianiſmi divitias ſciam & credo tam fore opulentas, ut potis ſit & lubens velit tam condonare noxam, quàm impertiri bonum, neque ad hoc aliquo, quantumvis ſpecioſo & ſplendido opere bono, aut cujuſpiam creaturæ etiam ſanctiſſimæ patrocinio, indigeat ſed ad hujuſce divitias Chriſti, per Chriſtum unicum, habeamus audaciam & aditum cum fiducia, quæ eſt per fidem illius,* ad Epheſ. 3. ab illis aliò vel ad ictum oculi deflectere oculos, rectè nunquam ſatis per-

perſuadebis: Etſi omnia ad tuum ſenſum torqueas, quem ego minimè amplector.

Tertium eſt, quòd multis verborum verbis producis, quòd te commonefacere debueram, antequam noſtrum libellum edere, quaſi verò ipſe prius admonueris, cùm id juxta mentem Chriſti docueramus, evertere tentaſſes nobis inconſultis. Audiſti jam dudum, audi iterum, tu primum debuiſti nos admonere, ſi quid peccatum erat, adhuc degebam Lucernæ, quando in me convitia projicere tentabas, me tibi ea luce, *quâ prædicâram, non ſemel obviam habuiſti, ſi id mihi erga te opportunitatis obveniſſet, feciſſem id quod jam ſæpius boni viri eſſe interſonuiſti.* Ego autem, cùm tu infirmare tentâſſes, ea quæ rectè docueram, nec ipſe ea defendere apud Lucernanos poſſem, propter loci interſtitium. Nam iniquè egi, ſi ſcriptis hoc feci, quod voce ipſe eras permiſſurus, cùm præſertim libellus noſter nunquam ad tot homines perventurus ſit, ad quot vox tua pervolavit. Convitia me ſcribere quereris, ego te queror ignorare, quænam dicantur convitia; Virulentiâ autem tua omnia ita plena ſunt, ut non poſſint quicquam ad ſe capere. Quare te per Chriſtum hortor,

ne mihi perpetuò pergas moleſtus eſſe: Nihil enim ex tuis literis ſperare poſſum lucri, nec quod tecum contendendo doctiorem fieri liceat: Non tamen quòd unquam tua ſcripta parvi pendam: Scribe amice, quoties libuerit. Quod litem minaris, non eſt quod metuam, ſi nactus æquum judicem fuero; verum ut tibi conſulam, à litibus abſtine: Id quod Chriſtus etiam juſſit. Neſcis enim, quòd curta tibi ea in re futura ſit ſupellex, & tibi, & mihi quietem concilia. Vale diu ac bene, & me, ac ego te, redama. Datum Kiſsnaci, Kalendas Julij, anno 22

b Cujusmodi erant 1. *Vergerij*, fratres. Cùm enim Petrus Paulus, Juſtinopolitanus in Iſtria Epiſcopus, confutandi cauſa libros adverſariorum diligenter excutit, & attentè conſiderat argumenta, captum ſe victúmque ſentit, & abjecta ſpe Cardinalatus, ad fratrem ſuum germanum Johannem Baptiſtam Polæ Civitatis Epiſcopum abit, & re tota commemorata, conſilium exquirit. Frater, initio territus conditionem hominis deplorat: Sed quum illius precibus inductus ad Scripturæ pervestigationem ſe ſe applicâſſet, inprimis autem illud doctrinæ caput, quod eſt

eſt de juſtificatione, diligenter expendiſſet, facta ſententiarum collatione cedit, & falſam eſſe doctrinam Pontificiam judicat, itaque mutuo ſibi gratulantes, quod proprium eſt Epiſcoporum munus, populum erudire cœperunt per Iſtriam &c. *Sleidan.* Commentar. lib. 20. pag. 268. a. 2. *Contarenus*, Legatus Pontificis, qui ad Germanos per Pontificem miſſus, Orthodoxam de juſtificatione ſententiam imbibit, unde & exiguam apud Pontificem, totúmque Cardinalium Collegium gratiam inijt, non ſine veneni ſuſpicione paulò poſt defunctus, *Id.* l. 14. pag. 170. 3. *M. Adrianus*, Concionator Abbatis Sangallenſis, qui multa contra Evangelicos públicè dixerat, re melius penſitata palinodiam ipſo die Chriſto natali 25. Decembris in templo Laurentiano cecinit, & errores Pontificis palàm fuit deteſtatus. *Scult.* Annal. an. Chriſti 1527. Inter Anglos Martyres præ cæteris commendabatur *Iohannes Frythus.* Libellus ejus de Sacramentis (cujus Epitomen *Foxus*, p. 129. recenſet) feſtuca erat in adverſariorum oculis. Morus exemplar libelli nactus calamum acuit, quantum poteſt, adoleſcenti reſponſurus; Sed ita, ut librum ſemel editum

ac nondum oſtenſum mox deinde à typis omnibus modis curaret ſupprimendum, fortaſſis in hoc, ne qua ad Frythi manus libri illius copia deveniret. Ille tamen per amicos potius exemplari tumultuariè deſcripto, reſpondet è carcere, nihil prætermittens, quod ad abſolutam ejus rei pertractationem quisquam deſideret. Hujus rationes ac argumenta, atque à Doctoribus petita teſtimonia ſingula commemorare, ut immenſi eſſet negotij, ita nec valde neceſſarij eſſe arbitror. Præſertim cum Archiepiſcopus Cantuarienſis Crammerus, in ſuo adverſus Vintonienſem Apologetico, idem abundè præſtitiſſe videatur, hinc contracta maxima præſidiorum copia, quibus contra eum nititur. Nec ſcio, an ulli magis authori hujuſce doctrinæ fidem acceptam debuit Archiepiſcopus, quàm Frytho huic adoleſcenti. *Fox.* lib. 1. Huc etiam illi pertinent, qui ex itineribus Romanis meliores redditi ſunt. Ita Philippus Burgundus, poſtea Ultrajectinus Epiſcopus, Romam à Maximiliano II. ablegatus ad Julium II. Evangelicus ferè redijt. Etenim, interrogatus, ut Roma placeret, nullum locum magis placere aſſeverabat. Si illa

ſcelerum fex (Curtiſanos vocant) procul iſthic ablegaretur: Cives Romanos, qui veteres nominantur, graves eſſe viros dicebat. Sacrificorum, Epiſcoporum, Cardinalium, Pontificis Maximi non minus impudentem, quàm impurum luxum ac faſtum ita execrabatur, ut affirmaret, ſe non dubitare, quin Gentiles & Pagani caſtius innocentiúſque vixerint, quàm hi; qui nunc Chriſtiano orbi religionis leges præſcribunt. Addebat, ſe vidiſſe Cardinales quoſdam primi nominis, dum ſacræ reliquiæ populo & præcipuè Germanis noſtris venerandæ oſtenderentur, exertis linguis ac digitis in turpem modum compoſitis, noſtrorum ſimplicitati inſultâſſe. Nihil apud hoc hominum genus ſacrum eſſe referebat, præter aurum, & quæ vel nominari nefas ſit. Nihil ei Romæ placuit, præter cœlum & ſolum, lapides & ligna, & cives illos Romanos. Hac legatione, inter cætera, hoc aſſecutum ſe prædicabat, quod plurimorum Pontificum Maximorum diplomata, leges, decreta, indulgentias ut meras impoſturas, ut pluſquam perniciosa veneficia deteſtaretur. *Gerard. Noviom.* in vita ejus Marg. Auſt. dedicata. Nec illi hoc loco negligendi ſunt, qui aliud agen-

 do,

do, & jocis ſeria Pontificiorum eluſerunt argumenta. Mitto authorem Epiſtolarum virorum obſcurorum, Moriam Eraſmi, Paſſavantij Epiſtolam; Naviculam ſtultorum, &c. unum addimus ex annalibus domeſticis. Cùm libertas manducandi carnes introducta eſſet in Helvetia, malè; ita Lucernenſis Tigurinum compellabat; facitis, quud ne quidem diebus jejunio ſacris abſtinetis ab eſu carnium. Imò; reſpondit Tigurinus; & vos ea, quæ non magis quàm carnem, per leges edere licet, liberè manducatis: Ipſam quin etiam carnem. At, excepit Lucernenſis, facultatem hanc à Pontifice pecuniâ redimimus. Nos verò regeſſit Tigurinus, carnes noſtras à lanijs: Si igitur pecuniâ res corrigitur, vitio nobis verti non poteſt, quod jure vos facere cenſetis. *Bulling.* Hiſtor. Ref. Mſc. pag. 53.

c, A. C. 1524. Brunſuigæ non ſine magnis motibus, qui triennium ipſum durârunt, doctrina Papæ abjecta, doctrina Chriſti fuit admiſſa. Minoritis hoc anno Concilium ibi celebrantibus, & propoſitis publicis propoſitionibus invocationem Sanctorum, & Sacrificium Miſſæ tueri conantibus, non ſolùm viri docti, ſed cives etiam aliquot acriter ſe oppoſuere.

Mo-

Monachi eorum nomina deferunt ad Unionem, (ſic enim vocabatur Conſiſtorium Eccleſiaſticorum Prælatorum, in quo erant decem Prælati, ut Abbas Ægidianus, duo Decani ad S. Blaſium, & S. Cyriacum in ſuburbio, & deinde ſeptem paſtores) Unio ad Senatum urbis: Is pleroſque qui accuſati, ejicit, lectione librorum Lutheri omnibus interdicit, in libros N. Teſtamenti à Luthero verſi oſtiatim inquirit, tamen hoc ipſo anno Johannes Copmannus ſacellanus ad D. Virginem, & Conradus Trutenbellius, graviter concione contra Pontificios diſputant, civibúſque amorem Evangelij inſtillant. Novæ igitur turbæ. Præſides Unionis volunt Sacellanos remotos, cives volunt retentos: Senatus nolens reluctari Unioni, diſcedit ex urbe. Cives illum revocant, obedientiam promittunt in omnibus, modò Evangelij libera prædicatio concedatur. Redit Senatus: Dominicanos & Minoritas diſputationem cum concionatoribus detrectantes ejicit. Præſidibus Unionis, dimiſſionem Concionatorum petentibus reſpondet: Culpam hujus rei ipſis præſtandam, quòd otioſi ventres ſubſtituerint ſibi, quos modò accuſent, Sacellanos. Si nunc illos

 amo-

amotos velint perdituros eos ſe, & urbem, & Senatum in eundem etiam annum comitatus Hoyenſis Eccleſiarum Reformatio, quam Jodocus Comes inchoavit, & quatuor filij ipſius, Albertus, Ericus, Otto & Fridericus ultimi iſtius ſtemmatis Comites continuarunt. Legerat Jodocus Comes in ſummo mœrore, ſuo ſubmiſſos ſibi à Sacro Comite Wolfgango de Gleichen Lutheri & Melanchthonis libros, contuleratque de ijs cum aulico concionatore, Sacrifico & Confeſſore ſuo Conrado Drudekeno, quem inſtigatus ab Erneſto Duce Luneburgenſi, Wittebergam miſit accerſitum virum aliquem eruditum, qui Monachos Terminarios, & alios Miſſificos compeſcere poſſit. Lutherus miſit Adrianum Boxſchotium Antverpienſem, qui Antverpiæ cucullum exuerat, & Wittebergam profectus fuerat, Virum in Latina Lingua facundum, & in Belgico ſermone ſuavem, qni de voluntate Comitis Templum ingreſſus Neoburgi (quod eſt ampliſſimi Comitatus primarium oppidum) Monachum in Lutherum è ſuggeſtu fulminantem ita adortus eſt. Ego ad hoc vocatus ſum ab inclyto Comite Hoyenſi, Domine Jodoce, ut te & tuos mendacij argue-

gue-

guerem: Ideò dic tu, perverſe Monache, idque palàm coram Eccleſia hac, ubi, quando & quibus in locis erravit Lutherus? Obmutuit Monachus; & clàm de ſuggeſtu deſcendens aliò profugit, nunquam in Comitatum illum reverſus. Adrianus proxima concione ſuggeſtum conſcendit, diſputatione publica, ſe Pontificios errores confutaturum, Lutheri dogmata probaturum edicit. Sed Monachis diſputationem refugientibus Comes Jodocus per hunc Adrianum Miſſas, Vigilias, invocationes Sanctorum & totum abominationum Pontificiarum Chaos abolet: Adriano Eccleſiæ in oppido Hoya paſtore declarato, Cyriaco Heſſo ac Alberto Mansfeldico Comite ad ſe miſſo aulici concionatoris, M. Jodoco Crammio à Duce Luneburgico miſſo, urbici Paſtoris Neoburgij officio demandato.

d. Illuſtre in Anglia occurrit exemplum, de quo Johannes Hockerus, Meydſtanenſis Anglus. Non erit repetitio ejus hoc loco odioſa, tum quòd correctior ejus diſcriptio nobis obtigerit, tum quòd hæc ejus ſedes ſit propria. Ita ergo illa: Ruit hic paſſim Azoticus Dagon, Bel, ille Babylonienſium dudum confractus

eſt

eſt. Repertus eſt nuper Cantianorum DEUS ligneus penſilis Chriſtus, qui cum ipſo Protheo concertare potuiſſet. Nam & capite nutare, minari oculis, barbam concutere, incurvare corpus, adeuntium averſari & recipere preces ſcitiſſimé noverat. Hic, cum vicales Monachi cauſa ſua caderent, repertus eſt in eorum templo plurimo cinctus anathemate, linteis, cereis, agricis urticis, exterisque dicatus munèribus. Subodoratus eſt fucum cordatus Vir, Nicolaus, Partrygij noſtri frater. Affixum ergo parieti è veſtigio ſolvit, apparent artes, apparet impoſtura, mirus ac Polypeus præſtigiator deprehenditur. Erant foraminoſo corpori oculatæ paſſim fiſtulæ, in quibus ductile per pinnulas ferrum à Myſtagogo trahebatur, laminis nihilominus meatus artificiosè celantibus. Hinc factum eſt, ut populum Cantianum, imò Angliam totam jam ſeculis aliquot magno cum quæſtu dementarit. Patefactus Meydſtonenſibus meis ſpectaculum primitus dedit, ex ſummo ſe culmine confertiſſimo oſtentante populo, alijs ex animo, alijs Ajacem riſu ſimulantibus. Delatus hinc circulator Londinum eſt. Inviſit aulam Regis. Regem ipſum novus hoſpes novo ſalutat

tat more; conglomerant ipſum ritu aulici, Barones, Duces, Marchiones, Comites: Adſunt è longinquo, circumſtant, intuentur, & vident penitus. Agit ille, minatur oculis, averſatur ore, diſtorquet nares, mittit deorſum caput, incurvat deorſum, annuit & renuit. Vident, rident, mirantur. Strepit vocibus theatrum, volitat ſuper æthera clamor. Rex ipſe incertum gaviſus ne magis ſit ob patefactam impoſturam, an magis doluerit ex animo tot ſeculis miſere plebi fuiſſe impoſitum. Quid multis opus? Res delata eſt ad Conciliarios. Hinc poſt dies aliquot habita Londini concio, prædicabat è ſacra Cathedra Epiſcopus Roffenſis, ſtat ex adverſo Danieli Bel Cantiano; ſummo erectus pulpito. Hic denuò ſeſe aperit, hic denuò Comœdus fabulam ſcitè agit. Mirantur, indignantur, ſtupent. Pudet ab idolo tam turpiter fuiſſe deluſos. Cúmque jam incaleſceret concionator, ut verbum Dei occultè operaretur in cordibus Auditorum præcipitio devolutus eſt ligneus truncus in confertiſſimos Auditores. Hic varius auditur diverſorum clamor, rapitur, laceratur, fruſtulatim comminuitur, ſcinditúrque in mille confractus partes &c. Et ipſe *Nicolaus Partri-*

trigin, *ad* Bullingerum: *Germanus quidam ex ſodalitio illorum Mercatorum, qui agunt, Londini mira nobis narravit, de divis nonnullis, qui prius fixas habuere ſedes & immotas procul à Londino, jam equitâſſe Londinum*, illicque ſtupenda in maximo cœtu edidiſſe. De barbata imagine Kantiana crucifixi (noſtra lingua vocatur the Rade of grace) prope Meydſtan ita nobis retulit, eam, Epiſcopo Roſenſi ad crucem divi Pauli ad Londinum concionante, in frequentiſſimo cætu nobilium ac aliorum, ligneis ac lapideis Dijs, nonnullis celeberrimis præſentibus, rotâſſe caput, volviſſe oculos, ſpumaſſe, lacrymas per genas fudiſſe, quod ita intonâſſet pius Epiſcopus adverſus has imagines: Satellites illi divi, Kantianæ imaginis non multò diſſimilia fecere. Sperant brevi etiam Walſingamicam virginem, ac D. Thomam Cantuarienſem, nec non alias imagines eodem loci ſua quoque edituras miracula, quæ cujuſmodi ſint, ſatis opinor intelligis. Retecta eſt ars peſſimorum nebulonum ita publicè in illa imagine crucifixi, ut omnes fremerent adverſus hos Monachos, hujuſmodi impoſtores, ut execrarentur imagines, & imaginum cultores.

V. Sed

V. Sed & *infelix* tam *a* abnegatorum, quàm *b perſecutorum* exitus, luculenter ſubinde oſtendit τὸ ἔκδικον Θεοῦ ὄμμα, & quòd Deus gregis ſui, veluti pupillæ oculi, paternam habeat rationem.

a Sit, exempli loco, 1. *Franciſcus Spiera*, in agro Patavino Venetorum ditionis oppido, Citadella civis, homo forenſis, & cauſidicus valde exercitatus. Is incredibili quodam ardore cœpit complecti puriorem doctrinam: Et quum in dies magis proficeret, non domi tantùm apud amicos, quid ſentiret de ſingulis dogmatis, verùm etiam paſſim apud omneis explicabat. Ea res non diu potuit eſſe occulta, & tandem ad Legatum Pontificium, qui tum Venetijs erat, Johannem Caſum, Archiepiſcopum Beneventanum, delata fuit: ubi hoc Spiera cognovit, facilè ſuum intellexit periculum, cum ergo diu multúmque in omnem partem deliberâſſet, tandem ſtatuit vocatus convenire Legatum. Itaque profectus Venetias, & errorem ſuum, uti putabat, vel metus cauſa dicebat, confeſſus, veniam poſcit, & obſequentiam in poſterum pollicetur.

Le-

Legatus, tametſi propter ſpontaneam confeſſionem gaudebat, tamen exempli cauſa jubet, ut domum reverſus ante dicta publice revocet. Accipit ille conditionem: & licèt jam tum inciperet ipſum pœnitere facti, tamen urgentibus amicis, qui non ipſius modo; ſed conjugis etiam & liberorum, & facultatum ipſius. ſpem totam in eo poſitam eſſe dicerent, obtemperavit. Verùm non multò poſt in ægritudinum incidit tum animi, tum corporis, déque miſericordia Dei cœpit deſperare: De conſilio igitur amicorum Citadella defertur Patavium, ut & Medicorum operam, & doctorum hominum haberet paratam conſolationem. Medici, Johannes Paulus Craſſus, Bellacata, Friſimeliga, ſtatim ubi vidiſſent, ex vehementiori cogitatione natum morbum, nec ullum eſſe remedium præſtantius judicabant, quàm animi conſolationes: Frequenter igitur quotidie ad ipſum veniebant homines docti, & S. Scripturæ teſtimonijs, quæ ſummam Dei miſericordiam nobis explicant, mentem illius ſanare ſtudebant. Ipſe verò non inficiari quidem iſta; ſed ad ſe nihil pertinere, & quòd agnitam veritatem abjurâſſet metu periculi, deſtinatum ſe cru-

cruciatibus æternis & illos jam animo ſe ſe perſentiſcere atque videre, neque Deum amare poſſe, verùm horribiliter odiſſe dicebat, in eóque perſtitit: neque jam cibum amplius capere volebat, & cùm per vim ingereretur, ſubinde reſpuit: Sleidan. lib. 20. pag. 267. Sed exatat tota Tragœdia ſeparatim edita 2. *Hoffmeiſterus*, Auguſtinianorum Provincialis, de quo Frechtus ad Vadianum an. Chr. 1542. Ulmâ: Mitto copiam propoſitionis & libenter miſiſſem quædam de verbis deſperationis illius Hoffmeiſteri, Auguſtinianorum Provincialis, eximij Eccleſiarum Chriſti turbatoris, quæ ante mortem ferè effutijt in præſentia fidé dignorum teſtium, cujusdam Conſulis Spirenſis, Archigrammatei Wormatienſis, Colmarienſis & Haganoenſis apud Nonnas in Güntzberg, oppidulo hinc ad duos lapides diſtante: Er habe GOTT betrogen/ die Warheit widerfochten/ darum er deß Teuffels ſeye/ und ſeye alſo beredt worden. Wann die Nonnen ihn haben wollen tröſten/ hat er geſagt: Hebt euch von mir ihr Nonnen / ihr ſeyt eben ſo wol deß Teuffels als ich. Papiſtæ excuſant hoc, quòd ex phreneſi iſta effuderit: Sed juſto Dei judicio ſobrietatis verba dixit. Nam

cùm Colmarienſis Archigrammateus optimè cognitus ſibi eum ſolari, & demulcere hiſce verbis conatus eſſet; Lieber Herꝛ/ ihr habet Chriſtum frey bekennt vnd geprediget / ihr habet nicht wider ihn gehandlet; dixit Monachus non phreneticus ſed ſobrius: Heb dich hinweg von mir / ich kenne dich wol / du biſt der Stadtſchreiber von Colmar: Ihr thut alle Fenſter auff / und laſt jederman herein / daß ſie ſehen und hören was ich gethan hab. Ich bin des Teuffels.

3. *Argentinenſes duo,* de quibus 1552. Gaſtus ad Bullingerum: Argentinæ Deus exercet incredibilia judicia contra hoſtes Evangelij: Duo peſte obierunt: Alter vocatus Mattheus Gretterus. Diſer hat bey 24. Jahren Pſalmen angehebt im Münſter / iſt jetz zu letzt beweget worden / widerum zu meſſen. Deſperavit omnino de miſericordia Dei, quòd, dixit ſe peccâſſe in Sp. S. & contra conſcientiam, propter lucrum & ingentia promiſſa. Alter vocatus Claudius, Concionator junioris Petri; qui ex publico ſtipendio educatus, & in Evangelica veritate inſtitutus tandem defecit, qui cúm peſte laborant, dixit, ſe non poſſe conſequi ſalutem, ſed damnatum eſſe. Vide, qualia Dominus nobis

pro-

proponit exempla ob oculos, præcipuè Papiſtis?

b Initium facimus à *Bohemis. Pœnam divinam* (ita Scult. Annal. P. 11. an. Ch. 1523. p. 392.) *quæ perſecutores Evangelij in Boemia ſecuta eſt, reticendam minimò duco.* Nam qui crudelitatis in pios hactenus exercitæ, fuerant authores, miſerabiles exitus ferè omnes habuerunt. Gallus Lacherus, Adminiſtrator, tanquam publicæ pacis turbator, & præcipuus præteritorum tumultuum author, ante ſolis occaſnm Pragam intra ſex dies regni Boëmiæ finibus, intra 14. dies omnibus Ferdinandi Provincijs, Regis mandato exire juſſus: Magiſtro Paſſeck Conſuli, Civitate interdicitur: Notarius Berohwicius ira percitus apoplexia correptus, in Regis oculis concidit, & paulò poſt moritur. Subcamerarius Plauhnarius à perſeeutione piorum Pragam reverſus cùm lætus & benevolens à cœna cubitum, iviſſet poſtridiè in loco ſecreto mortuus eſt. Quidam ex magnatibus (nomini propter familiam parco,) cùm in bellum Turcicum iturus dixiſſet, ſe bello confecto curaturum, ut omnes Picardi regno pellerentur, bona eorum in fiſcum redigerentur, cœſo à Turcis

exercitu inglorius redijt, nec in Ferdinandi conſpectum auſus eſt venire. Ferdinandus ipſe, cum infeliciter eſſet pugnatum, triſtis admodum ad ſuos dixit conſiliarios: Miror, qui fiat quòd omnes conatus mei infeliciter cedant. Cui Auſtriacus quidam animosè reſpondit: Quod, omnibus ſeculis, accidit Regibus ac Imperatoribus, idem tibi, ô Impèrator accidit. Repete memoriâ Hiſtoriam Iſraëlis & Iudæ, comperies, quòd illis ſanguinem humanum effundentibus, & ad peccata conniventibus, graves hoſtes divino judicio ſuſcitati, quibus ipſi reſiſtendo non erant. Si quando pugnam inſtituerant, infeliciter pugnârunt. Neque igitur tu aliam expectes fortunam, niſi à propoſito tuo in oppugnanda religione deſiſtas. His quoque ſubjungimus *Neuhuſium* Cancellarium, quem circa annum Chriſti 1565. diplomata fratribus Bohemis omni infeſtationum genere perſequendi conſcripſiſſe conſtat. Dum verò Viennam, ut ſubſcriberentur, deferre vellet, ponte Danubij rupto una cum rheda in aquas incidiſſe & perijſſe, ſcribit *Laſic.* lib. 7. Plura vide Hiſtor. Perſec. Eccl. Bohemic. p. 106. Poſt lanienam Pariſien-

ſienſem Carolo Regi ſomnum nocturni horrores plerumque interrumpebant, ut neceſſe eſſet pueros ſymphoniacos eundem inſtituere, donec tandem annò 1573. biennio exacto poſt graves & longos dolores, ita ut ſe mori, die ante mortem, ſenſerit, ætatis anno 24. extinctus. Diebus 14. ante mortem nihil niſi ſanguinem è corpore vidit fluere, in qua etiam ſanguinis effuſione expiravit.

In *Anglia* quid factum ſit, *Johannes Parkurſtus*, Nortovicenſis Epiſcopus, hunc in modum *Bullingero* noſtro retulit d. 26. April 1562. Ipſi Papiſtæ jam incipiunt Archipapiſtarum ſævitiam exoſam habere. Sex vel ſeptem circa initium quadrageſimæ condemnati ſunt rei læſæ Majeſtatis. Sed clementia Reginæ eos adhuc patitur vivere in turri Londonenſi. Duo ex illis vocabantur Poli, nimirum Cardinalis Poli conſanguinei. Comes Huntlæus unus ex præcipuis Scotiæ Proceribus, & Papiſta inſignis, conſilio Guiſij motus in Scotia piorum ſanguinem fundere meditabatur, ut Guiſius in Gallia. Et magna erat multorum ſeditioſorum conſpiratio. Et haud dubiè iidem tumultus & ſanguinolenti quidem fuiſſent in Scotia, qui & in Gallia, niſi DEI beneficio

in tempore detecti fuiſſent illorum conatus. Quidam in prœlio occiſi: Inter quos unus erat ex filijs Huntlæi: alter filius capite plexus cum alijs quibuſdam. Ipſe Huntlæus ad carcerem ducebatur. At in itinere retrorſum ab equo decidit, & fracto collo expiravit. Incertum eſt, an caſu hoc ſit factum, an de induſtria. Ita fertur, *Stephanum Gardinerum*, Vintonienſem, Epiſcopum, tubam & facem contra Reformatos Anglos, lenta tabe miſerabiles cruciatus perpeſſum, tandemque magno furore extinctum eſſe; *Sleidan.* contin. lib. 26. pag. 346.

VI. Gratuiti *quintò*, favoris divini, illuſtria erant veſtigia, quòd miraculosè Evangelium non minus *a* receptum, quàm conſervatum *b* fuerit; ipſiscontrà adverſarijs, idem non ſemel, quod impio militi Chriſtum capturo accidit, ut terrore percuſſi panico, timuerint, ubi timendum non erat: Ut monſtraret Deus, non deeſſe ſibi rationem, ſi vellet, extraordinarijs etiam modis & medijs Eccleſiam ſuam conſervandi.

a. Mi-

a. Miraculum enim fuiſſe, quòd duorum duntaxat, omnium ubique injurijs expoſitorum homuncionum operâ, Evangelij ſonus ad Mundi propemodum fines, veluti poſt alteram pentecoſten, pervenerit, alibi oſtendimus. Vide *Tom.* VI. pag. 184. Reliqua peti poſſunt ex Analect. P. 1. p. 1. &c.

b. Non diffitentibus adverſarijs, P. *Pauli Servitæ* judicium extat. in *Hiſtor. Concil. Trid.* p. 65. & ex eo, *ſup. Tom.* VI. pag. 182. Addi poſſent particularium Eccleſiarum exempla. Ita *Sancerram* ali. quando & *Rupellam*, miraculoſo modo DEUS tutatus eſt. Illum in tormentorum effulminatione, hunc in fame. Surdones enim (piſcis genus eſt) præter conſuetum ordinem tanta copia eò tum ſingulis diebus appellebant, ut panis loco uſus illorum piſcium eſſet tenuioribus. Et quod mirandum; abundantia illa eo pene die ceſſit, quum pace facta regius diſceſſiſſet miles. De *ſtat. relig. in Galli.* Nec miraculoſæ liberationi abſimilem fuiſſe ſolutionem obſidionis Leidenſis, illi nôrunt, qui & ruinâ mœnium, & agro navigabili obſeſſos liberatos fuiſſe, columbis etiam alarum remigio operam

ſuam conferentibus, vel non ita pridem adhuc ſuperſtites meminerunt, vel in Annalibus Belgicis legerunt. Vid. *Metteran.* lib. V. pag 171. Hinc *J. Laëtius* deſcript. Belgic. pag. 69. *Duo hanc urbem* (Leidam) *maximè nobilitant. Primùm obſidio tam fortiter tot menſibus contra potentiſſimum Hiſpanorum exercitum tolerata, & repulſa, ut vel hinc libertatis, qua hodie fruimur, auſpicium duci cœperit: Secundum, Academia florentiſſima, & toto jam orbe celeberrima*: Et hanc quidem tum Princeps Guilelmus, tum Ordines, in ſignum rei præclarè geſtæ, extare voluiſſe alij commemorant. De *Tyndallo*, Anglo, viro pio & erudito, inſigni N. T. Interprete refert *Foxus*. ter. in Eccl. geſtar. Commentar. pag. 139. Fuiſſe Antverpiæ cum mercatoribus una cœnantibus fortè præſtigiatorem, qui magicis ſuis artibus, vina ac cibos quoſcunque aut undecunque quis vellet, menſæ ſiſteret, atque hoc genus ſimilia patraret: Tyndallum, comperta re, rogâſſe ex eis aliquem, ut ſibi quoque ibi, ubi ille adeſſet, intereſſe liceret. Quid multis, conſtituta eſt cœna, accumbunt mercatores, atque cum his Tyndallus. Faſcinator rogatus, expedit omnes artes, omnem ſuam magiam fatigat; ſed fruſtra. Tan-

dem ubi omnia moliendo ac ſudando nihil procedere videt, prorſusque jacere incantationes ſuas, fateri apertè cogebatur, adeſſe in ea cœna aliquem, qui ſuas molitiones perturbaret ac impediret. Ut jam ne quis veræ fidei miracula etiam in horum temporum Martyribus deſiderare poſſit, ſi tamen miracula deſideranda ſunt. Addam, quæ *Ambroſius Blarerus*, d. 9. Octob. 1550. ſcripſit Bullingero noſtro: Johannis Ulmij literas rogo ut hocce nuntio remittas. Scripſit is ad Sororem meam Epiſtolam, Calend. Septembris datam, in qua ſimplicis cujuſdam & obſcuri; ſed interim valde pij hominis mentionem facit, *qui Londini ſolo Chriſti verbo quoslibet morbos ſanet, adeò ut cœcis etiam viſum reſtituat.* Id quod ita eſt, ut feriò ille fidem ſibi hic haberi poſtulat, minus nihilo habebunt porrò qui non credunt Evangelio, quod infidelitati ſuæ prætexant, quandoquidem jam ab initio ſigna non fidelibus, ſed infidelibus data non ignoramus. Addit Ulmius, viro illi per omnia, quo ad ſanam doctrinam attinet, cum noſtris pulchrè convenire, &c.

c Lepidam ex *Foxo*, de incendiaria quadam perturbatione, quæ inter Theo-

logos Oxonienſes orta eſt, in Templo D. Mariæ inſerere placet Hiſtoriam. *Dedimus hactenus* (ita author rer. in Eccleſ. geſtar. Commentar. p. 139.) *lector, ſatis lugubres & cruentas multorum, qui per vim & iniquam ſævitiam crudeliter extincti ſunt, Tragœdias. Accipe* nunc lepidum & plus quam comicum, viciſſim quod rideas, ſpectaculum, quod qûia neceſſariò cum rebus cohærebat præſentibus, non putavi ſilentio obliterandum. Sæpe autem varijs & apertis argumentis Pontificiorum fraudes & vaniſſimam hypocriſin eluſit Deus, veluti in Johanna illa Moguntina: quæ cùm mulier eſſet non ſolùm occulto errore ſexus, Pontificatum geſſit Romanum, ſed aperto etiam & intempeſtivo partu inter publicas ſupplicationes, turpitudinem ei Sedi inuſſit ineluibilem. Tum in glorioſa & ridicula illa (cujus alibi à nobis facta eſt mentio) Thomæ Vulſæi & Laurentij Cardinalium legatione, caſûque, quantum dedecus & puerorum riſus? Jam nec minus ſcitè iterum divina ſapientia crudeles horũ Pontificiorum ineptias ludificavit. Siquidem ſub idem ferè tempus, quo Oxoniæ hæc acta ſunt, aut non multò ſecus, accidit ut in Templum ejus Academiæ cele-

leberrimum divæ virgini ſacrum quidam pertraheretur, palinodiæ conditiones recepturus, ac faſciculo pro more geſtato, concioni ſeſiſtere cogebatur. Dies erat, ut memini, Dominicus. Confluxerunt frequentes ejus Academiæ primarij Doctores, ac Theologorum ordines formati, & non formati. Breviter, ex omni ſtudioſorum numero, quorum ingens ibi turba eſt, vix aberant ab ea concione multi, præter civium inſuper & accolarum æquè copioſam multitudinem. In ſumma templi illius nulla ferè pars ſpectatoribus vacua, ex omni hominum genere adglomeratis. Stabat reus, conſcendit Concionator, incipit: Erat autem concionis argumentum de Euchariſtia. Nec ſcio an libum etiam illud conſecratum in ſuggeſtum afferebatur, quo major fides orationi pondúſque accreſceret. Jamque Myſtagogus erat in medio æſtu ſuæ concionis, populus in magno ſilentio, cùm ſubitaria vox cujuſdam: Ignem, Ignem exclamantis, è platea in templo exaudita eſt. Quæ vox illico ab extremis primùm auditoribus excepta, moxque ex alijs ad alios, ut fieri conſuevit pervagata; tandem ad Doctorum aures, atque adeò ad Concionatorem

ipſum penetravit. Qui protinus audita re, repentino exanimati horrore, mirari apud ſe omnes, ſuſpectare in Templi tecta ac parietes circumſpicere. Cæteri ubi eos vident, ſuſpectare & ipſi quoque. Jámque iterum atque crebrius, & expreſſiori voce, per medios auditores exclamatur, Ignis, Ignis. Ubinam, inquit unus? Ubinam inquit alter? In templo ne inquit alius è numero, neſcio quis. *Vix dum ea templi mentio audita eſt, quin eodem ſimul momento publica conſequitur ſucclamatio omnium, Ignis in templo, actum eſt, templum ab Hæreticis ſuccenditur &c.* Etſi nemo videret ignis quicquam: tamen quia à cunctis ſic conclamatum eſt, nemo quod audiebat non veriſſimum exiſtimabat. Ibi demum, quæ trepidatio omnium, qui concurſus, & tumultus per totum templum ſecutus ſit, quid attinet referre, cum nulla ſit narrationi par oratio? Ejus autem exclamationis primam dedit occaſionem caminus forte cujuſdam in ea civitate incenſus, ubi ignis correpta fuligine, aridáque materia è fumario ſe attollens, paululum ſupta tectorum culmina, vicinos, ita ut fit, excitavit ad exclamandum. Talis enim apud Anglos mos eſt & ratio, ab hac, quam Germa-

mani habent, longè diverſa diſſimiliſque. Hic enim per Germaniam, ſicubi contingat incendium, nolæ è turriculis crepitantes cives excitant ad ſuccurrendum. Qui omnes è veſtigio in armis præſtò ſunt. Alij feſtinant ad mœnia, alij viarum inſident anguſtias, reliquis demandatur provincia reſtinguendi incendij. Atque inter hos varia fit laboris diſtributio, dum hi comportant aquas, illi ſitulis coriaceis, alij fiſtulatis hauſtris comportatas ſuperfundunt, quidam ſcandunt tecta, pars unco trabes ac materiam deturbant. Alij rurſus foris obſervant, agros obequitantes. Quo fit ut neque intus deſint auxilia, nec foris cuſtodia. Non eodem modo res habet in Anglia, ubi ſi quid eveniat, hujuſmodi, nullum editur publicum ſignum, ſed vox & exclamatio vicinorum cæteros quoſque ad opem concitat. Nulla civilis aut publica rerum gerendarum ratio, nec operum partitio habetur; ſed promiſcuo & tumultuario concurſu quiſque quod proximum manibus occurrit, accipit ad reſtinguendum incendium. Eoque (ut ad intermiſſum narrationis ordinem redeamus) factum eſt, ut vox illa in plateis audita de in-

cen-

cendio ſuſpicionem moveret ijs, qui in templo eſſent, quaſi templum ipſum inflammaretur. Augebat porrò ſuſpicionem primum hæretici illius cauſa, qui ad pœnitentiam vocabatur, quamobrem à cæteris hæreticis in ſuam conſpiratam eſſe perniciem exiſtimarent. Deinde ex vario concurſu & clamore populi pulvis & æſtus excitatus fumi qualemcunq; velut ſpeciem & incendij præbebat. Quæ res, accedente præſertim populari exclamatione, tantum formidinis animis omnium inceſſit, ut relicta concione in fugam ad unum omnes ſimul effunderentur. Sed obſtitit hic ipſa ſibi multitudo. Nam dum præcipite fuga una omnes ſimul impetu ad portas feruntur, ita ſe premunt obruúntque mutuo, dum certatim exire ſimul univerſi contendunt: ut neque qui in foribus hærerent, in templum redire, neque qui à tergo urgerent, egredi è templo ulla potuerint ratione. Itaque una obſtructa porta ad alteram concurritur janiculam, quæ boream verſus, collegium titulo Ænei naſi ſpectat. Sed ibi eadem rurſus vel major etiam anguſtia: ſic ſe turbis condenſantibus & collidentibus, ut res multorum periculo, ac quorundam inſuper

per exilio poſtea ex ipſa laterum membrorumque contuſione, non caruerit. Unum adhuc reſtabat oſtium verſus occidentem, quod etiamſi recluſum, raróque aliâs apertum foret, tamen tanta vi huc certatum eſt, ut prægrandi vecti ferreo (incredibile dictu) manibus hominum convulſo, oſtium nihilominus præ multitudine aperiri nequiverit. Ibi demum ſpe ac poteſtate exeundi præcluſi, in ſumma omnes perturbatione eſſe, ſurſum deorſum diſcurſare, tumultuari, vociferari, Hæreticos ſuæ necis authores inclamitare. Quóque magis clamant, eò plus fumi ac evaporationis per templi faſtigia ex ſtrepitu halitúque hominum cieri, Quaſi jam præſenti incendio omnia miſceri certiſſimè viderentur. Nunquam opinor è re tam parva, aut nulla, θόρυβος tam πανικὸς poſt hominum memoriam auditus eſt, nec in tanta ſecuritate, támq; nullo periculo, trepidationis. *Quòd ſi Democritus aliquis in ſummi culmine templi ſedens, cunctáq; tam tuta, ut erant, videns, demiſſis in hanc multitudinem oculis, tot tantásque turbas advertiſſet, ejulantium, plorantium, tumultuantium, inſanientium, nunc huc nunc illuc æſtuarijs quaſi procellis fluctuantium, pallentium, trepidantium, æſtuantium, tam*

nul-

nulla manifeſta cauſa: tum potiſſimùm, ſi magnos illos, & Rabbinos Doctores, Sapientiæ tot inſignijs onuſtos vidiſſet, tam ineptè ac ridiculè latebras ſibi quæritantes, anhelantes, ſtupentes, ſudantes horrore uſq; ad ſtuporem exanimatos ſatis opinor vel hoc uno riſu expleri in omnem vitam potuiſſet. Dum hic manifeſtè ignis fragorem ſe audire, alius etiam videre ſuis oculis affirmat: alter dejerat plumbi quoque liquefacti aduſtionem capite ſe ac humeris ſentire. Tanti valet in animis hominum ex formidine ſemel infixa imaginatio. In tota turba nemo interim modeſtius ſe gerebat, hæretico illo pœnitentiario, qui faſciculo in cervices Theologi cujuſdam depoſito, quietus in multitudine conticuit, communem expertus fortunam. Cæteri verò omnes, pro ſe quisque ſolliciti, exclamandi, tumultuandique nullum facere modum neque finem. Sed nemo impenſius, quàm ipſe concionator, Doctor, (ſed nominibus abſtineo) qui premus ferè omnium ex ſuggeſto clamans cum cæteris: *Hæ ſunt* inquit, *Hæreticorum contra me inſidiæ.* Dominus miſereatur mei, miſereatur mei Dominus. Atqui ad prædicationem hanc Concionatoris annon Dominus iterum quaſi de turbine reſpondere potuiſſet? Mi-

Miſericordiam tu quidem meam imploras, ipſe tuis conſervis ac fratribus nullam præſtas. Ad mentionem nunc incendij quàm exhorret tua caro; at cæteros exurere ſimplices & innocentes pro lepido habetis, nec penſi quicquàm facitis. Quòd ſi vobis tam videatur grave, ignium ac flammarum cruciatus ſubire, tum demum id vobis cogitandum erat in periculis alienis, quum fratres ac conſervos veſtros facibus ac flammis cruciandos exponitis. Aut ſi id in illis leve putetis eſſe, agite & ipſi nunc ſupplicia veſtra eadem levitate, ſimilique animo contemnite. Atque verò ſi toto hoc templo liquefacto, vos ad unum omnes jam in cineres atque favillas abſumi patiar, quid in vos facerem aliùd, quàm quod ipſi quotidie in veſtros facitis ac ſtruitis? Quodſi tam parvi penditis interitus aliorum, patiamini & veſtros pari quoque pondere interitus ab alijs æſtimari. Hac, inquam, aut conſimili oratione, ſi vel Deus, vel humanitas ipſa, communiſque naturæ ſenſus expoſtulare cum iſtis voluiſſet, imò ſi tam verum fuiſſet incendium, quàm ipſi falſa, ac majora pericula veris timuerant: tamen an quiſquam eſt, qui meritiſſima id talione factum du-

bitaret? Nunc verò in falſo atque inani metu, illud ſcitum erat, quo pacto horum Theologorum vel ludificata ineptia eſt; vel admonita crudelitas; quo facilius jam ſuo edocti exemplo, addiſcerent poſthac, quid ſit cæteros mortales miſeros ad crudelia vocari incendia. Sed redeo iterum ad ſpectaculi deſcriptionem: in quo cum nihil erat, ut dixi omnino periculi, eo tamen terrore tenebantur omnes, perinde ac ſi certiſſima mors omnium immineret capitibus. Atque verò in tota hac perturbatione nihil metuebatur magis, quam plumbi terribilis liquefactio, quam etiam nonnulli corpore ſe ſentire conſtanter aſſeverabant. Quippe ejuſmodi ſunt Anglorum templa ferè omnia, ut plumbeis laminis ſupernè integantur, quemadmodum apud Germanos ut plurimum ſunt imbricata. Itaque cùm magnitudo ipſa periculi tam ſubitaria ac repentina mentem ac conſilium ipſos omne expectorâſſet, tum in tanta hac ipſa conſilij inopia ſingulorum diverſa ſtudia ac molitiones contemplari pluſquam ridiculum erat. Sed multi magis ridiculè ſe gerebant, ijs qui omnium ſa-

ſapientiſſimi videbantur. Niſi quòd in uno aut fortaſſis altero pluſculum inerat ſedatioris animi. *Inter quos erat Claimundus, Corporis Chriſti Collegio, ut vocant præfectus (quem eruditionis, & venerandæ gravitatis causâ nomino) atque cum eo ſeniculi pauci, qui tum ob ſenilem imbecillitatem, non auſi ſe cæteris admiſcere, apud ſummum ejus templi altare quietè procumbunt, ſe ac vitam commendantes beato Sacramento.* Cæteri verò, qui ætate magis ac lateribus vigerent, per confertas turbas volutabant ſe ſe ſurſum ac deorſum, mirantes hominum incivilitatem, jamque irati etiam rudi ac ineleganti plebeculæ: quippe quæ Dominis Doctoribus, Semidoctoribus, Licentiatis, bisque & ter Magiſtris noſtris nihil de via cederet. Verùm, ut communis hic omnium terror, ita nullum erat hominum graduſque diſcrimen. Nihil hic Doctori præfuit pileus violaceus, non purpurea toga, non Magiſtrales tituli ac epomides juvabant quicquam. Imò ipſe ſi ad fuiſſet Rex cum Regina, hoc certè in articulo plebs fuiſſent. Poſtquam itaq; diu luctando atq; tentando omnia, nihil ſe, neq; vi, neq; authoritate valere vident, ad preces demum, & pretia converſi, libras viginti proponit unus bonæ monetæ, alius

purpuratam togam, quisquis eum vel auribus extraheret. Alij ad templi columnas arctiſſimè ſe adjungunt, rati hoc pacto immunes ſe ſub lapideo tectorio à plumbi aduſtione fore. Alij conſilij ſimul & pecuniæ, deſtituti, quo ſe verterent, neſcire. *Quidam Collegij cujusdam (parco iterum nominibus & locis) Præfectus, revulſa è ſubſellijs tabella, caput obvelat ac ſcapulas adverſus metalli cadentis injuriam, quàm multò tum ille gravius, quàm templi ruinam extemiſcebant. Jam illud quantum verò riſum ſpeculatori illi Democrito concitaret, in obeſo quodam Theologo (modeſtior erit ſine nominibus narratio) qui quum obſeſſis portis cuncta videret intercluſa, alia ſibi Methodo viam aperiundam putavit, ut per feneſtram alicubi vitream iter, ſi qua poſſet, patefaceret. Sed hic cancelli ferrei obſtiterunt. Tentare tamen mens avida voluit conſilij felicitatem: ubi igitur perfracto vitro ad ſpatia perventum eſt, ac intervalla cancellorum, ubi ei perreptandum erat, caput primum cum altero lacerto inſeruit. Succeſſit utcunque. Trahendus & alter humerus. Hic ingens labor: hæret aliquandiu in ſcapulis: Succeſſit tandem, licèt ægrè. Quid enim non labor evincit improbus? Hactenus ergo proceſſit, quanquam an huc usq; proceſſerit, aut qua*

qua potiſſimum parte ſui hæſerit, certum non habeo, nec libet fingere. Quum ſuperſint viri & αὐτόπται hujuſce fabulæ teſtes, quos nihil impedio quin fingentem corrigant. Hæſiſſe tamen in ferreis cancellis certum eſt, ita ut neq; ſe reducere, neq; educere è feneſtra potuerit. Sic itaque bonus vir dum compendium captat, in diſpendium incidit: unumque vitans periculum accerſit ſibi geminum. Quippe ſi foris graſſaretur incendium, in periculo erant ea quæ prominebant. Sin intra parietes ſæviſſet, reliquæ ſcil. partes nudæ patuiſſent incendio. Nec minus interim in foribus hærebatur quàm iſte hæſit in feneſtra: ut emori quidem poſſent illi, pedem uuum movere non poſſent. Ex qua demum compreſſione hominum inventa tandem eſt via, ut quidam ſupra capita eorum ingredientes, eo modo eluctati ſint foras. *Quin & hic occurrit non minus feſtivum in Monacho quiddam è Collegio (ni memini malè,) Gloceſtrienſi, quod & pleno rideat Calphurnius ore. Aderat fortè in hoc turbine puer adoleſcentulus, qui cùm oppreſſis multitudine foribus, nullam haberet elabendi facultatem, januam ipſam manibus, pedibusque conſcendit, ubi ad ſummam penetravit, hærere illic & ipſe cogebatur:*

 Quid

Quid enim faceret, qui neque in Ædem redire ſine metu, neque in plateas exilire ſine periculo poſſet; procumbens hic aliquandiu, tandem captat ex occaſione conſilium, neque conſilio etiam occaſio defuit, fortè enim inter cæteros illos, qui ſummis hominum verticibus ferebantur Monachum quendam adverſus ſe adventantem, cui à tergo præampla pendebat cuculla, videt. Ea occaſio non incommoda puero ad elabendum videbatur. Cùmque jam propius ille ſeſe daret, ita ut eſſet uterque vicinus alteri; puer è ſublimi commodum ſe in cucullam Monachi devolvit, ratus futurum, id quod evenit, ut elabente illo, & ipſe pariter cum eo emergeret. Quid multis? erupit tandem mediis turbis, hominum verticibus geſtatus Monachus, puerum in cuculla geſtans. Ac diu quidem nihil ſenſit oneris. Tandem ubi magis ad ſe rediit, excuſſis ac libratis humeris cucullam ſolito graviorem perſentiſcit. Deinde & vocem audiens è cuculla proloquentis, majori jam horrore quàmprius, quum in turba eſſet, concutitur. Putabat, ſine dubio, Cacodæmonem, qui templum dediſſet incendio, in ſuam involviſſe cucullam. Incipit protinus exorciſtam agere: In nomine, inquit, DEI, & omnium Sanctorum præcipio tibi, quis tu hic es qui mihi à tergo inſides? Cui ille: Ego

ſum,

ſum, inquit, puer Bertrami (nam id illi erat nomen) cùmque non crederet *Monachus: At ego, inquit, adjuro te in nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, quid ſis, aut unde ſis, dicas, atque hinc abeas maligne Spiritus. Ego ſum, inquit, puer Bertrami, quæſo te, bone Domine, abire bona pace liceat: ſimúlque cuculla dirumpi præ pondere cæpta eſt à ſcapulis. Monachus ubi rem magis intelligit, puero educto cucullam exonerat. Puer, quantum poteſt, in pedes ſe componit. Interim hi qui foris ac in platea verſabantur, circumluſtratis diligenter ſingulis, quum omnia extra periculum eſſe vident, inaniſſimam hanc mirati tempeſtatém, ſignum dant, ijs qui in templo eſſent, mota manu, ut ſe ſe quietè continerent, nihil eſſe periculi clamitantes.* Verùm, cùm vox nulla potuit præ ſtrepitu intelligi, tum ex eo ſigno, unde ſolatium his non mediocre oriri potuit, multò majorem deſperationis materiam concipiunt: ſic rem interpretantes, quaſi ob id juberent intus ſe continere, quod alioquin extra templum omnia flammis ac ruinis occupata liquatáq; materia per parietes deſtillans, majorem parerent perniciem exituris. Atque hæc tempeſtas per horas aliquot in hunc perduravit modum. Poſtridie ac tota

inſequenti ſeptimana, ſchedulæ incredibili numero valvis templorum affixæ ſunt, in quibus dę rebus perditis ac repetundis continebatur, ea varietate ac numero, ut vel hic etiam juſtus riſus Democrito deeſſe non potuerit: Si quis perones in divæ Mariæ templo heri perditas invenit, aut inventorem nôrit, &c. Mox alia ſequitur ſyngrapha de toga amiſſa. Altera de pileo reſtituendo deprecatur. Hic amiſit zonam cum pecuniæ aliquanto: Iſte gladium cum chirotheca loricata: Alter de annulo agit: Alius de re alia, atque item alia. Breviter, vix multi erant hoc in paroxyſmo, qui non aut oblivione reliquiſſent aliquid, vel negligentia amiſiſſent.

VII. Ad *ſextum* accedimus reformationis ſubſidium, pacem *a* publicam, libertatem conſcientiæ, ſummæ etiam in terris Majeſtatis beneficio impetratam.

a. Cujus quidem certi ſunt in *Germania* gradus. *Primus* fuit ante bellum Germanicum. Pacem enim inter Cæſarem & Proteſtantes Albertus & Ludo vi-

vicus Palatinus hoc facilius à Cæſare impetraverunt, quòd Turca magno cum exercitu in Auſtriam irrueret. Hæc pax Schwinfurti eſt tractare cœpta menſe, Aprili 1532. Decreta Noriberga 23. Julij, 1532. Approbata & conſtituta à Cæſare, Auguſti d. 2. eodèm anno 1532. Repetita & confirmata Cadami primum à Romanorum Rege die lunæ, poſt Johannis Baptiſtæ anno 1534. Deinde Francofurti ab oratoribus, Commiſſarijs & Interceſſoribus Cæſareis, Aprilis d. 19. anno 1539. Sancita communi omnium Imperij ordinum conſenſu in Comitijs Ratisbonenſibus anni 1541. Prorogata Spiræ anno 1542. iterúmque mandata & firmata ibidem, novo Cæſaris Regisq; fide, anno 1544. Præcepta Wormatiæ anno 1545. adeoque conſervata ac propagata adusque Caroli V. Cæſaris Bellum Germanicum. *Secundus* gradus ſequutus crudele illud Germaniæ bellum. Mauritius enim per Ferdinandum ſolicitatus ad pacem tandem annuit: Conditiones autem pacis illius cum Cæſare, præter cæteras, ſunt: Ut intra ſextum menſem Cæſar Imperij conventus agat, ac, tum qua potiſſimum ratione diſſidium religionis componi debeat, deliberetur. Pacem

interea colant omnes, & propter religionem nulla cuiquam exhibeatur moleſtia: *Sleid.* lib. 24. pag. 322. Ab Anno ergo 1552. bellum à Mauritio adverſus Carolum V. geritur, propter religionem, ſocerum Landgravium, in quo Concilium Tridentinum diſſipatur, pax in religione conſtituitur, & captivis Principibus libertas redditur, Johanni Friderico, poſt quinquennium d. 19. Majo, Landgravio verò 4. Septembris. Amplectentibus verò Confeſſionem Auguſtanam 2. Aug. in tranſactione Paſſavienſi pax promittitur: Atque ita liber *Interim*, exacto 4. annorum ſpatio expiravit. Eſt hæc ſecunda pax in religione, anno 20. à priori.

Tertius gradus anno ſucceſſit 1555. cujus initio conventus inchoatus duravit uſque ad Septemb. in quo tandem decretum factum fuit, ne ulli Principi, Comiti, aut Civitati Imperiali bellum inferretur propter doctrinam religionis. Eſtque hic annus 35. ab anno 1521. quo primum edictum in Carolo V. editum fuit contra Lutheri doctrinam Pantal. contin. *Sleidan.* lib. 26. Alius iterum, An. Chr. 1559. ordinum Imperij conventus fuit Auguſtæ, in quo religio-

nis

nis pax ſancita fuit, & factæ ſunt exequiæ Carolo V. Legatus Electoris Palatini, Principis ſui nomine Miſſæ adſtitit: Oſculum tamen in patinam ſacram, oblatam à Cardinale Auguſtano, qui Miſſam celebrabat, figere noluit: Unde Cardinalis iratus magna voce dixit: *Si non vis benedictionem, habeas tibi maledictionem in æternum. Reliqui* verò Legati Sociorum Auguſtanæ Confeſſionis templum non ſunt ingreſſi. Pacem hanc Maximilianus II. religioſè ſervavit, quòd non ſolùm iniquum, ſed etiam impium judicaret conſcientijs imperare, cùm hoc nihil aliud eſſet, quàm cœli arcem invadere. In *Gallia*, tertio jam ad an. Ch, 1569. bello ob religionem ſuſcepto, novæ pacis conditiones initæ & publicatæ ſunt, menſe Auguſto 1570. quæ poſt biennium, interveniente connubio Regis Navarræi cum Margaretha Regis ſorore, in perpetuam firmamque pacem tranſituræ credebantur. Poſtea an. Chr. 1581. pax inter Henricum III. & Reformatos publicè denunciata & confirmata fuit. Dicere hic Rex ſolebat: *La pieté eſt un devoir de l' homme envers Dieu, ſur lequel le bras de la chair n' a point de puiſſance.* Alia pacis religioſæ inter Henricum IV. & refor-

reformatos ſecuta formula, a. C. 1598 cujus diploma per totam Galliam Commiſſarijs ad id deputatis, publicatum fuit, an. 1599. In *Helvetia* geminùm pacis publicæ Inſtrumentum (Landesfryden) conditum, alterum 1529. alterum 1531. Utroque paci & concordiæ cautum noſtri; Illud tamen Reformatis, hoc Pontificijs propitium magis, qui illud conceperunt, eſſe voluerunt. Longa poſtea praxi, & luculentis aliquot receſſibus, confirmationibus, illuſtrationibus probatum eſt, Deo non eſſe difficile, in Ægypto etiam & Babylone Eccleſiam conſervare. Qui ipſa moroſius flagellârunt pacis noſtræ publicæ verba, pridem temeritatis ſuæ luerunt pœnas. Aliquid & nos ea re diximus tum contra *Bellarminum*, *Hiſt. Eccl.* Tom. VI. pag. 57. tum recentiores quoſdam rabulas, *Specul. Helvet.* p. 535. & nupero *Viatore*, paulò prolixiùs, p. 374.

VIII. *Septimò*, librorum editione & *a* veritas aſſerta, & mendacium oppreſſum fuit tantò felicius, quantò faciliùs operæ Typographicæ ſuam impenderunt ea in re longè ante deſidêratam operam.

a. Id

a. Id quod factum fuit 1. Varijs in varias Linguas Bibliorum, translationibus. 2. Patrum editionibus, translationibus, illuſtrationibus. 3. Commentarijs, in S. Sc. tum facilibus tum ſolidis. 4. Syſtematibus Theologicis tam didacticis, quàm Elencticis, quibus quid profecerint noſtri, quantúmque recentiores à veteribus & intermedijs diſtent, alibi diximus. Vid *Biblioth. noſtr.* p. 372. Ex lectione Commentariorum Bullingeri in Apocalypſin, Concionatorem Archiducalem, M. Antonium Cleſelium, Κρειττονα ἑαυτȣ factum, ad nos acceſſiſſe, alibi Bullingeri verbis monuimus. Vid. Hodeg. P. 1. præfat.

Sed ipſas, quæ præſtò ſunt, *Cleſelij* Jeſuitæ manuſcriptas ſubjiciemus ad *Bullingerum* literas, hunc in modum conceptas: *Pax Chriſti, Venerande D. Præceptor, ac doctiſſime Vir. Et ſi facies tua mihi planè ſit incognita, fretus tamen pietate tua in omnes bonos, non amplius differendum putavi, quin literas ſaltem breves & furtim ob metum judæorum ſcriptas, occaſionem præclaram nactus ad te transmitterem.* Fateor (quoniam cogor eſſe brevis, propter imminentes Phariſæos cùm graviſſimis de ſana

ſana religione urgerer ſcrupulis, & mirum in modum in evolvendis libris (qui tamen parùm faciebant ad rem) animum fatigarem, me tandem, quod ita Dominus miſero proſpicere voluerat, in *tuum illud pulcherrimum opus, quod in Apocalypſin edidiſti, incidiſſe, tantùmque inde lucis hauſiſſe, ut planè mihi ex denſiſſimis tenebris, in jucundiſſimam lucem translatus viderer.* Quantum animi tripudium ſenſerim, quanta lætitia ſpirituali perfuſus fuerim, nunquam verbis conſequar. Domino immortales gratias agebam, mihi verò ipſi de in ex hauſto theſauro die noctúque vehementer gratulabar. Nihil igitur mirum, ſi te venerandum, ſemperque colendum Præceptorem meum appellaverim. Quod nomen obſecro non repudies: Quid? ex illa hora nullæ me Paparum minæ, nulla Excommunicationis fulmina (quæ ante non parùm metuebam) amplius terruerunt, quin dilgentiſſimè legerim, quicquid ejus generis habere potui. Quamvis autem nullum authorem (quorum tamen paucos, ob Papiſtarum tyrannidem, qua hactenus proh dolor oppreſſi, clam apud me retinere potui) rejecerim, ea tamen, quæ ad veſtram apud Helvetios & Gallos Confeſſionem

ac-

accedunt, præ cæteris chariſſima habui, nec aliud, quod verius & verbo Dei conformius judicarem, inveni. Itaque totus jam, imprimis Chriſti Domini, deinde verò & veſter ſum: nec multum intercedet temporis, quin ex Babylone profectus, ad vos, Domino duce, Hieroſolyma transmigrem, ubi tamen prius pios parentes meos, à quibus multis annis ab fui, inviſerim. Quare optime ac doctiſſime Bullingere, tribus verbis me tibi commendatum ob Chriſti amorem volui, ne planè ad ignotos veniam, ubi ſolo veritatis ardore ad vos transvolaverim; ſed aliquem antea literis ſalutatum, iterum verbis ſalutandum inveniam. Obſecro igitur, ut me ſatis jam miſellum & in graviſſimis periculis ob religionis negotia conſtitutum, in tuis ad Deum precibus commendatum habeas, & ex numero tuorum amicorum non rejicias. Vale, doctiſſimè Vir, & plurimum obſervanda præceptor, iterum atque iterum vale. *Ignoſce, quæſo, ſtylo horrido, & inepto calamo. Qui enim transactos annos neſcio in quibus ſpinis contrivi, eloquentiæ, quæ apud vos plurimum floret, operam ferè nullam impendi. Prid. Calend. Auguſti, Oenipont.* Excellentiſſimæ Tuæ indignus diſci-

pulus, *M. Ambroſius Clöſelius*, *Concionator aulicus*. Adjungitur huic Epiſtolæ prolixum ad Sereniſſimum Archiducem Auſtriæ ſcriptum, quo diſceſſus ſui reddidit rationem. Prolixè exponit, non tædio ſtrictioris diſciplinæ; ſed morſu conſcientiæ impulſum, ſe ſacris Pontificijs valedixiſſe. Ita enim in ipſo ſtatim Epiſtolæ limine: GOtt/ der ein forſcher iſt aller Hertzen/ weiſt/ daß ich nicht bin gewichen von wegen mehrer Fryheit/ auch gröſſer Gelegenheit gutens Lebens/ als wañ mir der Stand zu hart vnd rauch (ſequebatur autem Ignatij Lojolæ ordinem) geweſt. Dann was mir in dem Fahl iſt abgegangen/ wolt ich williglich gelernet vnd getragen: Wie ich dann/ ohne Ruhm zu melden/ verhoffen thue/ mich jederzeit aller Gehorſame befliſſen haben. Sonder/ dieweil ich nach fleiſſigem vmſchawen/ vnd gutem bedencken in meinem gewüſſen augenſcheinlich empfunden/ daß mir nicht allein ſtecken/ ſondern auch groſſe ſtöck vnd plöck im weeg ligen/ vnd an der ſeelen ſeeligkeit verhinderten. Et paulò pòſt: Es werden ſich aber vielleicht E. F. Dhlt. verwundern/ was ich für hindernuß an der ſeeligkeit gehabt/ dieweil ich bey Leuthen geweſt/ die ein vngefälſchte Lehr/ als die ſo der Römiſchen Kirchen gemäß iſt/ treiben/ vnd darneben einen

nen Gottſeligen Wandel führen: Ach! Gnädigſter Herr; Es iſt nit alles gold/was da gleißt: Noch alles rechter balſam/ was einen lieblichen geruch hat. Schöne gegoſſene bilder/ob ſie ſchon von außwendig den Menſchen gleich ſehen / ſo ſind ſie doch nicht recht lebendige Menſchen. Greuliche Laſter überkleiden ſich offt in ſchöne Tugenden/ gleichwie ſich der Teuffel in einen Engel deß liechts verſtellt: die Lügen ſchmückt ſich mit falſchem ſchein der warheit: die hoffarth mit gedichtem glantz der Demuht/ der vnerſättliche geitz mit den betrüglichen farben der armuht. Der nagende neyd mit den geſtolnen federn der Chriſtlichen Liebe. Mein Fürnemmen iſt allhier nit die Societät zu verkleinern / damit man nit meinte/ ich wolte meinen ſchämte mit fremden Leuthen bedecken. Nein/ die ſach bedarff ſolches gar nit. Was ich gethan hab/ das hab ich mit Gott gethan. Enarrat poſtea errores Eccleſiæ Romanæ notorios, faſtuoſum cumprimis Pontificis axioma, quo contra antiquitatem, ipſo ſuffragante Gregorio M. Epiſcopus Oecumenicus eſſe & haberi vult. De eodem *Thob. Eglinus,* Curiâ ad Bulling. d. 7. Decemb. 1588. *Novi, quod nos habeamus, nihil certi eſt, niſi quòd Oeniponte ad me ſcribitur, & à D. Voglero affirmatur, magni nominis Jeſuitam, aulicum Concionatorem ex docta*

Apocalypſeos tuæ lectione ad veritatem converſum eſſe, & contra Idololatriam manifeſtè ac publicè nunc decamare, neque timere pericula, & futuras inſidias. Ne tamen depellatur ab officio, & munere concionandi publico, cautè eum adhuc incedere. Inquiſitionem Hiſpanicam clàm etiam in ijs locis exerceri. Eandem Bullingero noſtro gratiam rependit *Antonius* Corranus. *Ego* (ita Londino ad Bullingerum Non. Julii 1574.) *ex eorum numero ſum, vir eruditiſſime, qui tuis ſcriptis adjuti puriorem Chriſtianæ doctrinæ cognitionem, acceperunt. Contigit enim mihi ante viginti annos divini numinis providentiâ, idonea occaſio evolvendi tuos libros ab ipſis etiam Inquiſitoribus Hiſpanicis ſubminiſtratos. Unde quia uberrimos fructus percepiſſe, me ſentio, tibi gratias agere, quando referre nequeo, ex debito gratitudinis officio cogor.* Italorum quorundam judicia de Originib. errorum, exhibuimus in *Bibl. Tigurin.* Ita etiam de *Italis* Fridolinus Fontejus, Glaronâ an. Chr. 1545. *Pro argumenti ratione te certiorem facio, ſudores in vinea Chriſti tuos non incaſſos, & inanes hactenus fuiſſe, quibus quotdie gloriam Chriſti ſparſim propagari & augeri vidimus, ijs præcipue in locis ubi minimè ſperabamus, nempe Italiæ partibus. Nunc*

Nunc certum habeto, me præteritis diebus quoſdam elucubrationum tuarum & Eraſmi libellos Lucarnum per præfectum Beldi, Minoritæ cuidam miſiſſe, qui ad tempus ibidem Evangelium prædicavit; tandem communibus totius Eccleſiæ calculis Venetijs Miniſterium verbi obtinuit, in templo divi Marci omnium votis Chriſtum diu ebuccinavit. Genua nunc temporis Liguriæ partibus ſita, divini verbi cura ſuæ fidei commiſit. Flagitaverat ille opes & monimenta tua tam importunis precibus, ut ei juſtè denegare non licuerit. Cui etiam eo libentius ſum obſequutus, quòd ſperem Eccleſiæ Chriſti plurimum profuturum. Fatetur Minorita, opera tua, ubique Gentium valde grata & accepta eſſe, eo quòd & eruditione & pietate referta ſint. Et certè non obſcuros fuiſſe *Venetijs* Bullingeri labores, vel ex *Maturini Virginij*, Pictavi Galli teſtimonio an. Ch. 1543. ad Bullingesum exarato, manifeſtum eſt. *Et abſentium, ignotorúmque Virtutes* (ornatiſſime Bullingeri) *è longinquis locis odoramur atque ſuſpicimus, atque ea quidem quò ſunt in homine quopiam majores, eò magis in ſublimi loco poſita effulgent ijs, qui procul abſunt.* Neque verò mi.

rum tibi videbitur, aut prorſus temerarium, quòd tibi incognitus literis meis obſtrepere, atque interpellarr ſtudia tua auſus ſim. Eſt enim hæc propria & ſingularis clarorum virorum ratio, ut ab ignotis diligantur, abſentibus interpellentur; familiares ijs ſint, quos nunquam viderunt. Meam itaque audaciam velim condones lucubrationum tuarum excellentiæ, quæ te apud Herum meum, Regium in hac Republica Oratorem, maxima in gratia poſuerunt, me verò tibi addictiſſium reddiderunt. Huc etiam illud facit, de quo *Bullingerum* monuit *Myconius*: Retulit hodie D. de Riſchach, quendam veniſſe Baſileã, emturum libros Lutheranos, ut vocant, Cardinali cuidam pro 300. aureis. Deinde fuiſſe Venetijs tumultum gravem ob eoſdem libros venales ab eodem expoſitos, poſtquam qui expoſuerat, quique juſſerat Senator in carcerem fuiſſent conjecti. Ac tumultum ambos liberâſſe 1543. Sed nec Italorum tantùm ἐξοχώτατοι ita prolixi fuerunt: Edmundus etiam Grindallus Epiſcopus Londinenſis αὐτοχειρὶ Bullingerum noſtrum d. 8. Feb. 1567. ita compellavit: Clariſſime D. Bullingere, ac frater in Chriſto chariſſime. *Quod præter*

ſcri-

ſcripſiſti, gratias ago. Sed non eſt cur tu communes illas literas, privatim etiam ad me mihi gratias ageres, tam diligenter, quod ſæpius, idq; non illibenter honorificam tui mentionem factam. Facio enim hoc merito tuo: quum non ſim neſcius, quantum & miniſterio, & ſcriptis, Eccleſiæ profueris, & adhuc prodeſſe non deſinis. *Hoc etiam privatim tibi debeo, quod ante annos plus minus viginti lectioni libri tui de Orig. erroris, primum excitatus ſum ad veram de Cœna Domini ſententiam amplectendam, cùm antea Luthero fuiſſem addictus.* Æquum eſt igitur, ut illum colam per quem profeci. Joh. *à Laſco* ad Bullingerum 1552. Mortuo Bucero communicavit D. Cantuarienſis conſilium de advocandis huc aliquot viris doctis. Propoſui itaque Muſculum, Bibliandrum veſtrum & N. Ipſo *verò addebat & Brentium:* Sed cùm illum in cauſa Sacramentaria non conſentire nobiſcum dicerem, reſpondit: Illum de hac re jam admonitum eſſe. *Libellus tuus de Sacramentis ante triennium ad me miſſus, jam tandem ſub prelo eſt.* Ubi ad me. cum reliqua Bibliothecæ meæ parte nuper advectus ſſet, exhibui illum D. Cantuarienſi. Is verò ubi audiſſet nondum eſſe editum,

voluit ut edreetur, etiamſi eum non legiſſet, hoc addens, tua nulla egere inſpectione. Bohemiam etiam & Luſatiam hoc ſe nomine fateri obſtrictam, *Oſvvaldi Pergeneri*, Viri inter ſuos magni, judicio, audivimus Tom. VI. pag. 631. Erat ibi ſermo de *libro Bullingeri*, quem de officio Prophetico conſcripſit. Alibi vel ijſdem, vel majoribus evexit laudibus Bullingeri cætera ſcripta, Commentaria cumprimis. Ita enim ad Bulling, 25. Febr. 1540. *juſtam habes rationem te excuſandi. Nam quantis obrutus ſis laboribus in provehendis ſtudijs vere Chriſtianis libri tui editi in uſum omnium piorum ſatis teſtantur. Non enim abs Te peto prolixas Epiſtolas; ſed unicam duntaxat ſalutationem, qua & Fratres, qui ex animo veſtræ Eccleſiæ bene volunt, & favent, exhilarare poſſim.* Loqueris enim mecum in tuis Chriſtianiſſimis commentarijs quàm familiariſſime, fraterno affectu, piè, doctè, in his planè me doces & inſtituis. Illuſtrius occurrit teſtimonium aliquot in Bohemia Fratrum, qui piè de noſtra, ut ſubſcriptio habet, ſenſerunt doctrina, an. Ch. 1542. Nos planè meticuloſi eſſemus qui hic inter Charybdim & Scyllam habitamus: Ab una namque parte im-

imminet crudeliſſimus hoſtis. A tergo, hoc eſt, in Bohemia territat nos peſtilentia, niſi confortaremur veſtris ſanctis commentarijs. Ex illis diſcimus, mortem Chriſtianorum nihil aliud eſſe, quàm permutationem vitæ deterioris in longè meliorem &c. Tigurina ſcripta docent nos ex ſacris literis, mortem nobis non eſſe timendam; ſed ſummo gaudio expectandam. Et an. Chr. 1541. idem *Oſvvaldus Pergenerus*: Hiſtoriam Evangelicam quam nobis & præcipuè Eccleſiæ Chriſti explanare ſtatuiſti, ſummo deſiderio expecto. Planè Phinonide indoctior eſſem, ni Deus ſua gratia veſtras lucubrationes ad nos perferri voluiſſet. Quicquid habeo, hoc me à Deo, & vobis accepiſſe circa fucum fateor. Nec ipſa *Geldria* aliter de Bullingeri laboribus ſenſit. *Gerardus Geldenhaurius*, Noviomagus, ita Marpurgo an. Ch. 1540. *Licèt, juxta externum hominem tu mihi, & ego tibi, Bullingere integerrime ignotus ſim, tamen juxta internam converſationem veræ vitæ, & puræ doctrinæ mihi jam admodum familiariter à multis annis notus es. Utor enim tua opera tuóque Miniſterio in enarrandis ſacris literis*. Audio crebrò te Magiſtrum, mihi per libros loquentem, & in te Chriſtnm ipſum audio. Ex

Ex *Germanis* Bartholomæum Bertlinum audiemus VIII. Kalend. Jun. 1538. ita loquentem: *Boni conſulas, per Chriſtum ipſum precor, hanc meam impudentem temeritatem, qua te, non ſemel ſed iterum inconditis literis, Bullingere doctiſſime, animóque meo chariſſime, Chriſtianæ Reipublicæ piiſſimè invigilantem interpello, obturbóque.* Verum fateor, video in te, dono Dei, animum ita adfectum, ut omnibus prodeſſe cupiat, omnibus bonis & pijs, juvandis & promovendis expoſitum. Quæris, ubi viderim? In phraſi tua ſancta, docta, caſta; breviter, verè Chriſtiana. Qui, cum juxta antiquorum diverbium, animi ſit index certiſſimus; hæc omnia ſub oculis manifeſtiſſima ponit: Nec ſolùm mihi; ſed & multis concivibus noſtris, olim in Erdfordiano ſtudio commilitonibus meis chariſſimis, nunc in Chriſti negotio fratribus conſtantiſſimis, qui poſtliminiò ad ſacra reverſi ſtudia Paulum tuis doctis, pijſq; comentarijs commendatum illuſtratùmque nocturna verſant manu, diurnáque, licèt manibus victum ſibi quæritent, quòd ſæpius illi ipſi mihi referunt, Deo gratias agunt, dona ſua extollunt, laudant, prædicant, adeóque Patrem mecum-

pre-

precantur, per Chriſtum, ut Spiritu ſuo pergat in te, quod ceperit, Amen. De hoc *Berthlino* ita *Georgius Kugelmann* Eccleſiæ Grunenbacenſis Miniſter 1573. *Bartholomæus Berthlinus VVoringâ Memmingam vocatus, ſumma cum laude Eccleſiam rexit, ibique in Chriſto vitam finijt, in illa ipſa Confeſſione, quàm nos de de Cœna profitemur.* Eadem Epiſtola *Kugelmannus* fatetur, Bullingerum ſe nunquam vidiſſe, ex ſcriptis tamen laũdatiſſimis, quæ in omnium fidelium manibus ſedulò terantur, quæque non pauca habeat, ante multos annos fuiſſe notiſſimum, quem ob ſingularia dona, velut electum Dei organum ſemper ſuſpexiſſe & admiratum eſſe. Sed & *Johannes Knipius* Francofurto ad Mœnum ita ad Bullingerum a. C. 1560. cùm ab añis multis Theologicos libros tuos, quanta potui diligentia & attentione animi lectitârim, alioſque, non ſine magnis cauſis, ut idem facerent ſæpe hortatus ſim, quorum plerique mihi gratias egerunt, propter agnitam in eiſdem libris tuis divinam veritatem, facile cogitare potes, quanti præclara Dei optimi maximi dona in te ſemper fecerim. Et eodem anno, d. 12. Aprilis præcedentis prolixiores Præceptoribus ſuis egit gratias.

Anno Domini, ſcribit ad Bullingerum, vigeſimo ſexto, Spiræ in Comitijs primum cæpi legere ſcripta Clariſſimi, doctiſſimique Viri, D. Huldrici Zwinglj, piæ memoriæ, ad Theobaldum Billicanum, & Urbanum Rhegium. Deinde legi de diſputatione Badenſi libellum Germanicum, quem ab Antonio Haliæo Latinè verſum illicò cùm alijs emi, ' quemadmodum & poſtea præclaram illam veréque piam Zwinglij Epiſtolam ad Illuſtriſſimos Germaniæ Principes, & & eam, quæ ſcripta eſt ad Regem, Chriſtianum: Poſtremò quoſdam Oecolampadij, & Vadiani ſanctæ memoriæ Doctorum de Euchariſtia libros evolvi, quemadmodum & tuos cum Orthodoxa veſtra defenſione adverſus Lutheri calumnias, Germanicè & Latinè edita. ' Fuit mihi quoque ſumma neceſſitudo & familiaritas cum excellentiſſimo Evangelij præcone, D. Alberti Hardenbergio, quo nemo unquam plures ad me ſcripſit literas, Hìc mihi veſtram communicabat Epiſtolam, cum prædicta defenſione ad ipſum miſſam. Tum mihi primùm innotuit Vir doctus & integer Rudolphus Gualtherus, qui veſtro nomine ſcripſerat Epiſtolam &c. Hæc ideo tanquam

quam ignotus ad Te ſcribere volui, ut ſcias, me, toto pectore, veſtram de Cœna Domini doctrinam fuiſſe amplexum, ab eo año Domini, quem ſupra memoravi. Confeſſus ſum idem viva voce D. Philippo Melanchthoni, D. Martino Bucero, D. Johanni à Laſco, & D. Johanni Calvino, præſentibus demum aliquot Germanis, Gallis & Anglis.

Quid *Belgio*, vicinæque *Friſiæ Orientali* commodi attulerint *Bullingeri* labores, eorum etiam, quorum intererat; pronunciabimus verbis. *Hermannus Aquilomontanus*, prope Emdam an. C. 1539. Miniſter, ita ad Bullingerum. *Gratias tibi ago fratrum nomine, Vir Doctiſſime, qui nos indies novis & Spiritualibus operibus recreas lucem accendis, Sp. S. renovas, ſalutarem doctrinam absque oſtentatione ſuggeris.* Perge Vir verè amabilis, & non modò Tigurinæ; ſed toti Catholicæ inſervi Eccleſiæ. Accepimus hic Paulum *ſacris commentarijs per te illuſtratum, quibus in Hollandia ac Friſia omnes pij ex corde lætantur, impij verò & elementarij maximè refutantur.* Accepimus Eccleſiæ Chriſtianæ infantiam & augmentum, in Actis Apoſtolicis per te renovatam. Exſpectamus per DEI gratiam

tiam Evangelia optimis & ſpiritualiſſimis Homilijs locupletatam; quod quidem Fratrum precibus non negabis. Et quanquam plures idem conati ſint, tamen Spiritum, & orationis filum in eo opere deſiderant. Plura brevi tempore ſummis vigilijs elaborata accepimus, de veritate & auctoritate Sc. S. Inſtitutione ac functione Epiſcopi, quod opus utinam alteri inſcripſiſſes! opus Theologo dignum. Oblatum eſt nuper opus divinum & Eccleſiæ Chriſtianæ neceſſarium, de Origine erroris circa Sanctos ac Euchariſtiam. Laus omnipotenti Deo, qui hoc opus in mentem dimiſit ut errores ante aliquot annos oſtenſi, nunc omnium oculis exponantur, & lumen in tenebris luceat, ut nullus, nî obſtinatus, errare queat. Et ipſe *Bullingerus* a.C. 1566. ad amicum: *Flandria, Hollandia, Brabantia, & totum penè Belgium recepit Evangelium, Haga, Amſterodami, Roterodami, Trajecti,* *quod* Utricht *nuncupant, & in alijs urbibus celebribus, ejectis aris, Miſſalibus omnibus, pariter omnia* confregerunt, & deleverunt ſimulachra. Mira ea de re & ſcribuntur & dicuntur ab ijs, qui ipſi teſtes oculati exſtiterunt & viderunt mirabilia Domini. Verè enim mirabilis eſt Dominus, & ope-

& operatur incredibilia & inexpectata. Sæpe jam recordor, beatæ memoriæ, ſenioris Froſchoveri, qui ſæpe ab annis 20. mihi dixit: Ich verkauff deiner vnd der Zürricher Bücher nirgendshin mehr dann in das Niderland. Vnd ich achte du werdeſt noch erleben daß groſſe änderungen da beſchehen werden/ vnd dieſe Lehre nicht ohne Frucht wird abgehen. Addimus *Johannem Cæſareum*, cujus verba, Coloniâ ſcripta hujuſcemodi ſunt: Quo magis in tuis verſor lucubrationibus, hoc majori indies illarum voluptate afficior. Commentaria in omnes Apoſtolorum Epiſtolas nondum abſolvi, id quod evenit hac occâſione, quòd videlicet alio occupatus ſtudio, interim illa ſacrificus quidam, doctus & pius, à me commodato accepit & legit, atque ubi reddidit illud, poſt habitas gratias, adiecit, ſe cupere ac velle ea vel pluris emere, quàm aliâs conſtent, quocunque pretio. Cui ego tum reſpondi, me nollo iſtis ullo pacto carere, ut quæ mihi dono miſſa ſunt ab optimo amico &c. Quàm ſim præterea delectatus lectione illorum duorum librorum, alterius de origine errorum, alterius autem de origine Scripturæ ſacræ, vix equidem effari poſſitm &c.

Conati quidem erant Pontificij Theologi tum ſacræ Scripturæ translationes ſupprimere, tum etiam Reformato-rum lucubrationes. Sed quàm infeliciter utrumq; ceſſerit, vel unico probabimus exemplo.

In *Anglia* editionem N. T. Tyndallus vir doctus an. Ch. 1530. apparavit, ex quo magna copia repentè eorum librorum cœpit fieri: Epiſcopus Londinenſis, Cutbertus Tonſtallus, non vulgariter ea dere ſollicitus, cum mercatore quodam, Auguſtino Pakyngtono captat, de abolendis illis N. T. libris. Ille qui cùm Tyndallo clàm faceret hoc Epiſcopo dabat conſilij, ut tantam exponeret pecuniæ ſummam, quanta fas eſſet coëmendis ejus exemplaribus impreſſis. Nec mora: arrepto mox conſilio, pecuniam expoſuit Epiſcopus. Mercator acceptam Tyndallo tum exulanti ad aſſem univerſam protinus tradidit. Ex quo factum eſt, ut Tyndallo ſuppeteret, non ſolùm quòd ſibi cæteriſque ad victum ſuppeteret; ſed quo majori etiam diligentia & librorum copia ſecundam adornare poſſet editionem. *Fox Commentar.* p. 138. In *Germania* verò, cùm Lovanienſes & Colonienſes Theologi Lutheri aliquot libros nempe ad Sylveſt. Prieratem, Conciones

nes de Pœnitentia, de Excommunicatione, de Indulgentijs, de præparatione ad mortem, facto decreto damnant, ut impios & irreligioſos, & incendio dignos, quorum etiam author ſit ad revocationem cogendus. His rebus cognitis Lutherus ad ſingula ſuæ doctrinæ capita, quæ illi damnàrunt, reſpondet, in ejuſque reſponſi præfatione conditionem atque ſortem ipſorum deplorat. Quum ſuperioribus aliquot annis Capniònem oppugnarent; ſe ſpem adhuc aliquam de ipſis retinuiſſe: Nunc autem quando claram Evangelij doctrinam delere ſtudent, & in tempore deteriores evadant, Deum in ipſos haud dubiè graviter concitatum eſſe: Quòd ſi ita pergant, & ſi hanc ipſorum licentiam nemo coherceat, fore, ut ſublatis è medio ſacris literis pro ſuo arbitrio quidvis decernant: Ideoq; ſibi hæc omnia cogitanti, vel regnare nunc Antichriſtum, vel prope diem eſſe regnaturum videri: Magnopere ſibi dolere, quòd ita ſe comparent; nam iræ divinæ magnitudinem ex eo ſatis intelligi poſſe: in omni ipſorum actione atque doctrina nihil eſſe firmi, ſed fluctuare ipſos animis, & nunc hanc, nunc illam opinio-

nionem ſuſcipere defendendam: Fuiſſe quondam ab Academia Pariſienſi damnatum Guilelmum Occam, & tanquam impiè ſentiret, ejectum, nunc autem in Scholas eſſe receptum & celebrari: Quantum etiam Pariſinis tribuatur dogmatis, vel ex eo ſatis apparere, quod vix etiam domi recipiantur, foris quidem illa non habere locum: Ab Anglis enim proverbio dici, quòd mare non tranſeant, ab Italis quòd alpes: à Germanis, quòd Rhenum non transmittant: Johannis Pici Mirandulani dogmata magnis odijs & acerbitate damnata, nunc eſſe in ſummo precio, nec ſine præſtantiſſimi ingenij admiratione legi: Laurentium quoque Vallem eodem fuiſſe modo tractatum: Sed homines literatos & judicio præditos, multo ſentire aliter, in ejuſque ſcriptis magno cum fructu verſari: litem illam adverſus Capnionem, ſic ab illis exagitatam fuiſſe, ut ſuam & ignorantiam, & obſtinatam malitiam vix ullo tempore magis patefecerint: mirabilia videlicet eſſe conſilia Dei: Judæos olim fuiſſe peculiarem ei populum; ſed cùm Evangelij lucem fugerent, & beneficium Chriſti aſpernarentur, repudiatos, locum dediſſe Gen-

Gentibus: Ita quoque nunc fieri, ut qui ſint & haberi velint Pontifices atq; Theologi, quiſque ſummam poteſtatem atque jus in Eccleſia ſibi vendicant atque ſumunt; revera nihil præter inanem titulum habeant: Alij verò procul ab hac oſtentatione remoti, nomen illud, atque titulum jure ſibi poſſint arrogare: Breviter, omneis omnium temporum viros bonos & eruditos ab ipſis fuiſſe divexatos, neque tamen ullum proferri poſſe documentum, quo demonſtrent, ſolidis & veris argumentis eſſe pugnatum, ac non potius mera fraude, inſidijs atque tyrannide: talem etiam fuiſſe actionem illam in Johannem Huſſum, & Hieronymum Pragenſem: Cujus quidem rei memoria ſit ad omnem duratura poſteritatem: ſed imprimis admirari ſe temeritatem ipſorum, qui tot exemplis commonefacti nondeſiſtant tum ſibi, tum reliquis Academijs, ignominiam & maculam inurere ſempiternam: Ut enim maximè firmo fundamento nitantur ipſorum actiones, & ut veræ ſint, atque legitimæ eorum ſententiæ, quam huc uſque pronunciârunt in multos inſignes Viros, tamen, quantum ad hanc ſuam cauſam, & præſentem litem pertineat, iniquè factum

ab ipſis, & malevolè, quòd ad hunc modum graſſentur. Si quid peccârit, non debuiſſe ſtatim in peſſimam partem interpretari, ſed cogitare ſecum, id eſſe proprium hominis, debuiſſe potiùs lenitatem & manſuetudinem adferre ad ſuorum dogmatum dijudicationem. Quò autem veluti furore quodam agitati, promiſcuè omnia damnent, in eo prodere, ipſos animi ſui morbum, & odij virulentiam: Ariſtotelem ipſis in ſummo eſſe pretio, & nihil ab eo dictum eſſe tam abſurdè, vel alienè à noſtra religione, quod non defendant, quod non aliqua interpretatione, quantumvis longè petita, circumveſtiant, quò ſuus illi conſtet honos atque nominis exiſtimatio. Sibi verò non modò nullum tale beneficium aut adjumentum præſtari, ſe non ſolum; ſi qua parte ſit nudus, ab ipſis non veſtiri; verùm etiam quibus in locis atque partibus optimè ſit veſtitus & armatus, magna cum injuria denudari: Potuiſſe nimirum aliud adhiberi remedium, quod erat, ſi ſe commonuiſſent, ut ſua ſcripta vel explicaret, vel emendaret, vel non pertinaciter defenderet: quòd ſi tum non obtemperâſſet, errore commonstrato

monſtrato, licuiſſe ipſis agere, quemadmodum Chriſtus præcepit, &c.

IX. Diffidia *octavò* adverſariorum, incertitudo doctrinæ, & ἀπορία tum in aſſertione Papiſmi, tum refutatione Orthodoxiæ, infirmitatem cauſæ Pontificiæ ita ſatis probârunt, ut ipſi, quid ſtatuendum, quid rejiciendum, ad Concilium uſque Tridentinum, ignorâſſe penè videantur.

Regnum in ſe diviſum non poſſe ſubſiſtere, Chriſti judicium eſt, *Matth.* 12. 25. Tale autem Papiſmum fuiſſe, cur vel dubitemus? Nota ſunt perpetua ante Reformationem Scholarum & Conciliorum certamina, de autoritate Pontificis, ſubjecto peccati originalis, viribus hominis lapſi ad Converſionem reliquis, Prædeſtinatione, Tranſſubſtantiatione, &c. de quibus & ipſi ſcriptores Pontificij, & nos alibi ex illis. Sed miſſas hac vice facturi Monomachias illas, ad examen Concilij Tridentini, Reformationis occaſione deliberati, & tandem, quamvis ægrè, impetrati, accedimus, probaturi, 1. Neſciviſſe fermè Eccleſiam Romanam,

quid vel crederet, vel coleret; adeò prolixis & ſinuoſis navigandum fuit anfractibus, antequam ad certorum decretorum portum veniretur. Adeò ut non in laicis tantum; ſed & Doctoribus implicita locum habuerit fides. 2. Patres, veluti Bileamos, ad maledicendum vocatos, benedixiſſe Iſraëli, nullúmque pene habitam Seſſionem, quæ non aliquid commodi noſtris attulerit hypotheſibus. 3. Non obſcurè ex univerſa Concilij Hiſtoria colligi potuiſſe, Papatum ἀνίατον fuiſſe & ἀκατάλλακτον, quòd ab unius vel Perſonæ, vel Nationis arbitrio omnia dependerent, quæ & Aſſeſſorum Hiſpanorum querela fuit; Vid. *Hiſtor. Concil.* pag. 239. confer. pag. 610. 621. 631. 638. 4. Neceſſariò ergo, cùm in Scholis Pontificijs adeò incerta omnia eſſent, perplexa & intricata, ſolidius in ſolis ſacris literis quærendum fuiſſe fundamentum. Initio ſtatim Reformationis, cùm, opinione Cleri, latiùs ſerperet malum, à Leone Pontifice id ſolicitæ impetrârunt preces, ut animum tandem ad negotium tam momentoſum applicaret. Cardinalibus itaque, Prælatis, Theologis & Canoniſtis in unum convocatis, horum arbitrio rem totam permittit. Ab his facillìùs in eam ſententiam

itum

itum eſt, molimina ita formidabili Pontificij fulminis ictu dejicienda. Verùm Canoniſtæ cùm Theologis, in modo haudquanquam conſentiebant, *his* è veſtigio dirarum fulmine feriendum cenſentibus: *illis* præviam citationem neceſſariò requirentibus. *Theologi* affirmabant, impietatem doctrinæ reformatæ eſſe manifeſtam, quâ ex libris in lucem emiſſis, quâ ex concionibus propalàm auditis. Reſpondebant alteri, *notorietate non tolli juſtam defenſionem*: eam jure tam divino, quàm naturali omnibus licitam, citatis in eam rem vulgatis locis Scripturæ: *Adam ubi es? Ubi eſt Abel frater tuus?* Et in excidio V. Civitatum: *Deſcendam, & videbo.* Addebant præter hæc, citationem factam ab Auditore Cameræ, cujus vi ac virtute judicium ad Cardinalem Cajetanum Auguſtæ fuerat remiſſum, utcunque imperfectum, ſatis manifeſtè arguere citandi neceſſitatem. Poſt multas diſceptationes, Theologis ſibi cauſæ deciſionem vendicantibus, in qua de fide & religione agebatur, jureconſultis rurſus eundem ſibi arrogantibus, quo ad modum formámque judicij, adducta eſt in medium, eorum conciliandorum ratio, factâ negotij, in tres partes, diſtinctione,

Doctrinam, *libros* & *perſonam*, Hiſt. Conc. Trid. lib. 1. pag. 20. Hæc præludia futuræ erant Tragœdiæ. Cúmque Bullam poſtea Leo in Lutherum ederet, quàm varijs illa judicijs fuit expoſita, hominum (ut idem loquitur *author*, p. 13.) rerum intelligentium? Aliud alijs ſentientibus; illud comprimis ægrè ferentibus, veluti inſolens & novum, *tot poſitiones de diverſis fidei capitibus Romæ determinatas de ſolo purpuratorum Patrum, aliorúmque aulicorum conſilio, non advocatis Epiſcoporum, Academicorum, & eruditorum in cæterâ Europa virorum ſuffragijs*. Ubi de ipſis, quæ Reformationem præ cæteris urgebant, reprimendis agebatur *Indulgentiis*, quàm nihil habebat certi curia Romana? *Adrianus* VI. in ſedem Pontificiam evectus, ipſe *Scholaſticus*, partibus ſe ſuis probè defunctum ſperabat, ſi difficultates tolleret: *Scrupulus* in proportione hærebat, quo ſubmoto, omnia rectè habitura credidit. Sententia ejus fuit: *Quando Indulgentia conceditur alicui, qui ejuſmodi pium opus ſit operaturus, fieri poſſe, ut quis ita numeris omnibus opus hoc perficiat, ut Indulgentiam promereatur, ac conſequatur. Sin verò de perfectione debita operi quid deſit, tum operantem non totam conſequi Indulgentiam, ſed partem tantùm, quæ ope-*

operi imperfecta proportione quadam reſpondeat. Atque ſic facilè ſolvi, quod à Luthero objiciatur: *Qui fiat, ut denarij oblatione tantus theſaurus comparetur?* Sed dehortatus Pontificem Cardinalis Cajetanus, author ei fuit, ne eam revelaret veritatem, *quam propter animarum ſalutem multò ſit conducibilius celare*; de eo potiùs cogitaret, quomodo res ad priſtinum primigeniúmq; ſtatum reduceretur. Eſſe enim certiſſimum, utcunque Papa, beneficio Indulgentiarum, à quocunque genere pœnæ fideles poſſit liberare, legentibus tamen Decretales, liquidò apparere, *Indulgentiam eſſe abſolutionem ſive liberationem ſolum à pœnis in Confeſſione impoſitis.* Itaque habita cura de reducendis in praxin Canonibus pœnitentiarijs, qui jam in deſuetudinem abierant, & impoſitis ſecundùm hos Canones, confitentibus delicta, debitis & moderatis pœnitentijs, unumquemque & facile perſpecturum Indulgentiârum neceſſitatem, ac utilitatem, ac eaſdem ſedulò perquiſiturum, ad ſe grandi pœnitentiarum onere liberandum. Valde hæc probata fuerunt Pontifici. Sed graviter reſtitit *Laurentius Puccius* Cardinalis, qui ſilentio hæc omnia compeſci maluit. Non eſſe jam tempeſtivum de indulgentijs

quicquam diſputare, ratus: Meminiſſet celebris loci in *Gloſſa*, per ipſum in ſuo IV. Sententiarum libro citati, nempe: *Controverſiam de valore Indulgentiarum & antiquam eſſe, & dubiam.* Atque ſic diſcipulorum objectionibus ad eas Præceptor, Adrianus, redactus fuit incitas, ut planè, an, & ubi de Indulgentijs, diſpenſationibus, aliiſque Reformatio eſſet neceſſaria, fluctuaret: Donec *Franciſcus Soderinus*, Præneſtinus Cardinalis, ἀπολόμως acturus, omnem Reformationem diſſuaderet. Ex minimis, hic prætendit, initijs majora facilè ſecutura. Imperitam enim plebem, quæ ex eventibus ſolet judicare, comperto ſemel, ex emendatione cœpta, Pontificiam Eccleſiæ gubernationem parte aliqua jure reprehenſam, facile perſuaſuram ſibi, non minùs juſtas eſſe cauſas aliarum proponendarum, quæ ſimilem requirant emendationem. Atque ſic, paulò poſt fatis concedente Adriano, *Clemens* VII. huic conſilio eò libentius reliquit locum, quò majori illud animadvertit Curiæ Romanæ bono fuiſſe ſuggeſtum.

De ipſa *Confeſſione Auguſtana*, & authorum conatibus, non poterant non æquiores judicare, ut Pontificia hinc

Theo-

Theologia in dubium vocaretur. Multi, cùm Confeſſio Auguſtana publicè recitaretur, de ſiniſtra, quam de Reformatis conceperant, opinione, remittentes, doctrinam eorum, multò minus quàm olim exiſtimâſſent, abſurdam reputârunt, ſuorum ab illis permultos abuſus jure reprehenſos, confitentes, ut Pontificius loquitur *Scriptor. Hiſt. Concil. Trid p. 60.* *Quid quòd, eodem teſte, Cardinalis Matthæus Langius*, Archiepiſcopus Salzburgenſis, apud omnes ingenuè fuit faſſus, *Miſſæ reformationem videri ſibi honeſtam, libertatem quibusvis cibis veſcendi, eſſe naturæ convenientem*, imò poſtulationem eam, ut homines Chriſtiani humanorum mandatorum onere liberentur, juſtam & æquam eſſe: Sed ut miſellus Monachus omnes reformet, id non eſſe tolerabile. Etiam *Cornelius Scoperus*, Cæſaris Secretarius, interdum dicebat, *Concionatores Proteſtantes, ſi bene nummati fuiſſent, ab Italis, quam vellent religionem facile licitaturos, fruſtra autem expectari ut ipſorum religio niſi auri ſplendore colluſtrata, ullam orbi lucem poſſit affulgere.*

Malum dubitandi, laboraret ne Ecclecleſia, an incolumis eſſet, ſub Paulo III. recruduit. Hic enim, ad alendam hominum ſpem, delectis 4. Cardinalibus, & 5. Præ-

ſulibus reformandæ Curiæ negotium ſemel atque iterum commiſit: Unde tandem ſcripto tres, à quibus omnes in Eccleſia manarent, abuſum, detecti fontes, quod reliquo Cardinalium Collegio commiſſum in ſpongiam iterum mox incubuit. Etſi enim *Iohannes Petrus Caraffa*, Cardinalis Theatinus, acriter Reformationem urgeret, Nicolaus tamen *Scombergius* Reformationis valde fuit impatiens: Unde & Pontifex emendationem ſupprimendam iterum cenſuit. Poſtea quam verò in Concilio Tridentino (cum de ejus prius Epitheto prolixè, infelici omine, eſſet diſputatum) Reformandi aliquam præ ſe tuliſſent ſolicitudinem, non potuit in ipſo ſtatim limine de Methodo inter ipſos convenire, reduvia ne prius curanda, an graviores ſanandi morbi? Qui cum Cæſare faciebant, in hac fuerant ſententia, *fidei dogmata* nullo cum operæ poſitæ pretio poſſe tractari, antequam Paſtorum vitia, unde hæreſes prognatæ, commoda Reformatione auferrentur. Ex *aliis*, pauculi aliquot, judicabant *à fidei capitibus* ſumendum initium: Fidem enim eſſe vitæ Chriſtianæ baſin. *Tertij* duo hæc capita à diſtinctis Collegijs conjunctim tractari volebant Nec deerant, ex Galliæ præ-

ſertim

ſertim Antiſtitibus, qui caput de ſtabilienda pace primò ac præcipuè tractandum cenſerent. Ita hactenus vulpeculæ Simſonis caudis obſequij cæci, colligatæ, averſis erant vultibus, ad nocendum licèt convocatæ, in ipſo veſtibulo. Manifeſtior deinceps hæc erit ἀπορία, ubi ad ipſum. Controverſiarum examen fuerit deventum. Cùm de prima Reformatorum theſi, *doctrinam univerſam fidei Chriſtianæ neceſſariam S. Sc. libris comprehendi; traditiones verò non ſcriptas figmentum eſſe, ageretur*; *neque de modo agendi*, neque de re ipſa ſatis inter Patres convenire poterat. *Circa modum*, nolebant, qui cauſæ diffidebant, initium facere à Scriptura Sacra, conſultius eſſe exiſtimantes, ſi de Eccleſiæ authoritate priùs diſceptaretur. Poſito enim fundamento, Eccleſiæ ſimpliciter credendum; huic ſine periculo cætera poſſe inædificari. Hæc *Lunelli* Franciſcani fuit opinio, quæ tamen ſuffragatores non habuit, quòd hæretici etiam Eccleſiæ, cui tantum ille deferret, axioma ſibi vendicarent. *In re ipſa*, *F. Antonius Marinarius*, Carmelita, tôt difficultates reperit, ut exiſtimârit à traditionum mentione planè abſtinendum; totâque ſua diſſertatione ita Romæ cautum voluit, ut

ſcru-

ſcrupuli ejus totidem eſſent argumenta, cur Reformati, ſub nomine traditionum Apoſtolicarum, non admitterent, quæ & eſſent incerta, & verbo Dei ſcripto contradicerent: unde & poſt longas concluſit ambages, non minùs periculoſum eſſe materiam hanc pertractare, quàm inter Scyllam & Charibdin navigare: quam loquendi rationem Conclavi Purpuratorum indignam, in colloquio potius Germaniæ, ubi multa cum veritatis etiam præjudicio, concederentur, relinquendam cenſuit. *d.* 1..2. pag. 166.

In *diſtinctione librorum Canonicorum & Apocryphorum*, quatuor diverſæ erant ſententiæ. *Prima* tamen & primaria Reformatorum partes feliciſſimè tutata, duas librorum Biblicorum agnovit Claſſes: In *una* eos ſolos collocari voluit, qui, ſine Controverſia, pro Canonicis ſemper eſſent habiti: In altera verò eos, qui aliquando rejecti, aut de quibus eſſet dubitatum: Et quanquam à nullo ſuperiore, à Concilio, aut Pontifice, id fuiſſet factum, eam tamen omnium fuiſſe mentem. *Auguſtinum* enim ea uti diſtinctione: Item *D. Gregorium*, qui, poſterior Gelaſio, ſuper Job ajt, *libros Macchabaeorum ad ædificationem conſcriptos, licèt Canonici non ſint.*

Alo-

Aloiſius Cataneus, frater Dominicanus affirmabat, iſtam diſtinctionem à D. Hieronymo factam, pro regula & norma Eccleſiæ receptam ad Canonem ſcripturarum conſtituendum: ad id citans *Cardinalem Cajetanum*, qui ipſe libros ad eum modum diſtinxerat; ſequutus *D. Hieronymum*, tanquam certiſſimam normam ab Eccleſia nobis relictam; etiam cùm ad *Clementem VII.* Papam ſcripſit, miſſa ad eum ſua in libros Hiſtoricos Veteris Teſtamenti, expoſitione. *Id.* pag. 167. Cùm pro αὐθεντίᾳ textus pugnaretur, major quidem Theologorum pars Vulgatam prætulit, quòd indignum exiſtimârint fore, ſi in vicem Doctorum Theologiæ & Purpuratorum patrum, literatores ejusmodi aſſumerentur. Novos hoſce Grammaticos omnia facilè turbaturos. Meliores tamen pro fontibus certârunt, cauſámque adeò Reformatorum defendebant. *Aloiſius Cataneus* audiendum, præ cæteris, commendavit Theologum illius & ſuperiorum aliquot ſeculorum celeberrimum, *Cardinalem Cajetanum*, qui convincendis erroribus nullum aliud ſupereſſe vidiſſet, quàm contextus ſacri in ea Lingua, qua primum fuit conſcriptus, intelligentiam ad literam. Dicere etiam ſolitum

litum, *intelligere textum Latinum, non eſſe intelligere verbum Dei, quod errare non poteſt; ſed vocem interpretis erroribus obnoxiam.* Addidit *Catanæus*, nullam translationem poſſe probari, niſi repudiato Canone, *ut veterum*, d. IX. qui cenſet; V. T. fidem de Hebræis voluminibus examinandam; Novi verò normam Græci ſermonis deſiderare. Cùmque poſtea *Vulgata*, quod longa conſuetudine publica occupâſſet jam ſubſellia, translationi nimis nonnulli blandirentur, prolixè *Iſidorus Clarius* Brixianus, Abbas Benedictinus, in hoc ſtudio apprimè verſatus, diſputavit, *nullam verſionem textui Originali æquiparandam.*

De ſenſu Scripturæ non deerant, crudæ & abſurdæ voces eorum, qui ab hominibus; & alij quidem à Patribus, alij etiam à Scholaſticis; ſimpliciter dependendum clamitârunt. Certè, *F. Ricardus de Mans* Franciſcanus non erubuit dicere, *fidei dogmata, operâ Scholaſticorum in præſens ita eſſe enucleata*, ut in poſterum ex Scriptura ea addiſcere nihil eſſet opus Id. pag. 174. Melioris tamen notæ Theologi, præeunte *Cardinale Cajetano*, cum ijs, quos perſequebantur, faciebant, ſtatuentes, novum aliquem ſenſum Scripturæ, quando cum textu concordat, & neque cum alijs Scri-

pturæ

pturæ locis, neque cum fidei doctrina pugnat, rejiciendum non eſſe, utcunque torrens Doctorum ad alium ſenſum confluat: Deum enim Scripturæ ſenſum ſolis priſcis Doctoribus non alligâſſe: alioqui nihil aliud aut hujus ævi, aut poſterioris ſcriptoribus relictum, quàm ut ab alijs ſcripta exſcribant in ſuos libros.

Communi jam aſſenſu pro hæretico à Patribus Tridentinis judicabatur, qui cum Reformatis diceret, *in baptizatis aliquid remanere condemnatione dignum*. Et tamen non erubuit *Antonius Marinarus*, Carmelita, monere Patres, ne præcipitarent, aut ſententiam hanc hæreſeos damnarent, quòd Auguſtinus vel ab ea non abhorrere, vel quæſtionem problematicam, quæ ad fidem non pertineret, ſtatuere videretur. Modeſtè quidem & cautè; ſed non ita ſecurè, quin plerique Patres ſuſpicarentur, eum à Proteſtantium doctrina non eſſe alienum: Propterea maximè, quòd una & altera concione auditores ſuos *ad fiduciam omnem in Deo collocandam hortaretur, damnata operum confidentia, & heroicas veterum actiones ab hominibus tantopere decantatas, ſplendida, ſed vera peccata affirmaverat, ac de differentia legis & Evangelij verba faciens*, non tam duo tempora diſtinxerat, quàm

quàm Evangelium ſemper extitiſſe, & legem perpetuò futuram prædicaverat, imò de certitudine gratiæ aliquid prodiderat. Sed quàm erat, temerarium dicam an ridiculum, Reformatorum de peccato originis damnare doctrinam; neque tamen aliam meliorem explanare, aut ſtatuere? Neque enim diffitetur *auth. Hiſt. Concil.* pag. 197. poſt Theologorum cenſuram, cùm à Patribus de conſtituenda forma Decreti ageretur, illos quòd ex Epiſcopis perpauci ſolida Theologiæ cognitione præditi eſſent, ſed vel conſulti juris, vel ad modum aulæ diſciplinis leviter tincti, è Scholaſticorum tricis & ſpinoſa rerum tractandarum ratione vix ſe ſe expediviſſe, atque propter opinionum conflictum, quid de eſſentia peccati originalis ſtatuendum eſſet, non ſatis vel attendiſſe, vel perſpexiſſe. Aliquid lucis attulerat *Catarinus*, in ſola imputatione peccati Adami illud oſtendens: unde, cùm Scholaſticis non ſatisfaceret, maluiſſent in aſſertione ſuæ ſententiæ ἐπέχειν, modò in contra ſentientes fulmen anathematiſmi ferociter vibrâſſent; niſi pauci quidam, *Marcus Viguerius* Senogalienſis Epiſcopus *F. Hieronymus* Auguſtinorum Generalis, & *F. Andreas Vega*, Theologus Franciſcanus, interceſſiſſent,

ſiſſent indignum rati, opinionem aliquam priùs damnari ut hæreticam, quàm Catholica eſſet ſtabilita. Tandem verò Patres de peccato originali aliquid cenſentes definiendum, rejectis ſpinoſis Scholaſticorum quæſtionibus; quas ipſi vix ſatis eruditi intelligerent; fieri illud voluerunt. Alia tamen mox oborta difficultas in ſubjecti latitudine. *Dominicani* omnes homines peccato originali ſubjiciebant, *Franciſcani* exceperunt B. Mariam. Sed quia Pontifex Schiſma facile prævidit, hanc controverſiam ne tangi quidem voluit. Sed intricatior adhùc & difficilior occupavit Patres materia, cùm Reformatorum ſententia de *fide* & *juſtificatione* eſſet expendenda. Argumentum enim de peccato originali ſtudioſè antea, à Scholaſticis, erat agitatum; at Reformatorum de fide juſtificante opinionem, *quòd ea ſit fiducia, & certa perſuaſio promiſſionis divinæ*; nemo à Scholaſticis vel imaginando conceperat, ac proinde nec confutârat, nec excuſſerat. Unde Theologis deſudandum primò diu erat in eruendo genuino ejus ſenſu. Cúmque ad examen illarum ſe accingerent Controverſiarum, ex primarijs erant Theologis, qui inſcij, inviti ſaltem, cauſam Reformatorum juvabant. *Fidei*

enim vocabulum accipi & illi volebant, modò pro *obligatione* ad præſtanda promiſſa, quo ſenſu illud Paulinum acceperunt: *Incredulitatem Iudæorum fidem Dei non evacuaſſe: Modò* pro *dono miraculorum edendorum, ut cum dicitur: Si tantam fidem habuero ita ut montes transferam.* Modò pro *conſcientia*, ut cùm opus, quod ſine fide fit, Paulus peccatum dicit. Nonnunquam pro *fiducia & confidentia in Deum*, de promiſſionibus ipſius adimplendis: quo reſpectu Jacobus jubet poſtulare in fide abſque hæſitatione. Denique pro *perſuaſione, & firma aſſenſione*, licèt non evidente, rebus à Deo revelatis. Alij alias addebant ſignificationes: Alij novem, alij quindecim. Id cùm *Dominicus Soto* animadvertiſſet, Reformatis hac ratione ad victoriam viam ſterni; facilè vidit. Contracto ergo tam vaſto Scholiſque reformatis commodo vocabuli fidei uſu, duas tantùm fidei acceptiones dari voluit, alteram veritatem & realitatem *aſſeverantis* ſive promittentis, aſſenſum *auſcultantis* alteram; priorem eſſe in DEO, alteram ſolam eſſe noſtram: Pro fiducia verò & confidentia accipere fidem non modò impropriù eſſe; ſed & abuſivum. Sed ne hic quidem dubios compoſuit animos. *Catarinus* enim

nim, cui plerique accedebant, conceſſit quidem, juſtificationem à fiducia non proficiſci; juſtum tamen poſſe, imò debere pro certo ſtatuere, ſe eſſe in gratia. *Andreas Vega* verò, non eſſe temeritatem, multóque minus fidem certam, ſed ſine peccato haberi poſſe perſuaſionem conjecturalem. Hac ergo demum occaſione de natura fidei, in Scholis antea planè neglecta, dubijs ſententijs & votis ita agi cœptum eſt, ut neque fidei officium rectè intelligerent, neque reformatorum ſenſum. Unde & phraſis; *ſola fide hominem juſtificari*, omnium Theologorum ſententiâ fuit exploſa, etſi *Marinarus* plus viderit, & phraſin, quæ dicit *ſolam quidem fidem juſtificare, non tamen ſolitariam*, operibus charitatis efficacem, quam ex Germanicis colloquijs didicit, defenderit. *Omnia opera absque fide peccata eſſe*, durum Concilio videbatur. Sed oſtendit, quæ planè reformatorum ſententia fuit, *Catarinus*, hominem absque ſingulari Dei ope nullam actionem poſſe peragere, quæ *verè bona* dici poſſit, ne moraliter quidem; ſed peccatum ſolummodò. Ideo omnia opera infidelium, qui à Deo non excitantur ad credendum, & omnes actiones fidelium; ſed peccatorum, antequam à

Deo excitentur ad converſionem, utcunq; honeſtæ, imò heroicæ videantur, eſſe peccata. Itaque hoc nomine reformatos minimè damnandos. Quam ſententiam Scripturæ & antiquitatis argumentis ita aſſeruit, apertè, ut *Soto* eúm hæreſeos inſimulârit. Etſi verò *Soto* aſtruxerit, hominem naturæ viribus omnia legis mandata adimplere poſſe, quoad operis ſubſtantiam; quæ etiam præparatoria eſſe queant ad juſtificationem: *Franciſcani* inſuper addiderint, in ſuo genere (*de congruo* Sotus vocabat) apud Deum meritoria eſſe; *Dominicani*, tamen (qui fatebantur Thomam juvenem, opinionem illam tenuiſſe, ſed maturiori ætate retractâſſe,) reclamârunt; quòd in Arauſicano Concilio ſancitum eſſet, nullum genus meriti gratiam præcedere, Deoque bonarum actionum initium tribuendum. Atque hac tempeſtate Lutheranos, propter *meritum illud congrui*, in Eccleſiam Romanam adeò debacchari, ut abolendum id neceſſariò videatur, maximè, quòd priſcis Eccleſiæ temporibus, inter tot cum Pelagianis controverſias, ejus nomen fuerit inauditum: Scripturâ converſionem noſtram Deo adſcribente, à cujus formula loquendi latum unguem nos diſcedere non conveniat; *Id.* p. 218.

Neque

Neque negare poterant, vel vocem *juſtificandi*, in Vulgata etiam editione, declarandi, pronunciandi ſenſu accipi; p. 219. vel *imputatam* Chriſti *juſtitiam*; pro qua *Albertus Pighius* militavit; noſtram eſſe, *Ib. Imputandi* tamen verbum adeò diſplicuit, ut ſublatum illud cuperent, veluti à Patribus nunquam uſurpatum: Etſi *communicationis*, *participationis*, *diffuſionis*, *derivationis*, *applicationis*, *computationis & conjunctionis* vocabula ijsdem fuerint familiaria. Et quanquam tum ex *Bernhardi* Epiſtola 109. tum prolixa *Vegæ* aſſertione conſtaret, *imputandi* vocem, nec novam, nec ineptam eſſe, quòd veriſſimè diceretur, juſtitiam Chriſti imputatam generi humano in meritum & ſatisfactionem, perpetuòque etiam imputari omnibus juſtificatis; rejecta tamen vox fuit, veluti ſuſpecta. Ita convenerat inter illos in examine ipſo doctrinæ; in anathematibus conficiendis eædem illic recruduere controverſiæ, quæ prius, de *certitudine gratiæ*, de *operibus moralibus infidelium & peccatorum*, de *merito congrui*, de *imputatione juſtitiæ*, *& de diſtinctione gratiæ ac charitatis*; majorique quàm antea animorum contentione actum ab ijs, quorum intererat ſectæ ſuæ opiniones tueri, Cardinale Sancticrucio partium affectus,

ſatis per ſe concitatos, artificioſè commovente. Nodos hic eſſe dicebat dignos vindice, qui & accuratam diſquiſitionem neceſſariò requirerent, & ſine quorum determinatione de alijs capitibus deliberatio fruſtra inſtitueretur. Et certè, ſola de certitudine gratiæ controverſia diſceptatores multis diebus habuit ſolicitos: Neque Theologos modò, ſed ipſos Præſules in duas factiones diviſit: quibus tamen diſputationibus quæſtio nihilo facta elucidatior, ſed obſcurior potiùs, ut ipſe loquitur ſcriptor. *Concil. Tridenti.* l 2. pag. 225. Illud, magno veritatis commodo, certum eſt, tum argumenta *Catarini*, *Marinari*, aliorúmque, tum etiam confutationem contrariæ ſententiæ adeò ſolida fuiſſe & perſpicua, ut, niſi unius Papæ judicio omnia tum determinarentur, veritas facile triumphâſſet. Ajebant, bonæ cauſæ Patroni, Chriſtum quoties in Evangelio deprehenditur remiſiſſe peccata, toties dixiſſe: *Confide, remiſſa tibi ſunt peccata.* Abſurdúmque videri, Chriſtum cujquam temeritatis aut ſuperbiæ occaſionem miniſtrare voluiſſe, aut omnes privari eo, quod utile, aut meritum foret. Scripturam ad gratias Deo agendas de juſtificatione noſtra nos obligare, quam, niſi nos

acce-

accepiſſe certi ſimus, qua fronte gratias retribuamus? Cùm ineptum ſit beneficium agnoſcere, quod, datum ſit, nec ne, non intelligas. Certè D. Paulum certitudinem aſſerere ſatis manifeſtè; cùm vult Corinthios ſentire, *Chriſtum eſſe in ipſis, niſi ſint reprobi*. Et cùm ajt: *Nos à Deo Spiritum ideo accepiſſe, ut per eum intelligamus, quid à Deo nobis datum ſit*. Et adhuc clarius: *Spiritum S. teſtari Spiritui noſtro, nos eſſe Dei filios.* Impudentiæ quoque immanis eſſe, temeritatis eos arceſſere, qui Sp. S. credant ipſos compellante, dicente Ambroſio: *Sp. S. nunquam nos alloqui, quin ſimul nobis notum faciat, ipſum eſſe qui loquitur*. Et Chriſtus apud Johannem: *Mundum non poſſe recipere Sp. S. quòd eum nec videt, nec cognoſcit*. Diſcipulos autem ſuos eum agnituros, quòd in ipſis futurus ſit & manſurus. Ex quibus acutè admodùm concludebat *Catarinus*: Somniare illum, qui aſſerat gratiam voluntariè accipi, neque tamen ſciri, an eam habeat, qua ſi ad rem motu animi voluntario accipiendam non ſit neceſſarium, ut qui eam ſponte accipit, ſciat & rem ſibi datam, & ſe verè eam accipere, & acceptam poſſidere. Ad rationes ab altera parte allatas reſpondebant, non attendendum,

quid Scholaſtici ſentiant, cùm ſententiæ ſuæ firmamenta petant à rationibus Philoſophicis: *quòd Philoſophia humana de inſtinctu divino malè judicare poſſit.* Dein authoritatem Salomonis non facere ad hanc rem. Qui verba illa: *Nemo ſcit amore an odio ſit dignus*, ad hoc inſtitutum trahere velit, concluderet inde, ſceleratiſſimum quemque peccatorem in peccatis perſeverantem neſcire an Deo ſit inviſus. Tum dictum illud ſapientiæ: *Non vacandum timore peccati, quòd ſit condonatum*; multò minus huc applicandum, & fallaciam eſſe in voce Græca ἱλασμὸς, quæ non ſignificet peccatum jam remiſſum, ut eſt in *Vulgata* traductione, ſed expiationem & veniam peccati: Verbáque Sapientis monere peccatorem de peccatis non accumulandis ex nimia veniæ conſequendæ confidentia; non autem veniæ jam acquiſitæ: Neque ſuper *hallucinatione Interpretis*, fidei articulum fuiſſe fundandum. Ejusmodi fuit ijs temporibus de editione Vulgata judicium eorum, qui authenticam eam fecerunt, quod ex libris quoque editis ab ijs, qui Decreto approbationis interfuerunt, obſervatu ſit facile. Phraſin Petri, *operandam ſalutem cum timore & tremore*, eſſe Hebraicam, quæ ambigendi ſtu-

ſtudium non adſtruat; ſed reverentiam: quòd timorem & tremorem ſervi etiam deferant heris, quibus chari ſunt & accépti. Locum Pauli, *licèt conſcientia ipſum non accuſet, non idcirco cenſere ſe juſtificatum,* pro ſe facere, ſi de juſtificatione eſſet accipiendus. Nam quod ajt, *ſe nullius defectûs conſcium, neque tamen idcirco juſtificatum,* ex eo facilè inferri, illum aliâ viâ juſtificatum, quæ certitudinem confirmet. Verum autem verborum ſenſum eſſe, D.Paulum, loquentem de defectu in munere Evangelij prædicandi, dicere, conſcientiam non arguere eum alicujus omiſſionis; neque tamen adeò eſſe præfidentem, ut audeat dicere, ſe omnibus officij partibus ſatis feciſſe; ſed Deo omne arbitrium permittere. Hæc liberè in Tridentino Concilio dicta (noſtris piaculiaria) fuerunt verba, & tanta quidem cum δεινότητι, ut bis in Præſulum congregatione fuerit propoſitum, quæſtionem eam omnino relinquendam, tanquam ambiguam, longam, moleſtam, *Ibid.* pag 228. De *libero arbitrio* ita intricatè, operosè & confusè diſputatum erat, ut tamen ſtricturæ ſubinde Auguſtinianæ doctrinæ lucerent; quæ cum Reformatorum hypotheſibus poterant componi. In *genere* de

libero arbitrio affirmabat Concilium, quòd ſicut abſurdum eſſet dicere, nullam actionem humanam poſitam eſſe in noſtra poteſtate; ita non minorem eſſe amentiam omnes eſſe noſtræ poteſtatis, aſſerere, cùm quisque experientiâ ſuâ quotidie addiſcat, omnes affectus non ſubjici ipſius imperio. *Catarinus* perſpicuè, hominem, ſine ſpeciali Dei auxilio, non poſſe operari bonum morale defendit. *Vega*, poſtquam adeò ambiguè eſſet locutus, ut quid ſibi vellet, ipſe vix intelligeret, concluſit, inter Theologorum & Proteſtantium doctrinam vix quicquam eſſe diſcriminis. Si enim Reformati libertatem concederent operandi juſtitiam Philoſophicam, non autem ſuper naturalem; item ad obeunda opera Legis externa, non autem interna & ſpiritualia; perinde eos facere, ac ſi cum Eccleſia Romana, opera ſpiritualia ad religionem ſpectantia, ſine auxilio divino præſtari non poſſe; ſtatuerent. In *ſpecie* de ἀδιαφορίᾳ deliberaturi torvis primùm Patres, aſpiciebant oculis Lutheri theſin: *Liberum arbitrium prodere ſe, in faciendo malum; bene agendi poteſtatem non habere*; ineptum eſſe exiſtimantes, qui itaque loqueretur, cùm libertatis nomine poteſtas ad utrumq; contrarium intelligeretur.

retur. Stultè dici libertatem ad malum, niſi ſit & ad bonum. Mox tamen *ἀναγή-φοντες* errorem hi agnovere, moniti, Sanctos in cælis & Beatos Angelos eſſe liberos, cùm ad bonum ſolummodò propendeant. Servum Lutheri arbitrium ſugillabant, ægrè admittentes, peccato libertatem arbitrij circa bonum ſpirituale eſſe amiſſam. Sed cùm multæ ex Auguſtino pro Reformatorum ſententia allatæ eſſent authoritates, quæ diſertis id affirmarent verbis, nullum aliud patuit effugium, quàm, quòd nova diſtinctinone inter libertatem *à libero*, & *liberando* deductam, *Soto* rimam reperiſſe ſe putârit: Quam tamen diſtinctionem vel non capiebant multi, vel ita capiebant, ut Lutheri libro & titulo patrocinaretur.

De viribus humanis ad converſionem reliquis multa *Franciſcani* garriebant, ſtatuentes, quandoquidem voluntas ſe ipſam poſſit præparare, hoc magis in poteſtate ſua eſſe poſitum, præventionem divinam aut admittere, aut rejicere, quando Deus illi auxilium præbet; prius quam naturæ viribus utatur. *Dominicani* verò contra acriter negabant, opera vocationem præcedentia eſſe verè præparatoria, primum locum ſemper Deo adſcribentes.

Et

Et cùm *Soto* arbitrio nimium tribuere vellet, mox *F. Aloiſius Catanea*, juxta Thomæ doctrinam, Deum in animo duo genera gratiæ prævenientis operari proponit; unam ſufficientem, alteram efficacem: *Priori* poſſe voluntatem & aſſentiri & reluctari; *poſteriori* minimè, quod includat contradictionem, poſſe repugnare efficaciæ. Ad ſententiæ autem ſuæ confirmationem citabat *Johannem*, & *Paulum*, & ſuper iis locis delucidam D. Auguſtini explicationem. Dein ad objectionem, *quòd omnes ad Deum non convertantur*, reſpondebat, id fieri, quòd Deus efficaciter non omnes præveniret. Objecit nonnulla *Sotus*, ſed valde timidè, quòd urgeret Catanea, ita futurum, ut electorum diſtinctio à reprobis, ab hominibus dependeret, tum ut electio divina ex operibus prævìſis, non ex Dei beneplacito procederet, cùm & Patrum, & Conciliorum, Africani & Gallicani contra Pelagianos doctrina ſemper prædicârit, Deum operari illud velle in electis, quod tantundem eſt, ac ſi dicerent, Deum efficere ut conſentiant. His nihilominus rationibus allegatis, contraria opinio majoris partis applauſum obtinuit, multis licèt, rationes Cataneæ non ſatis confutatas, ingenuè fatentibus.

Pra-

Prædeſtinationis caput aggreſſuri, Zuinglium; quòd Auguſtani Confeſſores parcius de ea re loqui viderentur; Patres, cenſoriâ virgulâ dignum quidem exiſtimarunt, ita tamen, ut vel veritatem defenderent, vel falſitatem ratiocinijs tantùm humanis incruſtarent, vel novas & inſolitas conciliandi vias, certiſſimo indicio, nihil Romanam tum habuiſſe Eccleſiam, in quo pedem tutò figeret, quærerent. Primus articulus erat; *In prædeſtinatione & reprobatione nullas eſſe partes hominis; ſed ſolius divinæ voluntatis* Hunc verò Theologi maximæ celebritatis pro Orthodoxo habuere, & contrarium pro hæretico, quòd boni ſcriptores Scholaſtici, Thomas, Scotus, alijque communiter ſic ſentiant: *Deum nempe ante mundi fabricam ex univerſa maſſa generis humani per ſolam, merámque ſuam miſericordiam nonnullos elegiſſe ad gloriam, quibus efficacia media præparavit ad eam obtinendam, quod dicitur Prædeſtinare:* Horum numerum eſſe certum & determinatum, neque incrementum admittere. Omnia & Scripturæ authoritate (Ibid. pag. 232.) & Auguſtini calculo approbabant. Hanc quidem ſententiam alij, veluti duram, crudelem, inhumanam, horribilem & impiam vocârunt: Fatebantur, opera

opera non ſolùm non eſſe cauſam divinæ electionis, quòd hæc ab æterno, illa longo intervallo præcedat; ſed ne opera quidem prævifa poſſe Deum impellere ad prædeſtinandum: Imò ipſum pro infinita ſua miſericordia velle, ut omnes ſint ſalvi, omnibúsque ad hunc finem idonea inſtrumenta ſalutis præparare, quæ ſinguli, prout ipſis videtur, pro arbitrij libertate aut admittunt, aut rejiciunt; quin etiam Deum in æterno ſuo conſilio prævidere, qui oblata adjumenta ſint accepturi, & ea in rem ſuam converſuri, qui rurſus eadem ſint rejecturi: Atque hos reprobare, illos eligere & prædeſtinare. Sed qui de duabus iſtis candidè judicare voluerunt ſententiis, faſſi ſunt, priorem, magnam complexam myſterium & arcanum, mentem hominis humiliare, atque hinc deformitatem peccati, illinc gratiæ divinæ excellentiam intuentem, abjecta protinus ſui fiducia, in Deo planè defigere. Alteram verò magis plauſibilem, popularem, ſpecioſam, & augendo mentis humanæ faſtui accommodatiorem, hocipſo & gratiorem *fratribus* fuiſſe, artem potiùs prædicandi, quàm accuratám Theologiæ conditionem ſemper profeſſis; & Aulicis probabiliorem videri, quippe conſentaneam rationibus poli-

politicis, quæ & Epiſcopos *Bitontinenſem*, & *Salpenſem* ſatis acres propagnatores habuit. Temerarius ſatis ille fuit, qui non modo mediam quandam ſententiam confingere, ſed & in Auguſtinum acriter invehi auſus fuit; Ib. pag. 234. Sed & axioma Reformatorum: *Prædeſtinatos non poſſe damnari, neque reprobos ſalvari*, illi quidem qui omnia tribuerunt aſſenſui humano, damnarunt; cæteri verò, Theologi pleríque, qui Auguſtinum ſequebantur ſenſu compoſito verum admiſerunt, diviſo damnabilem. Quod tamen verborum glaucoma vel invitos Præſules in Reformatorum caſtra traduxit; *Id.* pag. 235. Ita hæc materia, centum congregationibus exexcuſſa fuit, ut tamen poſt Concilij dimiſſionem verborum potiùs quàm rerum conſenſum, quisque ſibi dictum & decretum exiſtimârit. Unde & ejusdem Canonis diverſiſſimæ, ab illis, qui Synodo interfuerunt, prodierunt gloſſæ, quod *Dominici à Soto*, & *Andreæ Vega* exemplo manifeſtum fuit, pag. 238. idque adeò apertè, ut *Soto* & *Catarinus* Commentarijs in hæc decreta editis, & Synodo dicatis, eam pugnantia ſtatuere ex ſua mente voluerint, pag. 254. Cum enim *Soto* certitudinem fidei elevâſſet, quam ſolide *Ca-*

tarinus,

tarinus, Minorenſis poſtea Epiſcopus factus, defendit, in hac opinionum repugnantia non ſolùm uterque ad Concilium ſcribens, aſſeverabat, ſententiam ſuam eſſe Synodi mentem; ſed paulò pòſt ſuper eodem argumento Apologias, & Antapologias ſcripſere, criminantes invicem, eum Synodo affingi ſenſum, quem nunquam ſomniâſſet. Qui quidem eventus ſpem omnibus adimere facilè poterat, mentem Concilij ſatis claram unquam futuram, quando eo tempore, inter ipſos qui aderant, & primas in ea actione obtinuerunt, de Concilij ſenſu non conveniebat. Id quod non in hoc tantùm; ſed alijs plerisque capitibus (niſi ubi de damnandis Reformatis ſermo fuit; Tunc enim ſingulari vocis animique concordia ad eos jugulandos conſpirârunt:) contigiſſe, *author Hiſtoria* obſervavit, pag. 255. Cùm audirent Patres, *Septenarium Sacramentorum* numerum à Reformatis impugnari; inter omnes ſtatim Theologos de illo convenit. Ubi verò pleniùs mentem Reformatorum explicuiſſent, de Sacramentis veris & *propriè ſic dictis* ſermonem eſſe, vox iterum faucibus multis hæſit. Alij proinde exiſtimârunt, ſatis eſſe, ſi exemplo Concilij Florentini, in numero

ro ſeptenario acquieſcerent, nec vel de veritate, vel proprietate ſoliciti, crucem ſibi figerent. Statuendo enim, Sacramenta *propria*, neque plura eſſe, neque pauciora, præſupponi dererminationem veræ ac propriæ eſſentiæ, & definitionis Sacramenti, quæ res eſſet plena difficultatis, cùm ne nunc in Scholis, an Sacramentum poſſit definiri, determinatum ſit. Patres, Bernhardum, poſt Cyprianum, *lotionem pedum* etiam pro Sacramento habuiſſe, & *Auguſtinum* omnes ferè ritus Sacramentis accenſere. Alii qui tamen, conjecturis & allegoriis potiùs quàm argumentis (de quibus p.260.) erant inſtructi, contendebant, pro articulo fidei neceſſariò propter Lutheranos ſtabiliendum, Sacramenta propria ac vera neque plura eſſe, neque pauciora: Atque hi etiam prævaluerunt. Poſtquam verò de *authore Sacramentorum* diſputari cæpiſſet, nova iterum lis oborta, qua, cùm alii ad ſolum Chriſtum, alii ad Apoſtolos & Deum Patrem in Paradiſo Sacramentorum originem referrent, ſuaſerunt nonnulli, caput illud articulo non adjungendum, ne Catholicorum opinio damnaretur. Nec omnium eadem ſententia fuit de neceſſitate Sacramentorum, gratia

ſine Sacramento, aut Sacramenti voto, dignitate Sacramentorum, quæ quidem omnia enarrare inſtituti noſtri non eſt: Fusè ea tradit author Hiſtoriæ. Illud verò dignius cenſemus, quod à nobis commemoretur, inter Theologos *Franciſcanos* & *Dominicanos* acriter fuiſſe certatum de *Sacramentorum effectis*. Etſi enim in hoc conſenſerint, Sacramenta conferre gratiam non ponentibus obicem, *ex opere operato*, mox tamen, quid nova & obſcura hæc Scholaſticorum phraſis ſibi vellet, anquiri cæptum eſt. *Dominicani* enim aſſerebant, gratiam, utut ſit qualitas ſpiritualis à Deo immediatè creata; in Sacramentis tamen eſſe virtutem inſtrumentalem & effectivam, quæ in anima diſpoſitionem operetur ad eam recipiendum: Itaque dici continere gratiam, non quòd ſit in ipſis, tanquam in vaſe; ſed ut effectum in ſua cauſa: Quòd ſubtili exemplo illuſtrabant Scalpelli, quod eſt activum non in petra modò diſſecanda, ſed in formanda etiam ſtatua. At *Franciſcani* negabant, ſe ſatis id aſſequi, quemadmodum Deus, cauſa ſpiritualis, ad gratiam, effectum ſpiritualem producendum, inſtrumento utatur corporeo: imò ſimpliciter vim omnem effectivam aut diſpoſitivam

Sacra-

Sacramentis denegabant, non aliunde vim & efficaciam ipſorum petentes, quàm ex promiſſione divina, quòd Deus ſe gratiam largiturum receperit, quoties cunque miniſtrabitur Sacramentum. Ideo dici Sacramentum continere gratiam, tanquam in *ſigno efficaci*, non vi ac virtute ſua, ſed Dei miniſterio huic opem indubitatam pollicentis, & Sacramentum eſſe cauſam gratiæ, quia eo poſito, ſequitur effectus non vi ſua; ſed divinæ promiſſionis, de gratia ipſo tempore donanda; ſicut meritum dicitur cauſa præmii, nulla ad id demerendum actione interveniente. Atque hanc ſuam ſententiam confirmabant non *Scoti* ſolùm, & *D. Bonaventuræ* ſuæ ſectæ Theologorum; ſed *Bernhardi* quoque authoritate, agnoſcentis, gratiam per Sacramenta ad eum modum percipi, quo Canonicus per librum, & Epiſcopus per annulum in poſſeſſionem mittuntur. Tanta verborum & argumentorum virtute ſuam egerunt cauſam Franciſcani, ut quamvis eo nomine Reformatis affines cenſerentur, illud tamen probrum, ſi quòd fuiſſet, ſuſtinere, quàm cum Dominicanis impoſſibilia adſtruere, & hæreticis anſam dare calumniandi Eccleſiam, maluerint. Et *quanquam de Sacramentorum V. &*

N. Teſtamenti diſcrimine ita communiter in Concilio ſentirent, ut contra Reformatos decernerent, Sacramenta antiquæ Legis eſſe ſigna ſolùm gratiæ, novæ autem, gratiam & continere & producere: Protinus tamen *& Franciſcani* circumciſionem, quæ & ipſa contuliſſet gratiam, excepit, & *F. Gregorius Paduanus* in eandem rem dixit: *Apud Dialecticos tritum eſſe, ea quæ ſunt ejusdem generis, identitatem inter ſe habere, & differentiam. Si antiqua & nova Legis Sacramenta diſcreparent tantùm, tum non omnia fore Sacramenta, niſi æquivocè; ſi ſolùm convenirent, tum unum idémque fore.* Itaque in rebus dilucidis propter verborum diverſitatem difficultates non conſtituendas. Auguſtinum enim tradidiſſe, tum hæc, tum illa, ſigno diverſa, re ſignificata eſſe paria. Et alibi, *eſſe diverſa ſpecie viſibili, ſed eadem, ſignificatione intelligibili.* Item, *illa fuiſſe promiſſiva*, hæc eſſe *indicativa*; quod ab alio aliis verbis dictum, illa fuiſſe *prænuntiativa*, hæc eſſe *conteſtativa*. Quæ ut ne verbis quidem à noſtris longè abeunt, ita ſenſu proxima ſunt. Articulum Reformatorum, *Sacramenta immediatè poſt Adami pravaricationem à Deo fuiſſe inſtituta, per quæ collata ſit gratia*, Dominicani nigro ſtatim damnationis the-

theta notârunt; quem veritatem continere, neque cenſuræ ſubjici poſſe *Franciſcani* aſſeruerunt, freti authoritate *Bonaventuræ* & *Scoti*, qui circumciſionem gratiam ex opere operato contuliſſe tenuerint; imò *Scotus* aſſeruerit, illico, poſt peccatum, Adami Sacramentum fuiſſe inſtitutum, quo infantibus gratia fuerit data ipſius Sacramenti virtute, id eſt, ex opere operato. *De charactere etiam indelebili* adeò Patres fluctuabant, ut quamvis Reformatorum damnarent theſin, in nullo Sacramento imprimi characterem, definire tamen non potuerint, vel unde, vel quid eſſet. Non poterant diffiteri plures novitatem, quòd neque *Gratianus*, neque *Magiſter ſententiarum* ejus meminiſſent. Imò *Scotus* diceret, neque Scripturæ, neque Patrum verbis neceſſariò eſſe ponendum; ſed *ſolius Eccleſiæ authoritate*. Quid verò eſſet, ne per Scholaſticos quidem erat hactenus definitum. *Qualitatem* quidam eſſe volebant, idque ſecundum quatuor ejus ſpecies: alij *relationem* realem; alij *notionem mentalem*. Neque de *ſubjecto* convenerat, quod alij collocabant in *Eſſentia animæ*, alij in *intellectu*, alij in *voluntate*: Nonnemo in *manibus* & *lingua* locum ei aſſignavit. De *intentione* acturi Patres no-

lebant quidem ab exemplo Concilij Florentini recedere, qui tamen nec dum, quid per intentionem, propter ambiguitatem ſenſus humani, circa vim & efficaciam Sacramentorum, intelligi deberet, definierunt, donec ea placeret veluti commodiſſima, ſententia, hanc Miniſtrorum eſſe intentionem, *quando omnes id unum in miniſtrando ſpectant, quod à Chriſto inſtitutum & in Eccleſia eſt obſervatum, etiam ſi falſa Eccleſia pro vera habeatur, modò hujus & illius ijdem ſint ritus.* Oſtendit verò *Minorenſis*, quàm hæc intentio eſſet periculoſa carnificina, quâ, etſi rarius fieri poſſet, unius Miniſtri in unica actione malitia, infinitæ Sacramentorum nullitates evenirent. Detur, *inquiebat*, impius quiſpiam Sacerdos, qui fingat, neque animum habeat miniſtrandi parvulo verum baptiſmum; parvulus hic vir factus, creetur Epiſcopus populoſæ alicujus civitatis, ac provinciam eam multis annis adminiſtrans, Sacerdotes magno numero inſtituat, hîc neceſſariò ſtatuendum eſt, Epiſcopum, qui baptizatus non fuerit, non potuiſſe conſecrari, ac nihilo magis eos, quos ſacris ille initiârit. Ita in magna civium frequentia, neque miniſtratum fuiſſe Euchariſtiæ Sacramentum,

neque

neque Confeſſionis: Iſta enim ſine Sacramento ordinis non conſtare, nec illud ſine Epiſcopo; nec ad ſacros ordines admitti, qui non ſit baptizatus. Majeſtatem proinde divinam incommodis omnibus prævertiſſe, ſtatuendo, *ut Sacramentum illud ſit verum, quod juxta ritum à ſe inſtitutum adminiſtratur, utut miniſter in animo interiore ſit affectus.* Sauciavit hac oratione Epiſcopus Patrum animos, & ita quidem, ut rationes hæ cæteros Theologos dederint in ſtuporem; nec haberent, quod reſponderent; doctrinam tamen, quòd Reformatorum eſſet, probare nolebant; à qua *Præſul Minorenſis* (utcunque Synodus abſolutè decreverit, Miniſtri intentionem eſſe neceſſariam) non diſceſſit, imò anno vertente libellum de eo argumento ſcripſit, in quo affirmat, Synodum Tridentinam, eadem ſecum mente fuiſſe, & Concilii decretum juxta ipſius ſenſum eſſe accipiendum, *Id.* pag. 268. Quàm acerbè inter ſe commiſſi fuerint Theologi in *Miniſtro Confirmationis*, Franciſcanis ſolis Epiſcopis, Dominicanis gregariis etiam Sacerdotibus eam vindicantibus; tertiis ambiguis verbis utramque conciliare volentibus ſententiam; Ibid. refertur p. 271. Qui novis rebus nova & in-

audita auſi fuerunt imponere vocabula, vix ipſi, quid vellent, ſatis poterant aſſequi. De *Tranſſubſtantiatione* enim in Concilio Tridentino *Franciſcani* & *Dominicani* ita dimicârunt, ut Patribus diſceptatio ingrata fuerit; nec Theologi ipſi, quid Andabatæ digladiantes ſibi vellent, ſatis expedire potuerint. *Dominicani*, ſtatuebant, Chriſti corpus dici eſſe in Euchariſtia, non quòd ex alio loco, ubi antea fuerat, in Euchariſtiam veniat; ſed quòd ſubſtantia panis convertatur in corpus Chriſti. *Franciſcani* verò, corpus, per omnipotentiam poſſe verè & ſubſtantialiter eſſe in pluribus locis aſſerebant. *Modum* autem, quo Chriſtus eſt in cælis, non differre à modo, quo eſt in Sacramento, quoad ſubſtantiam; ſed ſolùm quo ad quantitatem. De *cæteris Sacramentis Pontificiis*, Confeſſione cumprimis acturi Patres, faciliori uti jubebantur Methodo; *poſitivam* vocant; quam Itali, Scholaſticis tricis aſſueti, veluti rem novam, pag. 362. primùm detrectabant, ad eoſdem tamen carceres revocati, pag. 385. obſequium declinare ampliùs non poterant: Ita tamen ἀμελείᾳ ἀνθολκῆς, peccârunt, ut obtorto omnia raperent collo, pag. 386. Et quanquam pro *caſuum reſervatione*, veluti pro focis multi

multi pugnarent, *Lovanienſes* tamen & *Colonienſes* Theologi, oſtenderunt, rem eſſe novam, jam olim *à Durando, Gerſone, Cajetano,* Cardinale *Campegio* exagitatam, pag. 391. Ægrè etiam tulerunt *Franciſcani*, eam damnari ſententiam, quæ vellet, *Abſolutionem Sacramentalem non eſſe actum judicialem, ſed nudum miniſterium declarandi remiſſa eſſe peccata*, cùm Hieronymi, Magiſtri ſententiarum, & Bonaventuræ dilucida illa fuerit, ac propè omnes Theologi Scholaſtici perſpicuè dixerint, abſolutionem in Sacramento pœnitentiæ eſſe abſolutionis declarationem. Sed quod ſcriptum erat, irritum reddi non poterat. Nolebat Cardinalis Creſcentius, quicquam immutari, pag. 292.

Communionem ſub utraque, adeóque calicis reſtitutionem, graviter Galliæ Regis Orator & seriò urſit: Poſtquam verò ad Cardinalium Collegium petitum ejus deferretur, adeò rigidam Purpuratorum expertus fuit cenſuram, ut non erubuerit Cardinalis S. Angeli exſcreare, *ſe nunquam pharmaci loco poculum toxico refertum populo Gallico propinaturum, multóque ſatius eſſe ſinere eum expirare, quàm ut ad remedia adeò vitioſa deveniatur.* Quibus Legatus ſapienter regeſſit: Præſules Galliæ bonis firmamen-

tis & rationibus Theologicis niti, quæ cenſuram tam contumelioſam haud mererentur: Valdéque eſſe indignum ſacri ordinis Proceribus, & ſanguinem Chriſti, appellatione veneni eos violare, & Sanctos Apoſtolos, omnéſque Eccleſiæ primitivæ Patres, & multorum poſt ſeculorum; qui mortalium inſigni emolumento ſpirituali cunctis calicem illum ſanguinis miniſtrârunt; habere pro veneficis. Sed prævaluit Cardinalium φιλονεικία, metu, ne hoc impetrato gradu, cætera etiam paulatim flagitarentur, uſus Linguæ vernaculæ, conjugium clericorum pag. 517. Unde & Papa cum modeſtiæ tamen affectatione, calicem Gallis negavit: Negavit & Concilium Tridentinum, Hiſpani cumprimis Germanicæ nationi calicem ſedulò flagitanti, minimè gratificari voluerunt, pag. 586. Imò *F. Franciſcus Forierus* Luſitanus vocem emiſit, confeſſus judicio, petulantis audaciæ indicem, Principes eos, qui calicem poſtulant, *permiſſu Concilij evadere velle Lutheranos.* Sublatus ergo decreto fuit promiſcuus calicis uſus; argumentis adeò infirmis, & ineptis; quòd hæc materia Scholaſticos ante concilium Conſtantienſe non occupâſſet; ut, poſtquam illis ſatis nugis, allegoriis, tortis & ridi-

& ridiculis S. Sc. explicationibus fuiſſet indultum, *F. Antonius Mondalphenſis*, Epiſcopi Pragenſis Theologus, argumentorum allatorum imbecillitate motus, ſimpliciter Concilii Conſtantienſis decreto ſtandum (quod cauſæ erat infirmitatem prodere,) cenſuerit. *Concomitantiæ monſtrum*, quod tamen primarium Tranſſubſtantionis fulcrum eſt, alii periculoſum eſſe, propter conſequentias, fatebantur, pag. 885. *Alii*, directè ſub utraque ſpecie in Sacramento non idem contineri affirmabant. Ex his *Amans Servita Brixianus*, veluti Bileamus ad maledicendum vocatus, benedixit. Hic enim, Thomæ Cajetani doctrinam allegans, ſanguinem non eſſe partem humanæ naturæ, propoſuit, ſed primum alimentum: Atque ſic dici non poſſe, corpus neceſſariò alimentum ſuum trahere in concomitantiam: Addebàtque, ſanguinem in Euchariſtia, juxta verba Chriſti, *eſſe ſanguinem effuſum, adeòque extra venas* (in quibus, quandiu detinetur, potus eſſe nequit,) *àc proinde cum vena in concomitantiam non poſſe trahi.* Imò, Euchariſtiam *inſtitutam in memoriam paſſionis Chriſti*, quæ facta per ſeparationem & effuſionem ſanguinis. Ita bonus Pater liberè & liberaliter Reformatæ doctrinæ patrocinium

cinium ſuſcepit, donec per Theologorum excitatum in ſubſelliis ſtrepitum, animadverteret, non eſſe illius loci veritatem defendere: Unde etiam humana fractus infirmitate, παῤῥησίας ſuæ rogavit veniam, quòd calore diſputationis abreptus, adverſariorum rationes tanquam ſuas attuliſſet, pag. 586. Interea verò dum Theologi adeò rigidè contra calicis uſum diſputârunt; Legati verò in ejus conceſſionem certis legibus, quas Paulus III. ſanxiſſet, inclinârunt; novis tum Bavari, tum Cæſaris Ferdinandi per Oratores argumentis, quantum referret, calicem reſtitui, cujus uſum Dei verbo, & Eccleſiæ primitivæ exemplo ſibi agnoſcerent imperatum, oſtenſum fuit. Eundem in Eccleſiis Orientalibus in hunc uſque diem inoleviſſe uſum, etiam in Eccleſia Romana olim obtinuiſſe: Paulum denique III. Germaniæ eum permiſiſſe, pag. 592. 593. ſed rem, occurrentibus impedimentis, non fuiſſe peractam, pag. 594. Idem petitum ſcripto poſtea repetierunt Oratores Galli, quibus peculiari privilegio gratificari voluit *Antonius Auguſtinus*, Epiſcopus Ilerdenſis, hoc inſuper addito, Græcos, etiam poſt Conſtantienſis Concilii determinationem, minimè prohibitos uti calice in communio-

munione, quod privilegio obtineant ſibi olim viſo. Sed cùm nemo ei ſuffragaretur, præter *Bernardum del Bene Florentinum,* Epiſcopum Nemauſenſem, nihilo magis huic aſſertioni auſcultatum eſt. Fruſtra igitur laboratum, nihil vel precibus, vel rationibus tot potuerunt Oratores: Decreto abjudicanda erat altera ſpecies, iis tamen verbis, quæ, ipſis judicibus Theologis, à baſphemia non longè abeſſent. Cùm enim eo ventum eſſet, ut diceretur, *Eccleſiam potuiſſe mutare uſum calicis, ad exemplum formæ Baptiſmi immutatæ,* Jacobus Gibertus de Nogueras, Epiſcopus Alliphienſis conſurgens, eſſe blaſphemiam dixit: Formam enim baptiſmatis eſſe imutabilem, neque unquam ſuiſſe mutatam. In eſſentialibus Sacramentorum, quæ ſunt forma & materia, nullum eſſe authoritati locum: Unde & clauſulam illam tollendam, obtinuit. Ex his verò colliſionibus id tandem conſecuti erant Scholaſtici, ut *Simoneta* Warmienſem adortus demonſtrârit, plurimum ſedis Apoſtolicæ rebus officere, ſi adeò faciles aures præbeantur ineptiis Theologorum. Ejus rei documento eſſe, quòd ferè nunquam inter eos conveniat. A tam multis inter ipſos caput, quod examinabatur, citra contradictionem

ctionem fuiſſe approbatum : Nunc nonnullos ex iis nova comminiſci documenta, quibus alii, quando ad rem ipſam ventum fuerit, haud dubiè ſint contradicturi; pag. 601. Sed ne ſic quidem deſiderium calicis extingui potuit, quin initium *Seſſ.* 21. à concione fieret, habita per *Epiſcopum Tininienſem*, qua de uſu calicis ita diſſeruit, ut & Patrum rigorem emollire, & Candidatorum ſpem erigere voluerit, p.602. Quæ tamen parùm gratis auribus erant accepta. Jeſuitæ etiam, dum pro corporis Chriſti pugnârunt præſentia, calicis neceſſitatem adſtruxerunt, pag.611. & ordo Romanus, pag.617. Et quamvis Cæſarei, ſpe omni obtinendi uſum calicis excidiſſent, 599. *Dudithius* tamen, Quinqueccleſienſis, Epiſcopus, ut fuit facundus orator, facem denuo ſubdidit, eóque rem deduxit, ut conceſſio calicis examini iterum ſubjiceretur, unde in tres itum ſententias. *Alii* abſolutè calicem negabant, Hiſpani cumprimis & Veneti: *Alii*, cum conditionibus certis concedebant. *Tertii*, quorum ſententia obtinuit, negotium ad Pontificem remittebant. Qui pro affirmativa dixerunt, & numero & pondere argumentorum præcurrerunt, *Dudithius* cumprimis, pag.625. & *Caſpar de Caſal*, Luſitanus,

tanus, vir & vita & doctrina præclarus. Cæteri vix alio utebantur argumento, quàm quod nihil dandum eſſet hæreticis. Cùm verò cauſa illa ad Pontificem poſtea fuiſſet delata perſuaſum Cæſarei oratores habebant, multò faciliùs, & æquioribus conditionibus id à Pontifice, quàm Concilio ſe impetraturos. At Cæſari erat compertum, nihil Proteſtantibus gratum fore, quod ex Pontificis indulto proficiſceretur, reliquis colligere fuit facile, de Chriſto & ejus Sacramentis ludi. Atque hi jure indignabantur, petitionem adeò juſtam, tot, tamque potentum Principum commendatione ſubnixam, primùm totos ſex menſes exagitatam, duci ad accuratiorem diſquiſitionem, duos iterum menſes dilatam, tantàque contentione denuo diſcuſſam, ac diſceptatam, tandem ad Pontificem remitti, p. 649. Repulſam paſſi etiam poſt Decreta, Germani, proxenetis Imperatore ipſo, & Duce Bavariæ denuo ſolicitant, nec calicis tantùm uſum; ſed & Sacerdotum conjugia, graviſſimis quas author habet, pag. 921. urgent rationibus &c. Acceſſit libellus Theologorum Germaniæ Pontificiorum, qui ex Scriptura & antiquitate tyrannicam cælibatus legem ante Calixtum ignotam probavit.

Sed,

Sed, ut ut Pontifex non abhorruiſſe videatur ab accuratiori hujus capitis examine, per Cardinalem tamen Simonetam de periculo monitus, more ſuo, ad mancipia quædam omnia retulit. Sed de his aliâs.

Ad *Miſſam* progredimur. Tredecim de hoc themate proponebantur articuli, quos omnes conſtanter Theologi damnârunt, eum præſertím, qui negaret *Miſſam eſſe Sacrificium*. Ipſi verò tum de rationibus aſſertionis, tum de modo, rationem reddere juſſi, næ multa agendo, nihil agebant. Nam ut Sacrificium eſſe probarent, adeò Jejunis, elumbibus, frigidis, tortis diſceptabant tum Scripturæ locis, tum figuris & ſimilitudinibus, pag. 612. ut *Georgius Atajdes*, Regis Luſitaniæ Theologus, eorum miſertus, alium oſtenderit portum, traditionem Apoſtolicam. Quàm enim reliqua eſſent intuta, tum refutatione ſingulorum argumentorum à Theologis prolatorum, p. 614. tum debili, ad Reformatorum exceptiones, reſponſione, prodidit. Quo id fuit conſequutus, ut velut inglorius paulò poſt receſſerit, ne in numerum quidem Theologorum relatus; vindicatus tamen nonnihil à Collega, *Iacobo Payva*. Sed ne inter Præſules quidem

dem de hoc themate conveniebat. Cum enim ad Anathematiſmos accederent, & doctrinæ capitibus inſerendæ eſſent probationes, explicationeque *cur Miſſa ſit ſacrificium*, ut quisque varie afficiebatur, ita alius aliam vel admittebat, vel repudiabat: Primariis *Martino Perezio, Cardinali Seripanda, Granatenſi, Antonio Pantuſa*, maxime diſſentientibus, p. 617. Illud profecto indignum erat, auſos fuiſſe definire Miſſam ſacrificium, cum de oblatione nondum conſtaret. Multis enim alii argumentis aſſerebant Chriſtum in Cœna ſe ipſum non obtuliſſe; ſed, ut poſt mortem ſuam perpetua in Eccleſia oblatio fieret, præcepiſſe: Alii vero, Chriſtum inſtituentem formam perpetui ſacrificii, primum ſemet ipſum hoſtiam obtuliſſe, pag. 613. quæ ſententia parum abfuit, quin decreto eliminaretur pag. 622. Poſtea tamen, eadem contentione recrudeſcente, poſteriorum opinionem prolixe defendit *Salmero* Jeſuita, tanta cum impudentia, ut eo nomine *Veglienſis Epiſcopus* & conquereretur, & abſurditatem primi illius in Cœna ſacrificii ita oſtenderet, ut tot ſimul pro Reformatis videretur producere argumenta, quot habuit rationes, p. 624. Hinc ipſum poſtea de Sacrificio Miſſæ decretum adeo

obſcurum fuit & hyperbatis intricatum, ut ab attento vix intelligeretur lectore; p. 650.

De *ordine Eccleſiaſtico*, quem *Sacramentum* Eccleſia Romana agnoſcit, quærebatur, *utrùm unus tantùm ordo Sacramentum eſſet, ita ut cæteri omnes ordines tanquam media & gradus ad Sacerdotium tenderent?* Et *Petrus Soto* quidem multis conatus eſt oſtendere, ſeptem eſſe ordines, eorúmque quemlibet propriè dictum Sacramentum, omnes à Chriſto inſtitutos: Addebâtque, neceſſariam ejus rei eſſe explicationem propter Canoniſtas, qui duos alios adjunxiſſent, primam tonſuram & Epiſcopatum. At *F Hieronymus Bravo*, & ipſe Dominicanus, teſtabatur quidem, firmum ſibi, VII. Ordines, & quemlibet veri nominis Sacramentum: Non videri tamen ſibi ad has declarationis minutias diſcendum, in tanta præſertim varietate Theologorum, è quibus vix duos, inter quos conveniat, reperias. Hinc incerta valde eſſe, dixiſſe *Cajetanum*, ſenem, quæ de natura Ordinum Pontificales habeant Codices, Presbyteratu excepto. Quam deinceps incertitudinem tum ex Praxi Eccleſiaſtica probavit, tum etiam Theologia Scholaſtica: Unde & author fuit, ut ne Synodus ultra ea, quæ cunctis Catholicis placita, procrederetur,

retur, Id. pag. 660. Cùm quæſtio poſtea examinaretur, *an ſit in Eccleſia Catholica Hierarchia, quæ conſtet ex Epiſcopis, Presbyteris, & aliis Ordinibus*, mirum eſt, quibus iterum Theologi & Canoniſtæ fuerint commiſſi certaminibus. Theologi & Canoniſtæ graviter Scholaſticis, quòd primam tonſuram & Epiſcopatum ordines eſſe negarent, indignabantur. Hierarchiam alii admittebant quidem velut antiquam, & *à Dionyſio Arropagita* aſſertam, nolebant tamen in ordine conſiſtere, ſed in juriſdictione. His prælufit *Franciſcus Forierus*, Luſitanus, pag. 663. Unde magna ſententiarum ſequuta divortia, ut Epiſcopatum alii vellent Ordinem, alii jurisdictionem, alii dignitatem & officium; Ib. 664. Auguſtinum & Hieronymum, qui Epiſcopatum Presbyteratu majorem eſſe inficiabantur, hæreticè locutos eſſe, clamitabant. Sed & tum ipſa Hierarchiæ *ratio*, tum *forma*, velut μῆλον ἔριδος, Concilium diſtraxit. *Illam* alii, authoritate Dionyſii Areopagitæ in ſolis ordinibus, alii cum Foriero in jurisdictione collocabant. Enata hinc tertia opinio, quæ in utrisque eam conſiſtere volebat: Atque hæc approbata fuit. Formam verò Hierarchiæ alii charitatem ſtatuebant, alii fidem infor-

 mem,

mem alii unitatem ; adeò tamen incerta omnia , ut nihil afferretur , cui non alii contradicerent. Unde *F. Adamantius* Florentinus , Theologus Cardinalis Madrucii ſatis eſſe putavit, ſi hoc ſubtilitatum & minutiarum examine aliò rejecto, ſimpliciter diceretur , quòd Eccleſia habeat Hierarchiam, quòd Hierarchia hæc conſtet ex Prælatis , & Miniſtris , quòd hi ab Epiſcopis Ordinentur , quòd ordo ſit Sacramentum. Quod tamen poſtremum *F. Petro Ramirio Franciſcano* adeò diſplicuit , ut, reclamantibus licèt Theologis , non *ordinem* , ſed *ordinationem* Sacramentum eſſe tenuerit, *Ib.* 665. Ad quæſtionem , *detur ne Spiritus Sanctus , & accipiatur in Ordinatione , & imprimatur character* ? Conſentiebant quidem omnes , Sp. S. dari & accipi ordinatione. Alii tamen mox in perſona dari propria volebant ; alii in dono gratiæ , qua de re multa fuit contentio. Jam *quoad characterem* , ut omnes concordes cenſuerunt , eum in Sacerdotio imprimi , ita cæteroquin erant opiniones variæ , aliis in Sacris tantùm , aliis in omnibus ſeptem id fieri aſſerentibus , Ib. Ita & *de impoſitione manuum* , & *unctione*, an in ordinatione neceſſaria eſſent , ἑκατέρωθεν diſputatum fuit. Unctionem certè adeò non eſſe neceſſa-

ceſſariam, plurimi urgebant, ut Pontifici poteſtatem ordinandi Presbyterum verbo tribuerent. Ib. pag. 667. Sed acerrimè agitata fuit controverſia de *ſuperioritate Epiſcoporum reſpectu Presbyterorum.* Et alii quidem doctrinam *Thomæ* & *Bonaventuræ* amplexi, duas conſtituebant in Presbyterio poteſtates, unam conſecrandi corpus & ſanguinem Chriſti, alteram remittendi peccata. In prima eſſe Sacerdotem Epiſcopo parem, neque majorem eſſe Epiſcopi authoritatem, quam ſimplicis Presbyteri. At ad ſecundam, cùm non ſolùm poteſtas Ordinis requiratur, ſed etiam juriſdictionis, hoc reſpectu ſuperiorem eſſe Epiſcopum. Alii addebant, excellentius eſſe conſecrandi authoritatem dare, quàm conſecrare; ita hoc quoque nomine ſuperiorem eſſe Epiſcopum, quòd non ſolùm ipſe hoc facere poteſt, ſed & Presbyteros ordinare, & iis authoritatem conferre. Sed cùm hac de re ſatis eſſet diſputatum, eáque occaſione revolverentur ad articulos de *Hierarchia*, ut quæ idem prorſus eſſet cum iſta ſuperioritate, atque itidem diſputaretur, utrum conſiſtat in *ordine*, an in *juriſdictione*, an *utroque*. *F. Antonius de Monte Ilcino*, Franciſcanus, dixit: Non eſſe intelligendum articulum de ſuperioritate

 ima-

imaginaria, quæ in præeminentia quadam aút actionis perfectione conſiſteret, ſed de *ſuperioritate regiminis*, de poteſtate leges & præcepta condendi, causásque judicandi, ut in foro exteriore, ita etiam in foro conſcientiæ. Hanc ſuperioritatem à Lutheranis negari, déque hac agendum. In Eccleſia univerſali ajebat ejusmodi aliquam authoritatem neceſſariò requiri ad eàm regendam; alioqui fieri non poſſe, ut in unitate conſervetur. Quod comprobatum ivit exemplis petitis ab *apibus, gruibúsque*. Itidem in una quaque Eccleſia particulari neceſſariam eſſe ad ejus regimen, authoritatem ſpecialem; hanc eſſe in Epiſcopis, qui in partem ſolicitudinis vocantur, cujus totalitas eſt in Eccleſiæ capite. Hanc, *cùm ſit poteſtas judicandi, lites intendendi, & leges faciendi*, eſſe poteſtater jurisdictionis. Nam, quod *ad ordinem*, Epiſcopum eſſe quidem ſublimiori gradu quàm Presbyterum, quippe omni ejus poteſtate inſtructum, & duabus inſuper aliis: Verùm non ideo dici ſuperiorem, quemadmodum Subdiaconus quatuor gradibus ſublimior eſt Oſtiario, neque tamen ſuperior. Hæc ſententia ut, *prolixè confirmata, & magno omnium applauſu excepta fuit*; ita animos aliorum, ut ſuos

quo-

quoque aptarent lacertos, excitavit. Hinc variæ Orationes, & diſcurſus, *Michaelis Oſoncuſþi* de Epiſcoporum ſuperioritate, Ib. pag. 670. *Antonii de Greſſeto*, de ſolo Chriſto, functionis Epiſcopalis authore. Cui tamen *F. Simon Florentinus* aliam diſſertationem, qua inſtitutionem aliorum Apoſtolorum in Epiſcopos, perſonalem fuiſſe, adeóque cum iis interijſſe, Petri verè perpetuò duraturam affirmavit, oppoſuit, pag. 672. Nec defuit tandem, qui aſſereret, *ſolum Petrum à Chriſto ordinatum Epiſcopum, reliquos, poſt Chriſti aſcenſionem, à Petro*: Ib. 673. Etſi verò diu Theologos origo dignitatis Epiſcopalis occuparet, artibus tamen Legati præcaverunt, ne decreto, Epiſcopos *jure divino* Presbyteris eſſe ſuperiores, insereretur, Ib. pag. 678. quod tamen paulò poſt *Archiepiſcopus Granatenſis* prolixa iterum oratione oſtendere conatus fuit, cui ex Patribus acceſſerunt 59. facile etiam, niſi morbo alii fuiſſent impediti, ſuffragiis viciſſent. Viderunt tamen Itali, ſententiam hanc Pontificis authoritati multum detracturam: Eámque ab Hiſpanis, tam vehementer urgeri, ut Pontificis ſe obedientiæ ſubducerent; Ib. 682. Et certè ſi ſui quisque muneris authoritatem à Chriſto æquè habere, obtinuiſſent, Pon-

tificis Oecumenica ἐπισκοπῇ, & jus eligendi Epiſcopos ſponte ceciditſet. Et tamen, quicquid de Pontifice fieret, *F.Georgius Sincout* Franciſcanus, *Epiſcopus Segnienſis* non tantùm in Granatenſis ſententiam conceſſit; ſed & apertè faſſus eſt, *nunquam ſe crediturum fore, ut aliquando ſentiret in dubium vocari, an Epiſcopi ſint inſtituti divini, & an authoritatem habeant] à Chriſto*: Hinc enim ſi non haberent, nec Concilio, quod ex Epiſcopis conſtaret, ſuam fore authoritatem. Sed legi poſſunt prolixa de hac diſceptatione Commentaria l.c. ſtrategema, cumprimis *Lainezii* Jeſuitæ, qui poſtquam ſua cæteri omnes tela emiſiſſent, ipſe tandem inſtaurata veluti acie, cùm integra ipſi contra inſtitutionis Epiſcoporum de jure divino fautores deſtinata eſſet congregatio, operoſa diſſertatione, omnem in Eccleſia jurisdictionis poteſtatem Romano aſſeruit Pontifici, Ib.pag.685. diſtinctionibus adeò abſurdis & ineptis, p.688. tantáque παμπαοζηλία, ut Epiſcopus *Pariſienſis*, qui per adverſam valetudinem tum aberat, in adulatorium illum ſermonem acerbiſſimè fuerit invectus. Oſtendit, inter alia, Epiſcopos authoritatem illibatam usque ad annum 1050. tenuiſſe tum opera congregationum Cluniacenſis & Ciſter-

Ciſtercienſis, aliorúmque eo Seculo prognatorum gravem plagam ſenſiſſe, multis Epiſcopalis functionis propriis & eſſentialibus per eos Romam traductis. Sed poſt annum 200. exortis Mendicantibus ablatum eſſe penè omne exercitium Epiſcopalis authoritatis, ipſisque privilegio datum. *Nunc verò novam hanc ſocietatem heri aut nudius tertius exortam, neque ritè ſecularem, neque regularem* (ſicuti ante annos octo ab Academia Pariſienſe rectiſſimè animadverſum, eam exiſtimante in rebus *fidei periculoſam, pacis Eccleſiæ perturbatricem, deſtructivam Monachatus,*) quo prioribus palmam eripiat, id conari, ut prorſus auferat jurisdictionem Epiſcopalem, quam neget à DEO datam, velitque hominibus precario ferri acceptam, pag. 690. Hæc Epiſcopus Pariſienſis. Imò ne Legatis quidem hæc usque quaque placuit *Lainezii* diſceptatio, unde &, ne emitteretur in publicum, prohibuerunt. Sopita poſtea aliquandiu hæc fuit controverſia, mox tamen per Hiſpanos maximè, qui cum aliis Legatos confertim adeuntes, declarationem inſtitutionis & ſuperioritatis Epiſcoporum jure divino petebant, excitata: Protinus verò iterum, tum per *Marchionem Piſcarienſem*, qui Præſules Hiſpa-

K 5 nos

nos per literas monuit, ne quid in Sedis *Rom.* præ judicium tentarent, tum etiam per reliquos, qui reformationem urgebant, factum eſt, ut hæc tela abrumperetur. Donec Cardinalis iterum *Lotharingius* nova diſſertatione, qua jurisdictionem Epiſcopalem & juri divino, & Pontificiæ diſpenſationi tranſſcripſit; cui tamen cæteri, qui ſequebantur, Galli, non adſtipulabantur, ſed apertiùs & fortiùs Hiſpanorum cauſam de jure divino propugnabant, pag.716.

De *Matrimonio* poſtea, ſeſſione alia actum fuit, & alii quidem clandeſtina etiam conjugia probârunt, pag.746.750. alii rejecerunt Ibid. Quidam non clandeſtina ſolùm matrimonia reſcindenda; ſed ea etiam, quæ ab filiis miliâs publicè fiebant, non accedente parentum conſenſu, p.751.

Cùm ordo ad peſtilentiſſimum curandum ulcus Medicos Tridentinos deferret, *Indulgentias* intelligo, peritiores ne tangendum quidem illud exiſtimârunt. Erant nihilominus, qui de illis tractatum vellent, obtendentes, datum alioquin iri hæreticis occaſionem dicendi, de induſtria ejus rei tractationem evitatam, quod ratione deſtituerentur, qua eam ſuſtentarent. Mutinenſis Epiſcopus tandem obtinuit,

nuit, ut, exactiori & accuratiori de Indulgentiis tractatione miſſa, brevis & ſummaria inſtitueretur, Id. p. 896. Qua tamen proletaria opera id Patres conſecuti erant, ut cum in reliqua Capita rigidæ Proteſtantium extarent cenſuræ, in hoc vulgo etiam innoteſcerent & juſtiſſimæ & rigidiſſimæ. De Indulgentiis enim plus erat, quàm de cæteris omnibus ſermonum. Illas quippe occaſionem dediſſe ei, quæ nunc viget, inter Chriſtianos ſciſſuræ: Illarum gratia Concilium præcipuè congregatum: Nullam in hoc argumento partem eſſe, non controverſam & incertam, etiam apud ipſos Scholaſticos: Et tamen Synodum ſicco pede illud tranſiiſſe, de dubiis & controverſis, ne verbo quidem dicto, aut ulla facta declaratione. *Quod autem abuſuum remedia ſpectat, verbis adeò ambiguis locutam, ut ex his intelligi nequeat, quid aut probetur aut improbetur*, dum ajt, *ſe in his concedendis moderationem quandam cupere juxta veterem & probatam Eccleſiæ conſuetudinem.* Nam certum eſſe, neque diſſimulari poſſe, in Eccleſia Orientali cujuscunque Nationis Chriſtianæ, neque antiquis temporibus, neque ultimis, ullum fuiſſe Indulgentiarum cujuſcunque generis; & in Occidentali, ſi nomine veteris con-

conſuetudinis intelligenda ſit illa, quæ obſervata ante Urbanum II. usque ad annum 1095. nullas, quod quisquam ſciat, aut fidem facere poſſit, Indulgentias in uſu fuiſſe. Ab illo tempore usque ad annum 1300. earum aliquem uſum apparere, ſed infrequentem, & duntaxat pro liberatione à pœnis per Confeſſionem impoſitis. Ex eo tempore qui abuſus inveteraverint, è Concilio Viennenſi cerni poſſe, qui uſque ad Leonem X. creverint in immenſum. Itaque quod cupiat Synodus reſtitutam antiquam conſuetudinem in Eccleſia approbatam, neceſſariò declarandum, in qua Eccleſia & quo tempore. Ad illa verba, *quòd nimia in concedendis Indulgentiis facilitate diſciplina Eccleſiaſtica eneretur*, dicebant, expreſſam eſſe Confeſſionem, Indulgentias ad conſcientiam non pertinere, neque ullâ re liberare apud Deum, ſed externa tantùm ſpectare; quo in genere eſt diſciplina Eccleſiaſtica. Atque hæc de bello fratrum Cadmæorum paulò prolixiùs ex Actis Concilii Tridentini eruto. Nihil ἀπὸ τοῦ τρόπου, nos vel τοῦ σκοποῦ dixiſſe putamus, quòd hac occaſione, quàm incerta Theologia fuerit Romana, ante Concilium Tridentinum, oſtenderimus. Certè, hæc ſola diligentiùs

gentiùs examinata ratio ſufficere multis poterat Babylonem, quod & factum eſt, deſerendi. Verè enim de Romanis dici poterat, quod Samaritanis Servator exprobravit: *Vos adoratis, quòd neſcitis, nos adoramus, quod ſcimus*, Joh. IV. 22. Quàm perplexa, obſcura, flexiloqua omnia erant, quæ de primariis religionis capitibus quaſi de re nova, inſolita, atque inaudita differebantur? Parùm abfuit quin veluti in officina Cyclopica οὐδεὶς, οὐδενὸς, οὐδέν. Quid vero miremur eo res talo tum ſtetiſſe? Talem tum Eccleſia ſenectam habuit, qualis ab aliquot ſeculis ante adoleſcentia præceſſit. Atqui Scholaſticorum antea audacia, ſupercilium, ignorantia, diſceptandi libido eam Theologiæ Methodum dicam an μεθοδείαν introduxit, ut dubitare virtutis, ignorare pietatis, religioſè ſcrutari temeritatis fuerit. Unde, cùm in ipſam tandem arenam fuiſſet deſcendendum, idem fermè Scholis, quod temporibus Iſraëlitarum accidit, ut neque arma, neque armorum facultatem ampliùs haberent, 1. *Sam.* 13. 19. Nempe impletum erat, quod divinus antea prædixit vates, ad aperturam ſigilli ſext Solem ſolidæ ſcientiæ Theologicæ nigrum futurum ut

ſaccum

ſaccum cilicinum, & lunam totam factam eſſe ut ſanguinem, *Apocal. 6. v. 12.*

X. Fœdera *a* nonò publica acceſſerunt, quæ tamen Deus Evangelii defenſioni tandem potiùs, quàm propagationi inſervire voluit. Ubi & hoc notandum: Studio partium *b* Zelotas quosdam ita fuiſſe abreptos, ut ſociis nonnunquam religionis & fratribus iniquiores eſſent.

a. Talia ſunt 1. *Smalkaldicum.* Converunt enim ſub finem Novembris 1159. Smalkaldiæ, Saxoniæ Princeps, ejúsque filius Johannes Fridericus, Erneſtus & Franciſcus Luneburgici, fratres, Landtgravius Philippus, Georgii Brandeburgenſis Conſiliarii, Civitates etiam, Argentoratum, Ulma, Noriberga, Heilprunum, Rutlinga, Conſtantia, Memminga, Campodunum, Lindavia. Sub idem tempus venerunt ex Italia Legati, cúmque legationem renuntiâſſent, viſum fuit agendum eſſe omnium primò de religione. Rogantur itaque Argentinenſes ac Ulmenſes, quid ſit ipſorum in eo voluntatis atque propoſiti? Reſpondent in eandem ut nuper ſententiam: Quo tempore primùm

ſit

ſit agi cæptum de fœdere, nullam ejus rei mentionem eſſe factam: hoc unum modò in deliberationem veniſſe, quomodo ſint auxilia communicanda, ſi quem doctrinæ cauſa periclitari contingeret: quid adverſarii moliantur ac in animo habeant, non eſſe obſcurum: Inter illa verò capita doctrinæ, quæ ſunt in medium adducta, quædam poſſe diſputari: quòd ſi de iis non convenit inter doctos, metum eſſe, ne diſſidium oriatur, quod adverſariis valde ſit opportunum atque commodum: itaque ſuum eſſe conſilium, ut ad illud, quod initio fuit de fœdere faciendo propoſitum, omnis referatur deliberatio. Saxo, & huic adjuncti Luneburgici, & Brandeburgicus ſolicitabant eos per Noribergicos, ut aſſentirentur. Landgravius verò medium ſeſe gerens, conciliationi ſtudebat: cùm nihil proficeret, reliquarum etiam civitatum Legati vocantur, & ſiquidem eam doctrinam per omnia probent, actionem fœderis inſtitui poſſe cum ipſis, dicebatur: Illi, nullum habere ſe ejus rei mandatum, reſpondent, & primam urgent actionem. Tandem ita diſceditur, ut qui doctrinam hanc omnem profiteri velint atque recipere, Noribergam venient ad ſextum Januarii diem, anni ſequentis, de-

deliberandi cauſa, quid deinceps agendum ſit. Sed Francofordiæ poſtea, an. Ch. 1531. ad Mœnum iterum convenerant Proteſtantes: Ubi inter eos, qui in fœdus conſentiebant deliberatum fuit de ſuffragiis exquirendis, de ſubitariis auxiliis, de contribuendis pecuniis, de perpetuandis auxiliis, deligendis Ducibus, de recipiendis illis, qui velint eſſe ſocii hujus Fæderis. Graves tum exercebant Controverſiæ Principes. Quærebatur enim, utrum Cæſari, religionis ſincerioris Profeſſores oppreſſuro, jure divino armis occurri poſſet nec ne? Quærebatur, ſi fædus adverſum Pontificios facere liceret, an etiam admittendi ad illud ii, qui diverſam à Saxonibus de Cœna Domini ſententiam tuerentur? De utraque quæſtione non una & eadem erat Evangelicorum ſententia. Quidam Evangelium *gladio adverſus Cæſarem defendendum eſſe affirmabant:* Idque ideo, quia omnium Magiſtratum ſit defendere ſuos ſubditos: Et in medio ſint exempla Moſis, interficientis Ægyptium: Judicum allophylos reprimentium. Davidis, contra Saulum fædus ferientis cum Jonathan: Macchabæorum Antiochum oppugnantium: Conſtantini, Licinio reſiſtentis. Sic Neronem & Maximum à Senatu Ro-

mano

mano hoſtem eſſe judicatum. Addebant, non eſſe participandum alienis peccatis, quod fiat niſi reſiſtatur: cultum Dei præponendum eſſe cultui Magiſtratus: Subditorum majorem rationem habendam eſſe, quàm Magiſtratus: injuriam & violentiam notoriam jure naturæ tollere obligationem ſubditorum ad Magiſtratum: Imperatorem conditionaliter imperare: Itaque ſi violet pacta, non geri contra illum bellum, ut contra Magiſtratum; ſed ut contra latronem, & Pontificis militem. Imperium Ariſtocratiam verius eſſe, quàm Monarchiam, atque hac de cauſa Principes non ad omnia Cæſaris mandata eſſe obligatos: Graviorem eſſe Cæſaris tyrannidem, quàm Turcæ: Cùm hic corpora, ille animas eat perditum: Ideóque meliori jure contra Cæſarem animas, quàm contra Turcam corpora defendi: Electorem & Principes non egere ſpeciali mandato in hac cauſa, quia antea ſint Magiſtratus.

Contrà alii multis argumentis docebant, *Evangelicis nec fœdus, nec bellum contra Cæſarem ſuſcipere licere.* Neque enim reſiſtendum eſſe poteſtati; ſed vindictam DEO relinquendam: præſertim cùm Electores ipſi Magiſtratus ſint, quoad ſubditos ſuos, ſubditi autem, quo ad Cæſarem: Chriſtia-

norum eſſe conſtanter profiteri & fortiter pati, exemplo Chriſti, Apoſtolorum, primæ Eccleſiæ. Sancitum hoc eſſe in jure Civili, neminem debere eſſe ſui ipſius judicem: & injuſtiorem eſſe, qui verbera reddit: præterea inter cauſas exuſti à Luthero juris Canonici fuiſſe & has, quod in eo doceantur, inferiores & ſubjectos poſſe ſuis ſuperioribus contumaciter reluctari: nec præceptum ſed conſilium tantùm eſſe Apoſtoli, quando voluit omnes homines regibus ſubjectos eſſe. Subjungebant, *ſi quis fortè pater filium ſuum ad Idolorum cultum cogere nitatur, filio omnia perferenda potius, quàm obſecundandum patri, à defenſione tamen, vel ſi plagas accipiat à patre, filio abſtinendum.* Eandem ſubditorum & Magiſtratus eſſe rationem. Fruſtra objici illud: *Deo plus quàm hominibus obediendum.* Aliud enim eſſe non obedire; aliud vi reſiſtere. *Fruſtra objici exempla Moſis, Iudicum, Iehu, Macchabæorum, Davidis: Siquidem Moſes, Iudices, Iehu*, ſingulari Dei juſſu facta ſua poterant defendere: *Macchabæi* non contra latronem Antiochum bella geſſere. *David* non de religione, ſed de promiſſo ſibi regno ſubigendo laborabat. Fruſtrà objici: *Permittere, cùm prohibere poſſis, eſt approbare.* Pati enim, non eſſe, idem quod permittere.

Et hac ratione Abelum homicidii, Lothum Sodomiæ, Martyres, Prophetas, Apoſtolos, Chriſtum, perſecutionis reos futuros. Omnia quidem impendenda eſſe ad Evangelii defenſionem; ſed Evangelicè, non militariter: hoc eſt patiendo, non repugnando. Cæſarem, ut ut pro Pontifice bellum gerat, Cæſarem tamen eſſe: Siquidem non culpa, ſed pœna Magiſtratum tollat. *Turcam non eſſe Magiſtratum noſtrum*, ideóque jure graſſatorem illum oppugnari. Ad ſummam: Fortitudinem Chriſtianorum in ſilentio & ſpe repoſitam eſſe debere.

Lutherus hactenus conſtanter docuerat, *Magiſtratui non eſſe reſiſtendum*: & extabat ejus hac de re libellus. Cùm autem in hac deliberatione periti juris docerent, legibus eſſe permiſſum reſiſtere nonnunquam, & nunc in eum caſum, de quo leges inter alia mentionem faciant, rem eſſe deductam, oſtenderent: Lutherus ingenuè profitetur, ſe neſciviſſe hoc licere: Et quia leges politicas Evangelium non impugnet aut aboleat, uti ſemper docuerit: deinde quoniam hoc tempore tam dubio, támque formidoloſo multa poſſint accidere, ſic ut non modò jus ipſum, ſed conſcientia quoque, vis atque neceſſitas

arma nobis porrigat, defenſionis causâ fœdus iniri poſſe dicit, ſive Cæſar ipſe, ſive quis alius fortè bellum ejus nomine faciat. Georgius verò, Marchio Brandeburgicus, Norimbergenſes, Heilbrunnenſes, etſi doctrinam profitebantur eandem, à fœdere tamen erant alieni. Quorum de fœdere ſententiam *Joachimus Camerarius* comprobans vehementer objurgabat Wittenbergenſes, quòd priorem de quæſtione illa ſententiam mutâſſent. Cui Melanchthon, *Incidere* inquit, *poſſunt occaſiones, quæ cogant illo jure publicè uti, non contra Dominum, ſed contra hos, qui titulo domini abutantur, ut ſuum odium expleant.* Deliberatio ergo hujus fœderis facta eſt Smalcaldiæ an. Chr. 1529. menſe Novembri; quam, anni ſequentis menſe Decembri ipſa formula ibidem concepta, ſecuta fuit. Ei ſtatim quidam ſubſcripſerunt: Quarundam verò Civitatum Legati dicebant, omnia ſe ad ſuos relaturos, ac intra ſextam hebdomadam nunciaturos quid facere conſtituiſſent Sapiens Princeps Fridericus, Dux Saxoniæ olim dicere ſolitus eſt, de fœderibus: Bonum eſt facere fœdera; ſed væ ei, qui ſervat. Id verum fuiſſe experti ſunt aliquantò poſt confœderati Principes

cipes. Plura de hoc fœdere habet *Sleidan.* L. VIII. pag. 87. *Scult. Annal.* P. II. pag. 339.

2. *Fœdus Landgravii Haſſiæ cum Tigurinis, Baſileenſibus, & Argentinenſibus.* Cum an. Chr. 1530. Comitiorum Auguſtanorum Decreto & Cæſaris edicto, non ſolùm Zuinglii, & Civitatum ſuperioris Germaniæ, ſed ipſius etiam Lutheri cauſa, & Confeſſio Auguſtæ exhibita, omnéſque illi adhærentes, damnati eſſent: &, niſi reſtituerentur in integrum omnia à ſe in religione mutata, & damnatam doctrinam abjicerent, graviſſima dignitatis, vitæ ac fortunarum pericula, ſibi velut contumacibus propoſita eſſe viderent, aliqui etiam Principes à Cæſare conſtituti eſſe Edicti executores dicerentur, ideoque ſingulis momentis Proteſtantibus apertum bellum à Pontificiis, ſub Imperatoris & Imperii nomine expectandum eſſet, Illuſtriſſimus Princeps Philippus Landgravius Novembri menſe fœdere ſex annorum ſibi conjungit Tigurinos, Baſileenſes, & Argentinenſes. Argentinenſis quoque Reſpublica jam antea cum Tigurinis, Bernatibus & Baſileenſibus, qui & vicini, & religionis ejuſdem erant, fœdus fecerunt in annos XV. die 5. Jan. 1530. Articuli nonnulli extant in *Hiſt. Sacr. Hoſpin.* P. II. p. 11.

Conſtantienſes, & oppida Evangelici nominis in Helvetia jam ante hoc tempus fœdus fecerant, ut ſe munirent, & vim injunctam, quæ propter Evangelium inferretur, à ſe ſuisque depellerent. Fædus hoc *Chriſtianam* appellabant *civitatem*. De qua prolixius *Bulling. Hiſt. Ref. Mſc. p.* 254. 264.

b. Curæ fuit Landgravio Haſſiæ, ut unita eſſet virtus, adeóque fortior. Voluit igitur ut & Helvetii Fæderi Smalcaldico adjungerentur. Scripſit itaque Landgravius Helvetiis, cúmque Reformatæ Helvetiæ urbes reſpondiſſent, articulum ſe de Sacramento, uti ad ipſos miſſus fuit, improbare non poſſe: Quod ſi indefinitè, ſine ullius dogmatis exceptione reciperentur, ipſos non recuſaturos fœdus, idque ut fieret valde petierunt. Expoſuit Langravius cum aliquot Civitatibus, inter quas Argentinenſis præcipua fuit, hoc reſponſum: Johannes Fridericus autem, Saxoniæ Dux reſpondit, ſe hoc ad parentem Electorem, qui propter adverſam valetudinem Smalkaldiâ aberat, relaturum, & quid tulerit reſponſi prima quaque occaſione ſignificaturum. Cùm verò de hac quæſtione, an fœdus cum Helvetiis faciendum ſit, Lutheri judicium ab Electore expeteretur, prolixo ſcripto mentem ſuam

nega

negativè expoſuit, quod extat *Hoſpin.* Sac. Hiſt. P. II. pag. 123.6. Landgravius etiam ſcriptum quoddam, in quo de ineunda Helvetiorum & Saxonum diſputabatur fraternitate ad Theologos Wittembergenſes miſit, ſi quid fortè vel iſta ratione obtineri poſſet. Sed reſtitit acriter Lutherus, fœdus hujusmodi fore vanum, periculoſum, ſuſpicionis & offendiculi plenum, impium denique, etſi (NB) urbes in reliquis capitibus omnibus, unico excepto, convenirent. Reſtitit & Norimbergenſis Senatus, qui Smalcaldiam ſcripſit, nullum cum Helvetiis fœdus pangendum, niſi in doctrina conſenſus ſit. Ob quam cauſam Saxo fœdus cum Helvetiis prorſus reſpuit, qui menſe Junio 1531. in Principum ac Civitatum comitiis Francofurtenſibus per Legatos reſpondit: *Quoniam de Cœna Domini diverſum ſequantur dogma, non ſibi licere ſocietatem cum illis ullam coire: Quanti ſit ipſorum conjunctio, propter vires atque potentiam non ſe quidem latere: ſed eo minime ſibi reſpiciendum eſſe, ne triſtis inde ſequatur exitus, quod iis accidiſſe Scriptura teſtetur, qui muniendi ſui cauſa cujusque modi præſidiis uſi fuiſſent.* Sleidan. l. VIII. Ita Elector Saxoniæ. Sed eventus probavit, Deum, qui ordinis Deus eſt, legitima à nobis ne-

gligi ſubſidia nolle Cæterorum verò, qui præcipites in illam ruerunt conteſſeratio- nem, ſcopum fuiſſe, ſibi potiùs, ob metum potentiæ Pontificiorum hoſtilis, quàm veritati conſulere. *Illud* diſſimulare non poterat Philippus Melanchthon. Cùm enim Evangelici tot modis eſſent diſciſſi, & prævidiſſent facile ſagaciores, nec ſingulos nec omnes florentiſſimæ Imperatoris fortunæ, ex Rege Galliarum & Clemente VII. captis, immane quantum auctæ, futuros pares, ſcripſit, tunc ad Camerarium Melanchthon: *Chriſtus reſpiciat nos. Nulli generi hominum unquam periculum majus fuit, quàm nobis. Nec odia acerbiora fuiſſe unquam ullius factionis quàm noſtri nominis colligo. Itaque non alibi quærendum nunc eſt auxilium, quàm apud Deum, qui exaudit gemitus pauperum. Iſtius* ſpecimen præbuerunt Argentoratum & Civitates Suevicæ. Argentinenſes enim & aliquot præterea Civitates Suevicæ an. Chr. 1532. ut communi cum Proteſtantibus aliis (à qua Zuingliani, niſi quædam revocarent, excludebantur, Sleid. lib. VIII. p. 94.) pace fruerentur, Confeſſioni Auguſtanæ & Apologiæ ſubſcripſerunt, abjecta non quidem publicè, ſed tacitè quatuor Civitatum Confeſſione: quam ſubſcriptionem indi-

gniſſime

gniſſimè tulerunt tum Helvetii, tum per ſuperiorem Germaniam quàm plurimi, quippe qui exiſtimârunt, plus metum hoſtilis Pontificiorum potentiæ, quàm veritatis ſtudium in hac Suevorum & Argentinenſium cum Saxonicis conjunctione valuiſſe. Id quod Muſculus Bucero haud obſcurè expobravit, Scult. P. II. pag. 343.

XI. Conſtantia *decimò*, Confeſſorum facilè multis perſuaſit, religionem reformatam non humanæ; ſed altioris eſſe originis. Hinc fortiſſimi pro Chriſto & veritate non Confeſſores tantùm, qui ultima ſubire *a* parati erant, & ut parati eſſe poſſent, ſυναγωνιςμὸν fratrum implorârunt; ſed & Martyres, flam̄is, ferro, uſti, ſecti, cæleſti ita repleti *b* fuerunt gaudio, ut *c* amici pariter & adverſarii Reformationis, Martyrum ſanguinem ſemen fuiſſe Eccleſiæ, obſervârint. Quos carnis infirmitas ad παλινῳδίαν *d* aliquando compulit, illi ad ſe redeuntes majus deinceps obſignandæ ſanguine veritatis teſtati ſunt deſiderium;

ea argumentorum ubique acie & copia, ut non malè Martyrum Hiſtoriam illuſtrem abſolutæ Theologiæ Scholam vocare liceat.

a. Sit, ex Principibus Germaniæ, *Saxo*, exempli loco, de quo *Sleid.* lib. XX. p. 260. Per Granvellanum & Atrebatenſem Epiſcopum Cæſar Saxoniæ Ducem, captivum urgebat, ut decreto pareret, & editi libri doctrinam ſequeretur. Et quanquam pollicitationibus animum ejus tentabant, & ſpem aliquam libertatis oſtendebant, conſtans ille tamen in ſententia permanſit, & ſuperiori, inquit anno, quando conditiones mihi Cæſar tulit, hæc etiam perſcripta fuit, ut & ipſius, & Concilii de religione decreta futura probarem: Cùm autem intelligeret, me nullius periculi terrore vel metu poſſe induci, ut aſſentirer, conditionem illam remiſit, neque de religione quicquam deinde mecum egit. Quod maximi certè beneficii loco tunc habui, & hoc velut oneri graviſſimo ſublevatus, reliquas omnes conditiones, quibus de mea perſona, déque fortunis omnibus pro ſuo arbitratu ſtatuebat, eò faciliùs & æquiori animo tuli, ſperans futurum, ut religio mihi mea deinceps permitteretur.

teretur libera: Nunc autem, quando non res urget ac mandat, ut decreto facto ſubſcribam, equidem profiteor me inde ab adoleſcentia ſic inſtitutum, ac deinde librorum ſacrorum lectione ſic eſſe confirmatum, ut hanc doctrinam planè convenire cum Prophetarum & Apoſtolorum ſcriptis, nec ullius erroris convinci poſſe judicem. Hac nimirum de cauſa, parens meus & ego, nonnullique alii Principes ejus doctrinæ Confeſſionem ſcripto comprehenſam exhibuimus olim, & legitimo permiſimus Concilio. Cùm ergo hac ſui verbi cognitione me Deus illuſtrârit, non mihi licet ab agnita veritate diſcedere, niſi ſempiternum exitium mihi conciliare velim. Itaque ſi decretum hoc reciperem, quoniam multis in locis & graviſſimis quidem, illud à S. Scriptura diſſidet, damnarem, quam ſum huc usque profeſſus Jeſu Chriſti doctrinam, & verbis atque ſermone probarem, quod vitioſum & impium eſſe ſcio. Hoc ipſum verò quid aliud ſit, quàm pictis atque fucatis verbis ludificare ſimul divinam Majeſtatem & Cæſarem? Qua quidem re quid fieri poſſit flagitioſius? Nam hoc illud eſt, de quo Chriſtus tam diligenter nos admonet, peccatum in Spiritum S. quod nullo unquam tempore

pore condonatur. Quod cùm ita ſit, & quoniam his vinculis eſt alligata conſcientia mea; majorem in modum, & per miſericordiam Dei, quam humano generi per Filii ſuo immolationem impertivit, oro & obſecro, ne Cæſar hoc meum factum implacatè ferat. Quod enim Auguſtanæ profeſſionis doctrinam retineo, ſalutis meæ cauſa facio, & rebus omnibus poſthabitis, quomodo poſt hanc ærumnoſam vitam, ſempiternæ vitæ, lætitiæque particeps fiam, cogito. Ad Cæſarem etiam à nonnullis audio deferri, quaſi non religionem, ſed gloriolam aliquam & neſcio quid aliud in eo ſpectem: Obſecro, quid omnium rerum humanarum optatius evenire mihi poſſit, præſertim mole corporis gravato quàm libertas, quàm reditus ad uxorem & liberos, quàm otium & quies domeſtica? *Teſtificor autem Deum, & tunc, cùm à nobis omnibus factorum rationem, depoſcet, teſtificabor, me nihil aliud ſpectâſſe, quàm ut vero ipſius cultu, regni caleſtis hæreditatem conſequar; quod ut Cæſar certò credat, ſibíque de me perſuadeat, vehementer oro.* Cæteris in rebus omnibus prompta ſemper fuit mea in illum voluntas, & erit in perpetuum, & quam ei dedi fidem, eam uti virum bonum & illuſtri genere natum decet,

præ-

præſtabo. Quod ſupereſt, ut offenſionem omnem remittat, méque tandem ab hac diuturna captivitate liberet, obſecro: ne videlicet ego ſim primus omnium Principum, qui ſuam ætatem captivus apud ipſum tranſegiſſe dicatur. Cùm in eo firmus & immotus perſiſteret, duriùs aliquantò tractari cœpit, & ademti ei fuerunt libri ſacri, & injunctum, ut diebus vetitis abſtineret à carnibus: Ille etiam, quo fuerat uſus ad hoc usque tempus, permiſſu Cæſaris, Evangelii doctor, quum præſens imminere ſibi periculum videret, mutata veſte, clanculum ſe ſubduxit. Hæc fortiſſimus Heros. Generoſum periculorum contemptum *Zuinglii* noſtri indicavimus T. VIII. pag. 399. De *Luthero* conſtat, quòd, cùm Wormatiam ab Imperatore eſſet vocatus, propiúsque jam accederet, & paucis abeſſet milliaribus, plerique ipſum fuerint dehortati, eo quòd ipſius erant nuper exuſti libri: quo quidem præjudicio ipſum eſſe damnatum, & in ſummo futurum diſcrimine dicebant, illata mentione, quid accidiſſet ætate ſuperiori Johanni Huſſo. Verùm ipſe magno quodam animi robore periculum omne contempſit, terrorem hunc atque metum à Sathàna ſibi dicebat adferri, qui

Con-

Confeſſione veritatis, & quidem loco tam illuſtri, regnum ſuum labefactari videat, *Sleid.* l. III. pag. 24. Franciſcus à Seckingen à Cæſaris intimis rogatus, per Martinum Bucerum ad ſe invitat Lutherum, ſubinnuens, in arce ſua Ebernburga commodius, quàm in ſtrepitu Comitiorum cauſam ipſius poſſe diſceptari. Quibus omnibus acriter Lutherus reſtitit, & non Ebernburgam, ſed Wormatiam, quia à Cæſare eſſet vocatus, eò ſe iturum dixit, etiam ſi ſciret, tot ſibi Diabolos eſſe oppoſitos, quot ſunt in omnibus urbis tectis tegulæ; *Scult.* an. Chr. 1521.

b. Audiemus *Claudium Monerium*, Martyrem Lugdunenſem ex Epiſtola ad *Calvinum*, & reliquos Helvetiæ Fratres: *Imitatus Paulum rogo vos per Ieſum, Fratres & Patres, ut in ſimili ſed non pari certamine Deum mihi concilietis veſtris precibus, quo poſſim magna cum libertate reſiſtere meis adverſariis.* Conjectus enim ſum in carcerem apud Lugdunum paucis ab hinc diebus pro Chriſti nomine; Scitis autem, non eſſe levem pugnam, ideóque præſidia ſubſidiaque majora paranda. Unde autem promtius & tutiùs parentur, quàm à Domino exercituum, non invenio. Illum igitur mecum precemini ut detur mihi oris

oris apertio, Spiritus ſapientiæ & forti tudinis, & patientiæ usque ad finem perdurans, ut per me homuncionem & peccatorem maximum ſaltem in extremo vitæ curſu magnificetur Chriſtus in promulgando ejus nomine. Id quod ſi Dei benignitate per adminiculum orationum veſtrarum impetratum mihi ſenſerim, bone Jeſu, quantæ à me gratiæ debebuntur illi Opt. Max. quantùsve illinc proventus nobis redibit in terra viventium! Me igitur ubique in Sancto veſtro cætu commendatum habete, memores mei ſitis, nunquam vobis conſpecti. Facite, quæſo, ut hæc Epiſtola per manus Eccleſiarum eat, ut populus inde certior factus ubivis locorum meam vicem doleat, & pro me oret &c. Plura de hoc Monerio, ſupplicio cumprimis ultimo habent *Acta Martyrum*; edita Genevæ, an. Chr. 1560.

e. Qua de re varia conſuli poſſunt Martyrologia Germanorum, Gallorum, Anglorum, quæ variis prodierunt formis. Vix enim exemplum occurrit, quod aſſertioni noſtræ fidem non faciat. Nos ad compendium illa poſituri uno tantùm & altero teſtimonio, ſanguinem Martyrum verè ſemen fuiſſe Eccleſiæ, palàm faciemus.

Pri-

Primus (licebit aurem ſpero, ſalvâ moleſtiâ, ea etiam, veritatis deſiderio, non celare, aut ſupprimere, quæ, cùm domeſtica ſint, minus fortè commodè ab aliis expectari poſſent, optima fide nobis communicata,) qui Martyris, in ſuperiori Germania, ipſaque adeò Helveria, axioma obtinuit *Nicolaus Hottingerus*, Tigurinus, fuit. Hæc ei πρωτεῖα concedit *Bullingerus* noſter in Hiſtoria Reformat. Mſc. p. m. 102. Diſes war der erſte mann/ ja Martyrer Chriſti/ der von wegen deß Evangeliums in der Eidtgnoßſchafft getödt worden. *Ludov. Lavaterus* in Compend. Hiſt. Univerſal. Mſc. p. m. 15. Donſtag / nach Invocavit, ſcripta ſupplicatio pro Hottingero, *qui primus propter religionem occiſus eſt.* Hoc ipſo anno currente, Seculum eſt, ex quo *Bullingerus*, Johanni Hottingero, Nicolai filio, Hiſtoriam ex monumentis fide dignis erutam, non modò tradidit; ſed etiam, brevi Epiſtola, imitationis exemplum commendavit: Nach dem ich euch / lieber vnd guter freund Hottinger / ewers frommen Clauſen Hottingers Hiſtori/ das iſt/ geſchicht von ſeinem leben vnd todt zuverzeichnen verheiſſen hab / ſind mir ſeither etliche geſchäfft zugefallen / daß ich euch die verheiſſene Hiſtori/ꝛc. mit bitt ihr wollind die in gutem von mir auffnemmen. Ich hab nunmehr vil Jahr nachrahtens vnd nachſuchens gehabt der Hiſtori von dem anfang der Reformation vnd verbeſſerung der Chriſt-

lichen

lichen Kirchen alhier zu Zürich / da ich auch hinder die Hiſtori ewers Vatters ſeligen kommen bin / vnd hab euch die hie beſchriben; wie ichs zum theil auß etlichen abſcheyden der Eidtgnöſſiſchen Tagleiſtungen genommen / vnd zum theyl auch auß etlichen waarhafften ehren leuthen mund / die ſeiner ſachen im grund brichtet / auch bey ſeinem außführen / todt vnd end gewäſen ſind / gehört / ſolches zeyg ich euch mit waarheit: Euch vnd den ewerigen hiemit zu dienen / vnd euch zuberichten nit allein ewers Vatters / vnd ewer Kinden groß-Vatters ehrlichen vnd Chriſtlichen Abſcheids auß diſer zeyt; ſonder euch allen / ſein biſpiel fürzuſtellen / darbey alle Hottinger Lehr vnd trew an Gott vnd dapfer auch beſtändig bey dem H. Evangelio zuſeyn / vnd verharzen biß an das end. Gott verleihe euch allen ſein gnad vnd ſeinen heiligen ſegen / Amen. Datum Zürich auff Martini / deß 11. Novemb. 1567. Hanc ipſam primi hujus Martyris Hiſtoriam, prolixè *Bullingerus* Reformat. Mſc. inſeruit, tandémque concluſit, *ejus exemplum multum ad Evangelii propagationem potuiſſe, pag.* 102. Idem in inferiori Germania accidit Bruxellis, eodem ferme tempore, cùm Cal. Julii 1523. *Henricus Voes*, & *Iohannes Eſch* Monachi Auguſtiniani Antverpienſes, ad rogum damnati, comburerentur. Et horum mors vita fuit Eccleſiæ. *Bruxellæ*, inquit Eraſmus, *duo Auguſtinenſes publicitus affecti ſupplicio. Quæris exitum? Ea civitas antea puriſſima, cæpit habere Lutheri diſcipulos, & quidem non paucos. Sævitum &*

in Hollandia. Quid multis? Vbicunque fuimos excitavit nuntis (Aleandrum intelligit, quem δισωμαλοφόρον nominat, vi bullæ Lutheri libros incendentem,) *ubicunque ſævitiam exercuit Carmelita, ibi diceres factam hæreſeon ſementem*; Lib. 26. Epiſt. 18. Et alibi: *Bruxellæ primum exuſti ſunt duo. Tum demum civitas favere Lutheri*, Lib 21. Epiſt. 7. In *Italia* idem eveniſſe, conſtanti Ulmæ ferebatur rumore. Ita enim Martinus Frechtus ad Bullingerum 24. Julii 1538. *Iam fama hic ſpargit, Bartholomæum Fontium, Venetum publica fide ſibi à Romano Pontifice data Romam perveniſſe, & fidei ſuæ rationem dediſſe, at ſtatim ab Antichriſto ſacco impoſitum & Tiberi immerſum, in Domino mortuum. In cujus locum tredecim emerſiſſe Evangelicos prædicatores qui Romæ, invito etiam Antichriſto, Chriſtum annuncient.* Sed & Hiſtoria Eccleſ. Gall. l. 1. pag. 6. refert, Johannem, Clericum Meldenſem ſchedulam Meldis, & valvis quidem ſummi templi ejus urbis, contra Indulgentias à Papa miſſas affixiſſe, in qua ſcripſerat, Pontificem Romanum eſſe Chriſtum. Unde virgis cæſus, & impreſſa in fronte nota ignominiosè affectus fuit. Mater, hæc videns animum ei addit, exclamátque: *Vivat Chriſtus, ejusq; inſignia.* Scult. an. Chr. 1523.

anno

anno & quo Antverpienſium Monachorum Hiſtoriam verbis oculati teſtis refert.

d. In prima ſtatim acie ἀξιομνημόνευτον, ſe offert exemplum Thomæ Cranmeri, Primatis Angliæ, Archiepiſcopi Cantuarienſis, qui ſub Marianis perſecutionibus, in ſqualidum detruſus carcerem, ſpe redimendæ vitæ, palinodiam ſequentem, à Theologis præſcriptam admiſit, eique ita ſubſcripſit: *Ego Thomas Cranmer anathematiſo omnem Lutheri & Zuinglii hæreſin, & quodcunque dogma ſanæ doctrinæ contrarium: Confiteor vero & credo firmiſſimè unam Sanctam & Catholicam Eccleſiam, extra quam ſalus non eſt, atque ejusdem in terris ſupremum agnoſco caput Epiſcopum Romanum, quem fateor ſummum eſſe Pontificem, & Papam, ac Chriſti vicarium, cui omnes tenentur ſubeſſe fideles. Iam quod ad Sacramenta attinet, credo & colo in Sacramento Euchariſtiæ verum Chriſti corpus & ſanguinem, ſub ſpeciebus panis & vini veriſſimè citra ullum tropum & figuram contenta, converſis & tranſſubſtantiatis pane in corpus & vino in ſanguinem redemtoris divina potentia. Atque in ſex aliis Sacramentis (ſicut in hoc) id credo & teneo, quod univerſa tenet ac ſentit Eccleſia Romana. Credo inſuper purgatorium, locum ubi ad tempus cruciantur defunctorum animæ, pro quibus ſanctè & ſalubriter orat Ec-*

cleſiæ : Sicut & Sanctos colit, ad illósque preces effundit. Demum in omnibus me profiteor non aliud ſentire, quàm Eccleſia Catholica & Romana &c. Fox.rer.in Eccleſ.geſtar.Comment. pag.718. Poſtea verò, cùm Regina, iræ & vindictæ ſtudio ſatisfactura, vitæ veniam negaret, palinodiam ejus in publico templo annunciari, reum velut hiſtorionem ſannis primum excipi, flammis denique ultricibus expiari intentata crimina vellet, Archiepiſcopus, præmiſſa ad populum ardentiſſima precatione, & hortatione, ita tandem vitæ ſuæ actum, in triſti illa & inexpectata clauſit ſcena, ut quod ſpe antea vitæ confeſſus fuit, conſcientiæ, jam ſuæ ineluctabili excitatus morſu, proximus igni, recantârit. *Quoniam,* inquit in frequenti cætu, *eo nunc deventum eſt, ut vita hac ſit abeundum, versórque in eo jam articulo, ex quo omnis mihi pendet & ſuperioris & futuræ etiam vitæ ratio, ut vel cum Chriſto Servatore perenni fruar ſalute, vel cum Dæmonibus æternis dedar ſuppliciis, adeóque præſens nunc ante oculos conſtitui, videam, vel cælum ad me recipiendum, ſi ingenuè, quod verum ſit profitear: vel inferni apertum hiatum ad me deglutiendum, ſi quid fingam ſecus quàm veri fides poſtulat, liberè apertéque apud vo[s] fidei meæ rationem, ut res habet ipſa, expoſitu[-]*

ru[-]

rus ſum, nec metu, nec præmio quicquam diſſimulaturus. Siquidem eò res redit, ut ſimulare aut tergiverſari nihil nunc attineat, utcunque habeat, quæ ante hac à me aut dicta ſcriptave fuerint. Principio in Deum credo, Patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ, &c. Omnémque breviter fidei Catholici articulum, omne dictum, ſententiámque à Chriſto Servatore, ab Apoſtolis & Prophetis tum in Veteri, tum N.T. expreſſum, firmo animi aſſenſu recipio. Venio nunc ad id, quod ſupra cætera mea omnia, quæ hactenus in vita admiſerim delicta, me torquet, ac penitiſſimè affligit. Illud verò eſt, quod ſcripto cuidam nuper per quoſdam oblato, nomen manúmque addiderim, longè præter veritatem ac conſcientiam meam. Putabam hac ratione necis diſcrimen depellere, quo diutius in hac miſerabili vita tempus protraherem. Nunc autem teſtor apud omnes liberè & examino, eáque fidei, qua apud Chriſtum judicandus ſum, firmitate, revocari à me atque antiquari ſcripta hujuſmodi omnia, quibus poſt degraditionem meam, manum dederim: quæ omnia irrita, caſſaq; nec jam mea haberi volo. Porrò infelicem dexteram hanc, quæ contra conſcientiam, miniſtra flagitii fuerit, primum ante cæteros corporis artus igni devoveo: Ideóque cumprimum ad pyram ventum erit, prima pœnam luet, quæ primam culpam

 ad-

admiſit. Ad Papam verò quod attinet, ut uno verbo dicam, Eum ego pro inimico Chriſti, ipſóque adeò Antichriſto habeo, cujus omnem doctrinam, putidóſque errores repudio atque deteſtor. De Euchariſtia idem ſentio tueórque, quod in mea jam olim contra Vuintonienſem defenſione expreſſum eſt, cujus libri aſſertionem tam firmam judico, ut omnes omnium Papiſtarum conatus nunquam ſint repulſuri; Id pag. 724. Cúmque jam ſuccenſæ faces circumjectam materiam primum corripuiſſent, atque vi ignis vicinius deflagrare cæpit, brachio exporrecto, dextram in flammas dedit, quam ita firmam immotamque tenebat (niſi quòd faciem ſemel manu abſterſerat) ut manum priùs omnes ambuſtam, quàm corpus tactum cernerent. Corpus autem ea firmitudine & conſtantia flammarum ardores excipiebat, ut ſemper eodem loco, ſine omni membrorum flexu conſiſtens, nihilo penè magis, quàm palus, cui affigebatur, ſe ſe movere videretur. Oculi porrò ſubinde in cælum erecti. Hócque modo ſæpius indignam dextram quamdiu vox ferebat, appellans, ſæpéque Stephani verbis uſus: Domine Jeſu, ſuſcipe Spiritum meum! flammarum tandem magnitudine expiravit. Sed & Jacobus Pavanas, Bolonienſis a. Ch. 1524. pro-

propter religionis ſinceræ profeſſionem captus metu mortis palinodiam cecinit. Anno verò ſequenti, reſumtis novis viribus cùm fidem puram, præſertim de Cœna Domini, palàm doceret, ex voto ſuo vivus crematur, Lutetiæ, ſumma cum animi alacritate, fidem faciens proverbio: Vir fugiens denuo pugnabit. *Scult.* 1525.

e. Ex qua diſci commodiſſimè poterat, *1. Deum verè mirabilem eſſe in ſuis Sanctis, pretioſámque mortem in oculis ejus*, Pſalm. 116. v. 15. Quoties enim, quæſo, contigit, ut, non modò ſumma, & inaudita conſtantia, exquiſitiſſimos, cum adverſariorum admiratione, Martyres ſuſtinerent cruciatus; ſed & miraculis glorioſus ex his terris abitus eorum redderetur illuſtris? *Alios miraculosè venatorum inſidioſis manibus Deus eripuit.* Notum eſt exemplum *Grynæi*, qui wormatiæ miraculosè liberatus, ſalvus ad ſuos rediit. Cùm enim a. Ch. 1529. Spiræ conventus religionis gratia haberetur, eodem Simon Grynæus Heidelbergâ, ut cum amicis ſuis aliquid conferret, conceſſerat. Ibi cum Fabrum Epiſcopum Viennenſem audiviſſet in concione tetros quoſdam errores defendere, ſequitur egredientem ex templo, ac reverenter ſalutat: Poſtea narrat, ſe non petulantia aliqua; ſed bono ſtudio

moveri, ut quædam dicat. Non detrectat Faber colloquium. Ibi Grynæus, dolere ſe ajt, quòd vir eruditus & pollens authoritate confirmet errores manifeſtos adverſus DEUM, qui etiam apertis teſtimoniis primæ Eccleſiæ, confutari queant. Scribit Irenæus, Polycarpum ſolitum aures obſtruere, audientem portentoſos errores fanaticorum hominum, quo te animo putas audiviſſet jam Polycarpus diſſerentem? Quid mus comedit, arrodens panem conſecratum? Quis non deploret Eccleſiæ tenebras? Interpellat Faber plura additurum, ac nomen ejus interrogat. Nihil illi diſſimulat, ſed placidè fatetur ſe Grynæum eſſe. Erat omnino Faber (ut multis notum) flagitiosè timidus in doctorum congreſſibus, præterea pavidus & inſidioſus. Quare cùm Grynæi eruditionem, eloquentiam, copiam, & ardorem animi, præſertim in tali cauſa metueret, ſimulat ſe à Rege vocatum eſſe, nec nunc habere otium ad diſputationem de re omnium maxima inſtituendam. Simulat ſe interim maximè cupidum eſſe & amicitiæ Grynæi, & colloquii longioris, & cùm ſua cauſa, tum propter rempublicam orare cæpit, ut cras ad ſe redeat, monſtrat hoſpitium, & horam deſignat. Grynæus

næus seriò hæc dici putans, non gravatim promittit. Relicto itaque Fabro ad ſuos amicos rectè accedit. Vix aſſederat menſæ (jam enim tempus cœnæ erat) & recitaverat partem diſputationis viris doctis tum præſentibus (inter quos & Philippus *Melanchthon*, qui hanc Hiſtoriam in explicatione c. X. *Danielis* deſcribit,) ecce evocatur ſtatim aliquis ex amicis Grynæi. Senex erat, ſingularem gravitatem vultu, oratione & veſtitu præ ſe ferens, cujus quidem nomen vel conditio nunquam poſtea ab ullo deprehenſum. Hic evocatum Grynæi amicum alloquitur & oſtendit, mox adfuturos in eo hoſpitio lictores miſſos juſſu regis, apud quem Faber Grynæum accusâſſet, ad abducendum Grynæum in carcerem. Jubet igitur ut ſtatim ex urbe diſcedat, atque hæc monita non contemnat. Ita dicta ſalute ſenex abiit. Ille ad ſodales rediens, hortatur, ut ſurgant, ac narrat quid ſenex ille nuntiârit. Mox per publicam viam deducunt Grynæum acceptum in medium ..men, & ad Rhenum pergunt, ubi etiam in ripa ulteriore tantiſper reſtiterunt, donec Grynæus cum ſuo comite in parva cymba ad alteram ripam transveheretur. Poſtea reverſi in hoſpitium intellexerunt

M 5 ſtatim

ſtatim adfuiſſe lictores, quum exiguo ſpatio ab ea domo egreſſi eſſemus. *Rer. in Eccleſ. geſt.* lib. III. pag. 71. Idem *Gualthero* noſtro accidiſſe & *Otho Melander*, qui menſa tum Gualtheri fuit uſus, obſervârunt, & alii. Vide Clariſſ. Collegæ *D. Myller.* Concion. in c. 2. Joel. *Proleg.* pag. 63.

Aliis, inter ipſas carnificum manus ea, quæ adverſariorum fregerunt furorem, eveniſſe compertum eſt. Cùm an. Chr. 1545. Urſula & Maria nobiles virgines in Belden igni eſſent addictæ & injectæ, miraculosè contigit, ut carnifices cadavera nullo igni exurere vel conſumere poſſent, ſed albicantia manſerint integra; Rer. in Eccleſ. geſt. l. IV. pag. 110. Ita, cùm an. Chr. 1550. Gabriel Beraudinus Chamberiaci ſupplicio etiam ignis, quo modò antea in Joh. Godeau erat animadverſum, tollendus eſſet, initio quidem, horrore tormentorum ſenſibus percepto, in confitenda veritate nonnihil vacillavit: Ea tamen morte, quam Johannes perpeſſus erat, ita fuit animo confirmatus, ut paucis poſt diebus idem genus mortis conſtanter ſuſtinuerit: Adeò ut adverſarii, cùm ſummam ejus conſtantiam cernerent, ne poſſet loqui, linguam ei præcidendam curaverint. Is tamen ſanctiſſima quadam vi Spiritus præ-

ditus

ditus nunquam loqui deſtitit, adeò ut ſatis intelligeretur: Præpoſitúsque qui eum ad ultimum ſupplicium ducebat, carnificem vehementer accusârit, quaſi non bènè ei linguam amputâſſet. Cui ille multis audientibus ſatis aſperè reſpondit, in ſua non eſſe poteſtate, ut eum loqui prohiberet, Ib. pag. 206. Memorabile cumprimis eſt Martyrium Stephani Bruni, Reorterienſis, Ebreduni an. Chr. 1540. comburendi. Is menſe junio ductus ad judices, ut ei ſententia capitis pronunciaretur, ſic eos intrepido animo eſt allocutus: Quid agetis miſeri? mortis ne me damnabitis, qua mihi ex hac vita demigrandum ſit? Mors ſanè mihi terribilis non eſt, cùm ex miſeriis ad beatam immortalitatem tranſiturus ſim. Ad locum ſupplicii Planuol appellatum quum duceretur, plebem ad pietatis ſtudium hortatus eſt: Ibi vi & impetu venti flammam huc illuc abripientis ac deprimentis, *intactus ferè unius horæ ſpatio ad palum ligatus ſtetit, adeò ut nova ſarmenta & vaſa olei plena, conſumptis lignis, afferri neceſſe eſſet, quibus ignis adjuvari poſſet: nec tamen ita rectè comburi potuit, quin ſalvus adhuc evadere poſſe videretur.* Quo viſo carnifex fuſtem in hominis caput totis viribus impegit. Cui etiamnum vivens dixit

xit Stephanus: Cùm ighi adjudicatus ſim, ecquid me vis baculis enecare velut canem? Tum carnifex præpilato baculo viſcera Bruni trajecit, quem proſtratum in cineres redegit: atque eos poſtea in rupe collocatos ventis tradidit. Magiſtratus autem per præconem vetuit, ne quis mentionem ullam mortis illius faceret, niſi hæreticus haberi vellet, eundémque caſum, & exitium experiri. Qui Thomæ Hauxi, juvenis florentiſſimi, an. Chr. 1555. d. 11. Jan. combuſti, conſuetudine ante mortem liberius erant uſi, etſi non parùm oratione ejus & conſtantia confirmarentur; ſupplicii tamen rurſus acerbitate deterriti, rogant clanculum, ſignum eis in mediis flammis aliquod ederet, quo certiores fierent, tantúsne in eo ſupplicii genere ineſſet cruciatus, ut memoriam non liceret in eo conſtantem retinere. Id quod ipſi effecturum ſe cauſa ipſorum recepit. Sicque occulta inter ipſos pactione convenit, ut ſi flammæ vis intolerabiliter eſſet cruciabilis, quietus ſtaret. Sin autem tolerabilis foret, quique facile vinci ferendo, majori vi Spiritus ac conſtantia poſſet, palmas ſupra verticem ſublatos ad cœlum attolleret, priuſquam exhalaret animam. Hunc itaque in modum conſtitu-

ſtitutis rebus animisque mutua conſolatione confirmatis, hora adeſt Martyrii. Hauxus ad carnificinam producitur, móxque ad trabem humi defixam, ambiente corpus catena arctiſſimè revinctus, ſtat, ignem excepturus, mitiſſima victima. Stat & nobilium & plebis circumfuſa turba non parva: ad quos cùm multa locutus eſſet, tum maximè cum D. Rhychæo, expoſtulans de innocenti Sanctorum ſanguine; tandem poſt ardentiſſimas ejus preces ad Dominum fuſas, ignis admovetur. In quo cum diu egiſſet, quúmque jam oppreſſo flammis ore, contracta uſtione cute, conſumtis igni digitis omnes nunc expiraturum certè expectarent, memor ille datæ fidei, ſemiuſtas manus ardoréque æſtuantes ſupra caput ſubitò ad DEUM viventem erigit, térque magno cum applauſu concutit. Qua re, præter omnem expectationem conſpecta, tantus conſequitur circumfuſæ multitudinis applauſus & clamor, quaſi cœlum terræ commiſceri exiſtimares. *Rer. in Eccleſ. geſt. Comment.* p. 446. Vid. & p. 524. & *lib. II.* p. 37.

2. *Verè Deum eſſe* ἀπροσωπολήπτην. Nam ex Martyrum Catalogo colligimus, *Deum non accipere perſonam, ſed in quavis gente*, in quovis ordine *acceptum ei eſſe quemvis qui eum*

eum timeat, & operetur juſtitiam, Act.X.v.34. 35. *Gentium* enim varietatem ſi ſpectemus, Hiſpani ſe in Martyrologiis, offerunt, Itali, Galli, Belgæ, Germani. Breve Martyrologium Helveticum ἀνέκδοτον apud nos aſſervatur. *Si diverſi ordinis* ſubjecta quæras, & Principes, Comites, Barones, Nobiles; & eruditi Theologi, Juriſconſulti, Medici, Philoſophi; & illiterati, mechanici varii oſtendent has ſibi fuiſſe θύρας ἀφθόνους.

Legant, qui ſunt ἐν ὑπεροχῇ, *Principes*, &c. ex Actis Martyrum, hiſtoriam *Edoardi Semeri*, Ducis Somerſeti, qui Eduardi VI. avunculus fuit & Angliæ Adminiſtrator; Johannis Oldecaſteli, Cobhami Domini, Thomæ Cromelii, Comitis Eſſexiæ, Gysberti & Dietrici fratrum & Baronum de Battenburg, *Iohanna cumprimis Graja*, quæ filia fuit Suffolciæ Ducis, deſtinata jam Anglico regimini; & mirabuntur, ne quidem in tanto faſtigio veri Chriſtianiſmi obrepere potuiſſe faſtidium. Sed ipſa Joaña per Epiſtolam, veluti inſtantis fati nuncia, loquatur XV. annorum adoleſcentula, ex autographo, heri demum ab amico communicato, ut quid præſentia poſſit Numinis in tanta etiam ætatula, poſteri diſcamus. Epiſtola Sanctæ Martyris ad *Bullingerum*,

gerum, talis eſt: *Facere non poſſum, nî nimis ingrata, officii immemor, & beneficiis tuis indigna videri velim*, Vir Ornatiſſime, *quin in ſingulas res meritaque tua, quæ plurima fuerunt, gratias tibi ingentes agam: Quanquam me hercule & id cum pudore facio: Neque enim tanta neceſſitudo, quantam tu mihi tecum eſſe voluiſti, neque tot beneficia à te in me his prorſus indignam collata, tantummodo gratiarum actionem videntur deſiderare, neque ego lubenter pro maximis tuis beneficiis tam vili orationis munere defungor. Hoc etiam nonnihil angit animum meum, cùm ad literas, quas tanto viro darem excogitandas, quam parum idonea ſim mecum perpendo.* Neque certè meis næniis puerilibúsque nugis tuam gravitatem perturbare, aut tanta barbarie tuæ eloquentiæ obſtrepere vellem aut auderem: niſi & nullo me alio modo tibi gratificari poſſe ſcirem, & de tua ſolita ſatiſque perſpecta mihi humanitate haud dubitarem. De literis autem, quas proximè abs te accepi, ſic habeto, poſteaquam ſemel atque iterum (nam ſemel non videbatur ſatis) eas legiſſem, tantùm fructus reportâſſe ex tuis præclaris, & verè Theologicis præceptis viſa ſum, quantum ex diuturna optimorum auctorum lectione vix eram aſſequuta. *Suades, ut veram ſin-*

cerá m-

cerámque in Chriſto Servatore meo fidem amplectar, tibi hac in parte, ὅσον ὁ θεὸς δώσει, enitar ſatisfacere. Sed donum Dei agnoſco eam eſſe, & proinde tantum polliceri debeo, quantum Dominus impertierit: Neque tamen cum Apoſtolis orare deſiſtam, ut eam mihi ſua benignitate indies augere velit. Huic etiam eam, Deo juvante, ut jubes, adjungam vitæ puritatem, quam mea heu nimium infirmæ vires præſtare poterunt. Tu interea pro tua pietate in oratione tua mei quotidie facias mentionem rogo. Ad Hebraicæ Linguæ ſtudium eam ingrediar viam, quam tu fideliſſimè monſtras. Vale, & Deus te in hac ſuſcepta abs te provincia tueatur & provehat æternum. Tibi ad omnia pietatis officia paratiſſima, Johanna Graia. *Inſcriptio.* Colendiſſimo Viro, Henrico Bullingero hæ tradantur literæ. Scripta fuit hæc Epiſtola 1552. adeóque duobus tantùm ante ſupplicium annis. Quòd viæ, in Hebraicis ad Bullingeri conſilium calcandæ, meminit; id paullò altius repetendum eſt, & quidem ex alia ejuſdem Epiſtola, quæ αὐτογράφως, anno præcedenti 1551. exarata, etiamnum in Bibliotheca Civica aſſervatur, quæque hujusce modi eſt. *Immortales tibi ago gratias, agámque dum vivam, vir doctiſſime, nam relaturam me affirmare non poſſum:* Tantis enim

tuis

tuis officiis non videor mihi reſpondere poſſe, niſi fortè ita ſenſurus es, ut me referre gratiam putes, cùm memoria tenebo: Neque immeritò. Accepi enim à te literas graviſſimè & diſertiſſimè ſcriptas, quæ quidem mihi gratiſſimæ erant, tum quòd rebus gravioribus omiſſis ad me, quæ tam eruditi viri literis indigna ſum, ſcribere etiam longinqua regione, hac tua ingraveſcente ætate dignatus es, tum etiam, quòd ejus generis tua ſcripta ſunt, ut non vulgaria quædam ad delectandum; ſed pia & divina ad docendum, monendum, & conſulendum, ea præſertim, quæ & meæ ætati, & ſexui, & familiæ noſtræ dignitati inprimis conveniunt, continere videantur, in quibus ut in aliis omnibus, quæ in ſummam Reipublicæ Chriſtianæ utilitatem edidiſti, non ſolùm te exquiſitè doctum, & ſingulari eruditione præditum oſtendiſti, ſed etiam ingenioſum, prudentem, & pium conſiliarium, qui nihil ſapis, niſi bona, nihil ſentis niſi divina, nihil jubes, niſi utilia, & nihil paris niſi honeſta, pia, & tam obſervando patre digna. O me feliciſſimam, cui talis contigit amicus, & prudens conſiliarius. Nam ut Schelomo habet תשועה ברב יועץ *quæq; jam cum homine tam docto, Theologo tam pio, & vera*

veræ religionis acerrimo πρoμάχῳ neceſſitudinis & amicitiæ jure conjuncta ſum. Multis de nominibus Deo optimo Maximo me debere puto, & imprimis, quòd poſteaquam me pio Bucero, viro doctiſſimo & patre ſanctiſſimo orbâſſet, qui dies noctésque νὺξ καὶ λὰξ non deſtitit mihi, quæ ad vitam inſtituendam, & formandam, neceſſaria eſſent ſuppeditare, quíque meum in omni probitate, pietate & literarum ſcientia curſum & progreſſus provehebat, & ſuis optimis conſiliis adhibitis incitabat, Te, Vir colendiſſime, mihi ejus loco conceſſit, qui ut ſpero mihi tardanti, & moram trahenti calcaria, ut cœpiſti, addere volueris. Nihil enim mihi optatius evenire aut accidere poteſt, quàm ut digna hujusmodi clariſſimorum virorum, quorum virtutum nullus ſatis eſſe poſſit præco literis, ſaluberrimíſque conſiliis ducar, atque idem mihi contingat, quod vel Bleſillæ, Paulæ & Euſtachio, quas divus ille, ut fertur, Jeronymus inſtituit, & ſuis concionibus habitis, ad divinarum rerum cognitionem perduxit, vel quòd mulieri illi ætate confectæ, cui Divus Joannes Epiſtolium quoddam hortatorium & verè Theologicum conſcripſit: Vel quod Severi matri, quæ conſilio Origenis uſa eſt, ejúsque monitis acquievit, quæ omnes non tantùm

ſibi

ſibi laudis & commodi ex corporis forma, generis nobilitate, & divitiarum copia comparârunt, quantum gloriæ & felicitatis ex prudentiſſimorum Virorum conſiliis hauſerunt, eo quòd non dedignabantur homines illi tam ſingulari eruditione, & admirabili pietate conſpicui, eas quaſi manu ad optima quæque ducere, & quæ ad ſalutem æternam, & futuræ vitæ felicitatem maximum haberent momentum, ſuggerere, quod ut tu mihi facere digneris, cùm neque ingenio, nec eruditione, nec pietate infimus inter eos omnes haberi debeas, iterum atque iterum à te peto. Audacula tibi videar oportet, quæ tam audacter hoc efflagito: Sed ſi conſilii mei rationem reſpicere volueris, nempe, quòd ex pietatis tuæ penu ea depromere cupiam, quæ cùm ad mores formandos, tum ad fidem in Chriſto Servatore meo confirmandam conducere queant, hoc, quod facio, mihi vitio vertere nec pro tua humanitate poteris, nec pro tua prudentia volueris. Ex libello illo veræ & non fucatæ religionis pleno, quem nuper ad Patrem & me miſiſti, tanquam ex horto amæniſſimo flores ſuaviſſimos quotidie colligo, & Pater etiam, dum per graviſſima negotia licet, in ejus lectione ſedulò ver-

ſatur, quem autem inde uterque reportabimus fructum, de eo tibi, & Deo, propter te, immortales gratias agere debemus: Non enim æquum eſſe putamus, ut per te, tuique ſimiles, quos non paucos hac in parte, feliciſſima parit Germania, à Deo Opt. Max. tot tantáque verè divina dona ingratis accipiamus animis. Solemus enim homines hominibus, ut par eſt, beneficiis beneficia compenſare, & donorum collectorum memores nos præſtare: Quantò magis igitur operam navare debemus divinæ bonitati, ſi non ex omni parte reſpondere, at ſaltem lætis animis, quæ confert, amplecti & ex animo pro illis gratias agere? Nunc ad laudes tuas, quas mihi tribuunt tuæ literæ, venio, quas ut nec vendicare, ita nullo modo agnoſcere debeo: ſed quicquid mihi divina bonitas largita eſt, id omne acceptum illi refero, tanquam mearum rerum omnium, quæ virtutis aliquam ſpeciem habent, authori, ſummo, & quem meo nomine roges velim, ornatiſſime vir, aſſiduis tuis precibus, ut me hac in parte, meáſque rationes ita moderetur, ut tanta ejus benignitate non indigna reperiar. In animum induxerat illuſtriſſimus Pater meus ad tuam humanitatem ſcribere, pariter-

riterque gratias agere pro tuis præclarè ſuſceptis laboribus, & ſingulari illa humanitate, qua inductus es ſuo nomini V. Decadem inſcribere, ejúsque auſpiciis in lucem edere, niſi graviſſimis Regiæ Majeſtatis negotiis in ultimos Britanniæ fines fuiſſet avocatus. Sed ubi per publicas occupationes vacabit, quàm diligentiſſimè ad te ſcribere ſe velle affirmat. Postremò Hebraicari jam incipienti mihi ſi viam & modum aliquem oſtenderis, quem in hoc ſtudiorum curſu tenere maxima cum utilitate debeam, me longè tibi devinctiſſimum reddideris. Vale totius Eccleſiæ Chriſtianæ ſumum decus & ornamentum, & te diu nobis ſuæque Eccleſiæ ſuperſtitem ſervet Deus Optimus Maximus. Tuæ pietati deditiſſima *Joanna Graja*. His junctæ erant literæ nobiliſſimi juvenis, *Joh. Ab Ulmis Prodgati* IV. Cal. Junii 1551. ſcriptæ, quæ florentiſſimo tum Joannæ ſtatui teſtimonium perhibent. *De filia* (ita ad Bullingerum) *in te ſtudio & obſervantia, ipſe facile ex ejus doctiſſima Epiſtola tibi deſcripta cognoſces. Ego ſanè nihil hac virgine humanius ſi familiam, nihil doctius ſi ætatem, nihil denique beatius, ſi utraque conſideres unquam extitiſſe opinor.* Et tamen ingratiſſimi Mundi artibus factum, ut biennio poſt

priores ſcriptas literas, anno nempe 1554. ætatis 17. cum ſponſo, Guilfredo Dudlæo, Northumbriæ Duce, ſanctiſſimam cervicem ſecuri ſubjiceret, generoſo teſtata pectore, ignominiam ſe pro Chriſto & ipſam malle mortem, quàm ἀπαρνησιθεΐα vitæ exitum polluere, Henrici VII. ex ſorore Maria, Ludovici Galliæ Regis vidua, proneptis. Hæc de primo ordine.

Legant, & ad imitationis exemplum *Equites, & Nobiles* ſibi proponant acta Rogieri Actoni, Johannis Draendorfi, Rogieri Dulei, Ludovici Berquinii, Patricii Hameltoni, Annæ Askevæ, Ludovici Marſaci, Thomæ cumprimis Hauxi, Roberti Gloveri, & Johannis Poncei. *Theologis* calcaria addant Robertus Barneſius, Johannes Hoperus, Johannes Bradfordus, Nicolaus Ridlæus, Hugo Latimerus, Johannes Filpottus, & Thomas Cranmerus. *Iurisconſultis* Johannes Caturceus, Rolandus Taylor, & Annas Burgius. *Medicis*, Nicolaus le Come, & Chriſtophorus de Loſada. *Philoſophis*, Johannes Purveyus, Wilhelmus Taylor, & Petrus Ramus. *Concionatoribus*, Wolfgangus Schuchius, Leonhardus Keiſer, Georgius Carpentarius, Georgius Scherer, Petrus Brullius, Johannes Rogierus, Laurentius Sanderus,

derus, Johannes Rabecus, Garſias Aria, Conſtantinus Foncius, Joh. Ludovicus Paſcalis, Florentinus Colonienſis, Auguſtinus Marloratus, Chriſtophorus Smith, Martinus Smetius, Guy de Bres, & Peregrinus de la Grange. *Studioſis & Miniſterii Candidatis*, Petrus Fliſted, Adolphus Clarbach, Johannes Diazius, Claudius Monerius, Martialis Alba, Petrus Scriba, Bernhardus Seguinus, Carolus Faber, Petrus Naviherus, Johannes Vernutius, Antonius Laboreus, Johannes Trigaletus, Guyrardus Tauranus, Pomponius Algier, Dionyſius Perrotus. *Ludimagiſtris*, Hugo Gravier, & Hieronymus Caſaubonus. *Parentibus cum liberis*, Robertus Oguier, Margareta de Heurtelou, Michaël Herlin. *Matronis & Virginibus*, Catharina Saube, Maria Becaudelle, Anna Audebert, Philippa de Luns, Margarita le Riche, Iſabella de Vænia, Maria de Viroes. *Militibus*, Wilhelmus Thraciús, Dominicus de Blanckenhauſen. *Officialibus*, *Præfectis &c.* Nicolaus Valeton, Franciſcus Bribard, Johannes Bertrandus. *Mercatoribus*, Johannes du Bourg, Stephanus de la Forge, Franciſcus Sancta Romanus, Octavianus Blondellus, VVilhelmus Gardiner, Johannes Buiſſonius. *Mechanicis*, Richardus Hovenden.

Johannes Pintet, Andreas Huet, Barthol. Milon, Henricus Poille, Jodocus Jusbergus, Gill. Tillemanus, Guill. Huſſonus, Martinus Hoeurblock, Richardus le Feure, Thomas Thomkins, Robertus Smith, Bertrandus Blaſius, Georgius Eglinus, Cornelius Hallewin, Hermañus Janſenius, Johannes Maſſon. *Muſicis*, Claudius de la Caneſiere &c.

3. *DEUM ex ore etiam infantum & lactentium ſibi preparâſſe laudem.* Imolæ (ita Bononia ſcripſit *Thomas Luberus*; Eraſtus, Græcè; Badenſis ult. Decemb. 1544.) quidam Monachus obſervantiæ, prædicat, regnum Chriſti propter merita noſtra dari nobis. Ibi puer admodum parvus reprehendit eum dicens: Tu blaſphemas Deum & Chriſtum: Nam nobis tribuis, quod is ſua paſſione & morte impetrat, & ex gratia ſua & miſericordia confert. Reſpondit Monachus iratus: Eum ignorare quid dicat, nec dum perdidiciſſe Pater noſter, & judicare velle has res. Cùm diu ita contendiſſet, dixit ei: Apage te, ignave puer, qui vix dum incunabula reliquiſti: Unde tu tibi ſumis judicium Sacrarum literarum, quas doctiſſimi quique non ſatis explicare poſſunt: nec credo poſſe legere. Reſpondit puer. Legiſtine tu: Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem: Qua-

Quare igitur me depellis, & meum non eſſe legere eas, aſſeris? Tandem detruſus eſt puer in carcerem, ubi adhuc vinctus detinetur. *Guilelmus Hunterus* tenellus juvenis, optimis natus parentibus, magna cum conſtantia an. Chr. 1555. d. 15. Martii moritur, recitatóque inter moriendum Pſalmo 84. Martyrii palmam, inſpectantibus parentibus conſecutus fuit; qua de re prolixè *Fox.* in Comment. pag. 428. Sortem verò communem planè ſuperavit florentiſſimus juvenis, *Thomas Hauxus*, de quo idem, pag. 445. *Robertus Smythus* ex pictore Martyr, Londinenſi Epiſcopo, Inquiſitori ſuo eodem anno 1555. juvenem quendam occultè ab Epiſcopo præfocatum, ex probavit, Id. p. 529. Memorabile cumprimis eſt exemplum Angli duodecennis (de quo prolixè *Martyrolog. magnum* pag. 1073.) qui, cùm Hiſpanicæ Inquiſitioni in prædam ceſſiſſet, adeò ardentes in carcere fudit preces, ut, propterea inter primores ferè, à bruta plebe, referretur hæreticos. Quin & parvulorum Merindolienſium (de quibus rer. in Eccleſ. geſtar. lib. V. pag. 139.) digna eſt Hiſtoria, quæ hoc loco inſeratur. Cùm Epiſcopus Cabellionenſis, concitatus tantum famulis ſuis, Merindolium veniſſet, pueris ibi

grandiuſculis ſimul & parvis ad ſe vocatis, pecuniam ſingulis largitus, blandè præcepit, ut orationem Dominicam cum Symbolo Apoſtolorum Latino idíomate ediſcerent. Plerique eorum excipiebant, ſe Latine quidem nôſſe Pater noſter, & Credo: non poſſe tamen reddere rationem eorum, quæ recitarent, niſi ſuo, id eſt, Gallico Idiomate. Quibus tunc Epiſcopus dixit, non requiri tantam in ipſis ſcientiam, ſatis eſſe, modò ea Latinè tenerent: neque ad ſalutem conducere tam exactam fidei rationem atque intelligentiam: multos Epiſcopos, Parochos, quin etiam Theologiæ Doctores inveniri, quibus ſatis negotii exhiberet vel tenuis ac rudis expoſitio Orationis Dominicæ, aut ſymboli Apoſtolici. Hæc audiens Merindolienſis Præfectus Andreas Maynardus. *Quid, quæſo,* inquit, *proderit verba non intellecta proferre, & Pſittaci more recitare* Pater Noſter, *aut* Credo? *Mentitur certè & Deo irridet, quisquis abſque intellectu uſurpat hæc verba,* Credo in Deum, *& quid ipſa valeant ignorat. Intelligis ne tu, inquit Epiſcopus, quidnam valeat,* Credo in Deum? *Cui Præfectus, miſerum ſanè me deputem, niſi intelligerem: ac tum ordine rationem fidei reddere capit.* Qua quidem re Epiſcopus perculſus ei dixit: Non

putâſ-

putaſſem, mehercle, Merindolium tantos habere Doctores Quid, inquit Præfectus, etiam infimæ ſortis homuncio, qui Merindolium incolit, rectiùs multò, quàm ego fidei capita tibi ènarrare poterit: ſed periculum fac, ac percontare, amabò, pueros iſtos, aut iſtorum aliquem: ut rectè ne an perperam inſtituti ſint, ipſe judices. Epiſcopus, qui nec reſpondendi, neque interrogandi ſcientiam tenebat, fremitu atque indignatione pudorem obtegens, nihil reſpondit. Quod facile perſpiciens alter Syndicus Merindolii, cui nomen erat Perronius Regius, Domine, inquit, ſi velis ut parvulorum aliquis ſuos interroget ſodales, non ægrè id præſtabit. Permiſit Epiſcopus. Ibi tum unus è pueris interrogare cæpit alios, ſumma gravitate ac gratia ſingulari: dixiſſes planè præceptoris partes illum agere. Alii verò viciſſim pueri, quærenti adcò aptè & commode reſpondebant, ut ea res auditoribus non mediocrem admirationem afferret. Geſta enim fuit hæc res coram multis: Inter quos erant etiam religioſi quatuor, qui non ita multo ante à Pariſienſi Academia redierant, quorum unus ſic Epiſcopum allocutus eſt. Neceſſe eſt, *inquit*, ut verum fatear, me ſæpius quidem diſpu-

diſputationibus Theologicis Sorbonæ inter fuiſſe, nunquam tamen ex iis tantum pro feciſſe, quantum nunc audiendo puerulos iſtos fructus percepi. Cui tum quidam Guilhelmus Armantius dixit: Legiſti ne unquam, quod apud Matthæum ſcriptum eſt de Jeſu Chriſto: *Gratias ago tibi Pater, Domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & revelâſti ea parvulis!* Illud denique, quod ſub finem prolog; Martyrol. magni extat, pueri Anglicani exemplum humanitatem penè excedit. Fari hic difficulter poterat (erat autem filius *Pauli Muſnier*, Aurelianenſis, in Angliam propter religionem profugi,) & tamen, an Miſſæ intereſſe vellet, quicquam ſe, quàm adire Miſſam malle, dixit. Cùmque ob juveniles annos ignis illi parceret, inaudito crudelitatis exemplo, caudâ caninâ, tergo medicamentis innexâ, optimus juvenis torquendus erat. Liberatus tamen poſtea, diu, adhuc anno 1595. Viviaci, ſupervixit.

4. Illa porrò hujus Scholæ Theologicæ lectio memorabilis eſt, *quâ veritas nobis confirmatur promiſſionis Dominicæ*, Matth. X. v. 16. factæ: *Ecce*, inquit Chriſtus, *ego mitto vos ut oves in medium luporum: Eſtote igitur prudentes, ut ſerpentes, & ſimplices ut columbæ: Cav e-*

Cavete autem ab hominibus, tradent enim vos in conſeſſus, & in conventibus ſuis flagellabunt vos: Sed & ad præſides ac reges ducemini, mea cauſa, ut hoc ſit eis & Gentibus teſtimonium: Sed quum tradent vos, ne eſtote ſoliciti, quomodo, aut quid loquamini, dabitur enim vobis illo momento quod loquamini. Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, is eſt qui loquitur in vobis: Tradet autem frater fratrem ad mortem, & pater filium, & inſurgent liberi in parentes, & morte multandos eos curabunt: Et eritis exoſi omnibus propter nomen meum, verùm, qui ſuſtinuerit ad finem uſque, is ſervabitur. Nihil Prophetica Chriſti heic habet promiſſio, quod abundè impletum per ſanctos Martyres non fuerit. Illud cumprimis mirari meritò ſubeat, nihil ab fallaciſſimis opponi potuiſſe Sophiſtis, quod non; nihil impediente vel pædore carceris, vel ſpumantium & mortem in momenta minitantium Inquiſitorum, torva fronte; à Candidatis illis Martyrii, laicis ſæpe & illiteratis, ſolidè fuerit ſolutum. Ut dubium nulli eſſe poſſit, non carni & ſanguini, ſed efficaci Sp. S. gratiæ tam promtas reſponſiones, & Apologias ferendas acceptas. Percurramus breviter primaria Theologiæ capita, digitúmque ad Controverſiarum potiſſimarum examen, ex i-

pſis

Compendium Theologia Martyrologica.

pſis Martyrum actis, intendamus. Initium facimus *à Scriptura Sacra.* De ejus *certitudine*, unde conſtaret, Sacram Scripturam eſſe verbum, videatur reſponſum *Martyrum Cameracenſium*; Rer. in Eccleſ. geſt. lib. X, pag. 313. *Ludovici Marſaci*, contra execrandam blaſphemiam Subpræfecti Lugdunenſis, Id. l. 9. pag. 257. quam & *Sleidanus* l. XXV. explicat. *Dionyſius Peloquinus*, Eleuteropoli d. 11. Sep. 1553. exuſtus, ab Inquiſitore rogabatur: *Quis tibi dixit, eam eſſe Scripturam Sanctam: Et quomodo id ſcire potes, niſi Eccleſia te de eo certum reddiderit?* Ego autem (ita Martyr) optimè ſciebam eum intelligere Papæ Eccleſiam; itaque ei reſpondi, *Eccleſiam non eſſe, quæ mihi id perſuaderet; ſed ſolùm Sp. S. qui mihi veriſſimum ac certiſſimum in conſcientia mea teſtimonium redderet, ita ut cupiam vivere & mori in ejus obedientia: Quæ quidem, inquam, authoritatem ſuam à veteri Eccleſia non accepit. Nam hoc quidem eſſet præpoſterè atque perversè ordinem invertere; quum Eccleſia potiùs ſit fundata in doctrina Prophetarum atque Apoſtolorum Domini noſtri* Jeſu Chriſti, ſicut Paulus 2. Cap. ad Epheſios teſtatur, Id. lib. VIII. pag. 252 Ad *objectionem* Epiſcopi Chiceſtrenſis Johannes Filpottus in carcere appoſitè reſpondit. *Annon*, inquiebat Chiceſt.

A. De Scriptura.

Chiceſt. *Auguſtinus fatetur, ſe Evangelio non crediturum, niſi Eccleſiæ adactum authoritate?* Reſp. Filpott. *Haud inficiandum, quin Eccleſia multum momenti conferat, maximè apud incredulos, ad fidem conciliandam. Caeterùm, nequaquam tamen ab ea pendet verbi authoritas ac firmamentum, nec ab ullis mortalibus; ſed à Deo ſimpliciter. Sunt homines ejus promi tantùm ac diſpenſatores, nec ſolum authoritate, ſed & origine verbum Dei præcedit Eccleſiam, ejusque porrò ceu fundamentum exiſtit. Iam in omni ſtructura baſis primum ac fundamentum collocatur, ex eo poſtea ſurgunt reliquiæ ædificii partes*; Fox.pag.625. *De libris Apocryphis* judicium *Godefridi de Hamelle*, Tornaci an. Chr. 1552. combuſti, extat Rer. geſt. lib. VIII. pag.225. *Vnum*, inquit, *penè oblitus eram, quod, ut me fraudulenter circumvenirent, Purgatoriumque ſuum approbarent, ex me ſcire voluerunt, quosnam libros S. Scripturæ ego reciperem, atque approbarem? Quibus ego reſpondi, vetus ac N Teſtamentum. Tum illi, omniane, inquiunt, credis eſſe bona ſanctáque? Maximè, inquam, exceptis iis libris, qui Apocryphi appellantur, quibus fundamentum fidei meæ niti nollem, neque eorum authoritatem pro capitibus fidei, aut firmamentis allegare: Cùm cæteros, qui fidei meæ ſatisfaciunt, approbem.* Cur, inquiunt hos

hos potiùs, quàm alios hoc judicio fidei amplecteris? Quoniam, inquam, hi habent tam inſignem authoritatis notam, ut ſpiritum eorum authorem eſſe dubitare nullo modo poſſim: de cæteris verò, quorum certus non eſt author, idem affirmare non poſſim. *De judice controverſiarum*, S. Sc. quàm appoſitè Filpottus contra Storium. Quærit *hic*: Quem demum judicem adhibebis verbi hujus, quod prædicas? Reſpondit *ille*: Quem certiorem verbi judicem, quàm verbum ipſum ſtatuemus? Annon, regerit *Storius*, videtis miſerandam bellui hujus hæretici ignorantiam? Verbum ipſum vult verbi eſſe judicem. Nam quid loqui verbum poterit? *Filpottus* Niſi luculenta authoritate & perſpicuis rationibus, quod dixi, ſuffulciam, meritò habear hæreticus, imperitus, & quicquid denique ſuaſerit tibi ſplendida bilis. Chriſtus Dominus apud Johannem: Verbum ait, quod locutus ſum, judicabit in noviſſimo die. Quòd ſi igitur verbum judicem habituri ſimus, multò nunc minus eundem nobis judicem aſpernari convenit. Deinde nihil dubito, quin eo die judicem hunc à meis partibus habiturus ſim, qui me abſolvet & juſtificabit in ſeculo ſecuturo &c. *Fox.* pag. 568. Confer ejuſdem

dem conciliationem locorum ἐναντιοφανῶν ab adverſariis objectam, p. 574.

De *Traditionibus* & *praeceptis Eccleſiaſticis. M. Petrus Brulius*, Lotharingus, Thornaci d. 17. Febr. 1545. in cineres redactus, de *Traditionibus humanis* interrogatus, an omnes amplecteretur, reſpondit: *Se eas approbare ac recipere ut bonas, quae ad finem aliquem politicum & civilem referuntur: Caeteras verò improbare ac repudiare, cujus generis ſint prohibitio conjugii facta Sacerdotibus ac Monachis. Item interdictum veſcendi carnibus certis diebus, aliaque quisquiliae, ac ceremoniae hujusmodi, quibus obligare volunt animas, etiam poena peccati mortalis poſita:* Rer. geſtar. lib. IV. pag. 89. *Guilelmus Neel*, Monachus Auguſtinianus Aurinci an. Chr. 1553. in Martyrum numerum relatus, de traditionibus ſolidè diſſeruit. *Angeli*, inquit, *ipſi, qui Dei throno adſtant, ut ad nutum illi ſerviant, quique virtus Dei in Scriptura vocantur, creaturae ejus omnium excellentiſſimae, in hoc toti, ut voluntati Dei obſequantur, miſſi ad praeſidium eorum, quos Deus ad haereditatem beatae immortalitatis praedeſtinavit, ut eſt in Epiſtola ad Hebraeos, nunquam de ſuo quicquam hominibus propoſuerunt. Prophetae deinde, excellentiâ poſt illos ſecundi, os Domini appellati nihil unquam ex ſe commenti ſunt,* Chriſtus

B. Traditionibus.

etiam ipſe, qui hos ſecutus eſt, hoc pacto loquitur: Doctrina mea non eſt mea; ſed ejus, qui miſit me, Patris: Atque id variis locis iteravit ipſe, qui exemplum ſanctitatis erat, Filius nempe Dei viventis. Apoſtoli quoque nihil præter doctrinam Evangelii ſibi commiſſam, prædicârunt: cujus ea eſt potentia & virtus, ut ſalutem afferat omni credenti. At Papa cum ſuis Prælatis voluit ſibi plus dignitatis vel authoritatis attribuere, qui maximis Deum contumeliis afficiunt, quò ſuas traditiones tueantur. Adeò ut non modò nulla pœna in Papatu afficiatur, qui ſtuprum aut adulterium commiſerit, ſed etiam ab hominibus laudetur. Verùm, ſi quis fortè buccellam porcinæ carnis comederit die Veneris, aut craſſos abuſus eorum reprehenderit, continuò ad ſupplicium pertrahitur miſer; *Ib.* pag. 270. Primi in Germania inferiori Martyres *Henricus Voes, & Iohannes Eſch*, rogati, putentne peccatum eſſe mortale, ſi quis Patrum, & Pontificis Romani decreta violet? Reſponderunt: Solis præceptis divinis hoc eſſe tribuendum, ut abſolvant aut condemnent; *Ib.* pag. 38. *Hauxus*, Epiſcopo Londinenſi, quaſi ille nihil admitteret in Eccleſia, præterquam quod Scriptura ſola habet, ipséque nudè

nudè reliquit Chriſtus; regeſſit: Qui aliud docet, quàm Chriſtus ipſe me docuit, ei non ſum habiturus fidem, *Fox.* pag. 450. Nono articulo *Iohanni Borthuicho*, Equiti aurato in Scotia an. Chr. 1540. per Cardinalem, Epiſcopos, Abbates, exprobrabatur, *quòd publicè tenuerit, dixerit, affirmârit, prædicârit & dogmatizârit, leges Eccleſiæ, videlicet ſacros Canones, ab Eccleſia Catholica, Sancta & Apoſtolica approbatos, nullius eſſe valoris aut vigoris, inferendo propterea, & affirmando, eadem eſſe contra legem Dei condita & excogitata.* Ad quæ *Borthuicus*: Abſit, inquit, ut quæ ab Eccleſia Sancta, & Apoſtolica approbata ſunt, dixerim nullius eſſe valoris. Nam ſatis mihi conſcius ſum, Eccleſiam Sanctam & Apoſtolicam nihil unquam approbâſſe, nihilque ſtatuiſſe, aut docuiſſe, quòd ab ipſo Domino non didicerit. Teſtes ſunt Apoſtoli, Petrus & Paulus, quorum alter nihil audet liberè loqui eorum, quæ per ſe non effecit Chriſtus in obedientiam gentium: Alter verò hortatur, ut ſi quis loquitur, loquatur ut eloquia Dei. Sed leges damno, quas pro arbitrio ſanxerunt ſuo Romani Pontifices, quas ſpirituales eſſe dicunt, ad animam pertinentes, & ad vitam æternam neceſſarias. Quando quidem jus con-

dendarum legum fuiſſe Apoſtolis incognitum, oſtendunt illorum ſcripta: deinde toties ore Domini Miniſtris Eccleſiæ ademtum fuiſſe, Scripturæ produnt, ut procul abſit omnis à verbo Dei defectionis excuſatio ab illis, qui novas aliquas leges, in populum Dei intrudere præſumunt, quod luce ipſa lucidius multis paſſim Scripturæ locis redditur. Id quod deinceps Chriſtianus ille miles, & vere aureus Eques prolixè deducit, locisque Scripturæ evidentiſſimis nihil contra Scripturam, velut legem, obtrudendum, oſtendit; Id. pag. 174.

C. Conciliis. De *Conciliis*, Martyrum Cameriacenſium confeſſio luculenta fuit. *Quod autem*, inquiunt, *attinet ad Conciliorum, quam ipſi usque adeò jactant, authoritatem, reſpondemus, nobis probari quod decretum fuerat ac ſtatutum de capitibus religionis Chriſtianæ, modò ex Dei verbo, quod intelligatur pro fidei Analogia, ſicut Paulus Rom. 12. docet. Illos verò tantùm ea tueri, quæ ad ſtabiliendam Papæ tyrannidem faciunt.* Rer. in Eccleſ. geſtar lib. XI. pag. 314. Confer etiam Fox pag. 456.

D. Authoritate Papæ. De *Papæ* cumprimis *authoritate* frequenter & copioſè diſſerendum fuit beatis Martyribus. Nobis reliquorum loco unus ſit, Eques ille auratus, Scotus, *Iohannes Borthui-*

cus,

chus, qui per clerum reus in primo ſtatim limine agebatur læſæ Majeſtatis Pontificiæ, *quòd negaret Sanctiſſimum Dominum Papam, ceu vicarium Chriſti in terris habere, aut exercere poſſe majorem authoritatem in Chriſtianos, quàm alium quemcunque Epiſcopum vel Sacerdotem.* Ad quæ Borthuicus: *Suum Dominum, ſanctiſſimi titulo* ornant, haud ſecus atque prædones facere ſolent, dum ſuorum latrociniorum anteſignanos probos ubique viros prædicant, cum conſtet, orbem capere neminem, qui luxui magis indulgeat, qui turpes delicias avidius ſectetur, qui denique omnibus vitiis, ut proditione, homicidiis, rapina, aliisque id genus ſceleribus ſcateat.

Porrò quod dicunt, *illum in terris vicarium Chriſti*, facile revincetur, ubi palàm factum fuerit, ipſum non habere, nec poſſe exercere majorem authoritatem in Chriſtianos, quàm quicunque alius Epiſcopus vel Sacerdos. Ad vicariatum enim referunt illam, quam tantopere jactant, authoritatem. Ea igitur ſublata, corruit Vicariatus. Ut autem rem aggrediar, inprimis ab hujus præeminentiæ aſſertoribus peto, unde illam volunt eſſe conſtitutam? Scio, quid mihi reſponſuri ſint. *Petrum* poteſtatem habuiſſe ſuper Apoſtolos,

adeóque ſuper univerſalem Eccleſiam, quæ poteſtas per ſucceſſionem translata eſt ad Romanos Epiſcopos. At quàm impudenter mentiuntur, facile percipiet, cui vel una duntaxat eſt judicii ſcintilla, ubi quæ ad confirmandam noſtram ſententiam adducimus Scripturarum teſtimonia, audierit.

Actorum XV. in Concilio refert Petrus, ſi quid eſt faciendum, & quid opus factu ſit, admonet: Sed idem & alios ſimul audit, nec locum tantum concedit dicendæ ſententiæ, ſed & arbitrium illis permittit, & ubi ſtatuerunt, ſequitur & obtemperat. Eſt ne illud habere ſupra cæteros authoritatem?

Deinde, cùm *in priori Epiſtola ſcribit ad Paſtores ſeu Presbyteros*, non mandat ex imperio quaſi ſuperior: Sed collegas ſuos facit, & comiter hortatur, ut inter æquales fieri ſolet. Hæc enim ſunt illius verba: Presbyteros, qui inter vos ſunt, obſecro, qui ſum & ego Presbyter, ac teſtis afflictionum Chriſti, atque idem conſors gloriæ, quæ revelabitur, paſcite qui in vobis eſt, gregem Chriſti. Cur igitur Petri ita vendicant, quam nunquam in ſe agnovit, authoritatem? Sanè non dubito, quin Petrus, ſi hîc eſſet, eadem ſeveritate eorum

eſſet

eſſet correpturus amentiam, qua olim Moyſes, Joſua, qui im̃oderato Zelo pro ipſo flagrabat. Non dubito plerosque in hac ementita Petri authoritate magis inania præſidia, ad fulciendam Paparũ tyrañidem quærere, quàm ut ipsũ cæteris præficiant.

Porrò, cùm Act. VIII. *jubetur à Collegis cum Iohanne ire in Samariam, non detrectat.* Ac quòd eum mittunt Apoſtoli, eo declarant ſe minimè eum habere pro ſuperiore. Quòd obſequitur, & negotium ſibi mandatum ſuſcipit, eo fatetur, ſibi cum illis eſſe ſocietatem, non adverſus eos imperium. Quòd ſi nihil iſtorum extaret, una *tamen Epiſtola ad Galatas* omnem dubitationem eximere nobis poteſt, ubi duobus ferè capitibus nihil aliud contendit Paulus, quàm ſe honore Apoſtolatûs Petro eſſe parem. *Primò* namque commemorat, ſe ad Petrum veniſſe Hieroſolymam, non ut ſubjectionem profiteretur, ſed tantùm ut teſtatam omnibus faceret doctrinæ conſenſionem, Petrúmque nihil tale poſtulâſſe, ſed dediſſe ſibi dexteram ſocietatis, ut communiter in vinea Domini laborarent: *Deinde*, ſibi non minorem gratiam collatam eſſe inter gentes, quàm Petro inter Judæos; *denique* cùm minus fideliter ageret Petrus, fuiſſe à ſe corre

ptum, & reprehenſioni paruiſſe. Hæc omnia palàm faciunt, fuiſſe æqualitatem inter Paulum & Petrum; & nihilo fuiſſe plus poteſtatis Petro in reliquos, quàm ipſi in Paulum erat. Atque id ex profeſſo agit Paulus, ne quis ſibi in Apoſtolatu, vel Petrum, vel Johannem anteferat, qui collegæ erant, non invicem Domini.

Itaque *hi Scripturæ loci efficiunt*, ut Petrum cæteris Apoſtolis ſuperiorem non agnoſcam, neque Papam aliis Epiſcopis. Sed unicum Eccleſiæ caput confiteor eſſe Chriſtum, fundamentum ac ſummum Sacerdotem, qui unica oblatione perfectos efficit in perpetuum eos, qui ſanctificantur, dicóque confidenter cum Gregorio, quòd, quisquam ſe univerſalem Sacerdotem vocat, vel vocari deſiderat in elatione ſua, Antichriſtum præcurrit, quia ſuperbiendo ſe cæteris præponit. Jam quod ex veteri lege ſummum ſacerdotium, ſummum item judicium, quod Hieroſolymis inſtituit Deus, allegant, reſpondeo: Summum illum Pontificem fuiſſe Chriſtum, in quem jus Sacerdotii nunc translatum eſt. Nec quisquam tam impudens ſit, qui in vices hujus honoris illi ſuccedat. Quum non in doctrina modò, ſed in propitiatione Dei, quam morte ſua peregit Chri-

Chriſtus, & illa interceſſione, qua nunc intercedit apud Patrem, hoc conſiſtat Sacerdotium.

Quod porrò ex novo proferunt Teſtamento *Matth. XVI. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram &c.* Hoc ſi particulariter dictum Petro exiſtimant, facile eis *Cyprianus* & *Auguſtinus* reſpondebunt, non ideo id feciſſe Chriſtum, ut unum hominem aliis præferret; ſed ut ſic Eccleſiæ unitatem commendaret. Ita enim loquitur Cyprianus: *In perſona unius hominis Dominus dedit omnibus claves, ut omnium unitatem denotaret: Hoc utique fuerunt reliqui, quod erat Petrus, pari conſortio præditi, & honoris & poteſtatis; ſed exercitium ab unitate fieri conveniebat, ut Eccleſia Chriſti una monſtretur.* Auguſtini verò hæc ſunt verba: *Si in Petro non eſſet Eccleſiæ myſterium, non ei diceret Dominus, Tibi dabó claves regni cælorum. Si enim hoc Petro dictum eſt, non habet Eccleſia. Si autem Eccleſia habet, Petrus quando claves accepit, Eccleſiam totam deſignavit.* Iterum, cùm interrogati eſſent omnes, ſolus Petrus reſpondit: Tu es Chriſtus. Ei dicitur: Tibi dabo claves. Quaſi ligandi ac ſolvendi ſolus acceperit poteſtatem. Cùm & illud unus pro omnibus dixerit, & hoc cum omnibus tanquam perſonam gerens,

ipſius unitatis acceperit. Ideo unus pro omnibus, quia unitus eſt in omnibus.

Alteram argumentationem conficiunt ex eo, quòd dicit Chriſtus Petro: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, quod nusquam alteri dictum legitur. Quæ nullo negotio diſſolvetur, ſi, quamobrem id nominis Petro (qui alioquin Simon dicebatur) Chriſtus indiderit, noverimus. *Iohannis I.* ita alloquitur illum Chriſtus: *Tu vocaberis Cephus, quod interpretatione eſt Petrus.* Reſpiciens nimirum ad conſtantem illam Chriſti confeſſionem, quam facturus erat: Quemadmodum nomen Abraham (qui prius Abram dicebatur) commutavit DEUS, quòd Pater multarum Gentium futurus eſſet. Ut igitur Abraham nomen ſuum ſortitus eſt à multitudine ex ſuo ſemine egreſſura, ita Petrus à conſtanti illa Chriſti confeſſione, quæ revera petra eſt, ſuper quam ædificatur Eccleſia, non Petrus ipſe, haud ſecus atque Abraham non erat ipſa multitudo, ex qua nomen acceperat. Adhæc invalido nimis fulcro inniteretur Eccleſia, ſi Petrum fundamentum haberet, qui unius ancillulæ voce proſtratus, tam conſtanter Chriſtum abnegavit. Nunc igitur neminem eſſe puto, qui non intelligat

gat, quomodo huc atque illuc detorquent Scripturas architecti Romanenſes, ac inſtar Lesbiæ regulæ pro ſua libidine accommodant, quocunque viſum eſt.

Porrò, quòd ex cap XX. Johannis adducunt: *Paſce oves meas*, nimis puerile eſt. Neque enim *paſcere oves*, eſt toti Eccleſiæ præſidere. Ad hæc ut mandatum Petrus à Domino acceperat, ita alios omnes Presbyteros hortatur, ut paſcant Eccleſiam, 1. *Petr.* 1. Hinc colligere licet, aut illa Chriſti voce nihil præ aliis datum eſſe Petro, aut Petrum jus, quod acceperat, cum aliis ex æquo communicâſſe, neque illud ſervâſſe ſibi poſt mortem ad Romanos Epiſcopos transferendum. Hæc *Borthuicus* apud *Fox.* pag. 167. Sed & *Filpottus* apud eundem, pag. 566. 585. 610. antiquitatem primatus convellit ex Cypriano. Adde confeſſionem *Guil Neel*, ex Comment. rer in Eccleſ. geſt. pag. 274. Martyrum Cameriacenſium, pag. 314.

E. Fuiſſe Martyres, qui vel propterea, quòd *ſtatuas aut imagines colere* nollent, aut eas non colendas quocunque modo proderent, ad ignem condemnatos, vel *Rochi* illius ſtatuarii Antverpienſis probat exemplum, de quo *Comment. rer. in Eccleſ. geſtar.* lib. V. pag. 157. Maſcula verò apud *Fox.* p. 457.

E. Imaginibus.

p. 457. diſputatio extat *Hauxi.* *Quicquid*, inquit, *ſculpitur, aut conflatur, aut alioqui quocunq; modo fit arte, ac manu hominum, quo Deo ſua ſpoliatur gloria, Idolum eſt.* Epiſcopus Londinenſis: *Quæ nam ſunt illa, quæ DEO detrahunt ſuam gloriam.* Haux. *Crucifixi imago, quam in circulis ac ſupplicationibus veſtris circumfertis, apertam in ea Idololatriam committentes.* Epiſc Hanc *tu putas Idololatriam?* Haux. *Certiſſimè: idque* ipſe adeò non ignoratis, ſi verum liberet fateri. Sed dignitatis ac honorum ſtudio, vobis nihil habetur penſi, ſervire Sathanæ. *Epiſc.* Garris modò. Cæterum, quod ad imagines attinet, ſic dico. *Idolum quodcunq; imago eſt, ſed non quævis imago illico Idolum ſit.* Haux. *Quantulum diſcriminis inter Idolum & imaginem proclivis erit indicatio ſi horum utrum libet cum altero committimus. Nam imagines veſtræ annon pedes habent, & non ambulant: none oculos habent, nec vident: aures & non audiunt: manus & non palpant: os habent & non loquuntur: quæ omnia propriè in Idolum competunt.* Chadſeus. Pauli vox eſt: Abſit mihi gloriari, *niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Haux. *Siccine Paulinam intelligis gloriationem?* Ad quæ non verbum reſpondit ille. Tum *Epiſcopus:* Quæ res, inquit, nobis efficacior eſſe poterit per viam equitantibus, ad me

memoriam ſanctarum rerum, quàm crucis contemplatio? *Haux.* Quæſo te, o reverende, an talia exempla uſquam reperis in Sacris Scripturæ monumentis? *An uſquam fando aut legendo audieris, Chriſtum aut Apoſtolos in ſupplicationibus aut litaniis crucem circumgeſtâſſe, ſalve, feſta dies, cantillantes, ut ipſi ſoletis?* Chads. *Iam olim inductum illud eſt, per quandam Hellenam.* Haux. Sic habet. Namque miſerat olim eadem Hellena in Monaſterium, in quo ſerviebam aliquando, crucis fragmentum. *Poſtq., cùm ſubverſis religioſorum cœnobiis fruſtulum illud crucis poſtularetur, compertum eſt, ex fractura, fragmen fuiſſe pervetuſti aſſeris, lamina cuprea intecti.* Epiſc. *Vah pudeat te talibus mendaciis invidiam movere rebus religioſis.* Haux. *Quod veriſſimum eſſe novi & credo, cur fateri pudeat? Imò præter iſtud etiam ſexcenta novi ejuſdem exempli monumenta &c.* Vid. & *rer. in Eccl geſt.* l. III. p. 85. *L. V.* p. 157. *L. XI.* p. 317.

De *invocatione Sanctorum*, Guilelmum Gardinerum audiemus Anglum, Lysbonæ, urbe Portugalliæ primaria a. Ch. 1552. exuſtum, virum, *Foxi* judicio, ſummis ac præcipuis non modo ævi noſtri Martyribus æquandum, ſed; quo nec priſcæ Eccleſiæ vetuſtas oſtendat Martyrem inprimis illis perſecutionibus illuſtriorem. Erat in loco *F. Cultu Sanctorum.*

co ſupplicii machina, unde cannabinus funis ex trabe tranſverſa per rotulam demiſſus volutilem, Chriſti Martyrem medio corpore circumdatum, primò ſublinem arripit. Infra quam vehementiſſimè è pyra accendebatur, in quam ſenſim dimittitur ille, non toto corpore; ſed ita, ut pedibus tantùm ardores ſentiret. Deinde ſublatus, atque demerſus iterum in flammas, ſubinde trahitur ac retrahitur, velut per intervalla redeunte cruciatu, in quo tamen ille magno ac libero ſpiritu perduravit, quantóque ardet vehementius, tantò precatur ardentius. Tandem conſumtis jam pedibus, & truncatis manibus, rogant incendiarii, ecquid eum facti demum pœniteret, *ſimúlque ad Mariam, divósque invocandos hortantur. At ille, ut nihil admiſerit, cujus eum valde pœniteret, ita minus eſſe, quod Mariæ divorúmque præſidio indigeret, reſpondit. Adderent illi quantum vellent externis tormentis, veritatem tamen ſemper eandem eſſe, ac ſui ſimilem, quam ut vita prius confiteretur, ita nec morte nunc eſſet negaturus; proinde deſiſtere ipſos ab hujuſmodi ineptiis rogat. Quando autem deſineret eſſe advocatus Chriſtus, Mariam tum adhibiturum ſe advocatricem.* Æterne, inquit, Deus, Pater miſericordiarum, reſpice, quæſo,

ſo, ſervum tuum &c. Quúmque illi precantem hunc in modum, & laudantem DEUM, quibuscunque poſſent modis & convitiis impedirent, magna voce exclamans, Pſalm 43 recitavit: *Iudica me Deus &c.* Id. pag. 208. *Iohannes Filieul, & Iulianus Leveille*, Sampetri in Gallia a. Ch. 1554. Martyrio afficiendi rogabantur, an nullo honore vel veneratione Sanctos cenſerent proſequendos? *Honorem?* inquiebant, *depeculari ſanctorum minimè volumus: at debitam uni Deo gloriam auferre, & ſanctis adſcribere, id quidem ſit vel ipſorum voluntati ſanctorum intemperanter obſiſtere. Scitum enim ſcriptúmque eſt, ad Deum honorem & gloriam unum referri ſemper oportere.* Rer. in Eccleſ. geſt. lib. X. pag. 314. De veneratione Sanctorum (inquit *Petrus Brulius*, l. IV. pag. 86.) quæſiverunt ex me, quid de ea ſentirem, quibus ego reſpondi, *nos melius non poſſe ſanctos honorare, quàm ſi fidem, quæ fuit in illis, ſequeremur; eodémque modo charitatem, patientiam, humilitatem, aliásque eorum virtutes imitaremur, quibus illi Ieſum Chriſtum ſequuti ſunt, & imitati.* Nam in eo quidem tantummodo nobis ad imitationem proponi debent, in quo Chriſto Domino conformes extiterunt, ejúſque exemplum ſequuti ſunt, ſicut monet Apoſtolus,

ſtolus : Eſtote mei imitatores, ſicut ego ſum Chriſti. Feſtos verò dies ſanctorum inſtituere ac celebrare, Jejunia vigiliis eorum indicere atque obire, imagines effingere, eisque accendere candelas, hoc non eſt ſanctos honorare, ſed potius ex his Idola facere, eósque omni dedecore afficere. Hoc autem ita eſſe, illud facile declarat, quòd illi in hac manentes vita, hujusmodi cultus ſemper deteſtati fuerunt. Quæſiverunt etiam ex me, *quid mihi videretur de iisdem Sanctis orandis, atque invocandis, eorúmque interceſſione apud Deum?* Reſpondi, eam doctrinam non eſſe Dei, ſed potius blaſphemiam ejus non ferendam. Hoc enim modo illis attribui, quod ad unum Deum pertinet, qui ſolus res cognoſcit abſentes : quam poteſtatem ſanctis defunctis attribuunt, cùm credunt illos audire preces ipſorum, cùm eos orant, quaſi neceſſitates ipſorum cognoſcerent. Præterea hujusmodi doctrina cum Chriſti contumelia eſt conjuncta, qui unus Mediator, Advocatus, atque etiam Interceſſor à Deo patre eſt conſtitutus. Atque hoc quidem de iis, qui ex hac vita deceſſerunt, intelligendum puto. Cæteri verò, qui in ea remanſerunt, alii pro aliis orare poſſunt, & ſe mutuis precibus, orationibús-

nibúsque adjuvare. Addatur & egregia de uno, puro, & innocente Mediatore Chriſto, confeſſio *Godefridi de Hamelle*, Tornaci d. 23. Julii 1552. exuſti, *ex lib. VIII.* p. 224.

G. *Libero arbitrio.* *Liberum arbitrium* contra Semipelagianos orthodoxè explicuit *Petrus Scriba*, Bonionienſis ex Vaſconia, contra Dominicanum ex Thoma argumentantem, lib. VIII. pag. 232. Item *Petrus Brulius*, l. IV. p. 87. Quæſtio (ita *Epiſtolâ ſuâ ad uxorem*) de libero arbitrio minimè fuit prætermiſſa: In qua diligenter à me quæſitum eſt, quid de eo ſentirem. Reſpondi, ut ſermo de libero arbitrio pro dignitate rei haberi poſſit, hominem pro diverſo ac vario ipſius ſtatu, in quo verſatus eſt, variè conſiderandum eſſe. *Primùm*, credo hominem primum ad ſimilitudinem DEI atque imaginem creatum, habuiſſe libertatem tam ad bonum, quàm ad malum, eúmque ſolum, quæ eſſet vis & facultas liberi arbitrii cognoviſſe, quo ad in integritate ſua permanſit. *Sed homo miſer atque infelix hoc Dei donum non diu retinuit, ſed ſuo peccato illud amiſit:* Neque is ſolùm, verùm etiam ii omnes, qui ex naturali Adæ ſemine ſunt orti ac propagati, adeò ut nullam prorſus facultatem habeant, qua relicti in ſua natura, aliquid boni coram DEO facere

P poſ-

tamen id perfectè. Nam ut bonum opus plenè perfectéque præſtetur, nunquam in eo reperietur; ſed novo ſubinde DEI auxilio indiget. Hoc enim Apoſtolus de ſe teſtatur, *Rom.* 7. Velle quidem mihi adeſt, ſed perficere in me ipſo non reperio. Itaque noſtrum liberum arbitrium ampliùs non eſt in nobis, ſicut in primo fuit homine, qui bonum, ut volebat, ita efficere ac præſtare poterat. Atque hic quidem defectus à corruptione naturæ noſtræ proficiſcitur, non ab imbecillitate ulla Jeſu Chriſti reſtauratoris.

H. Providentia.

Providentia Martyrum etiam ſupplicia ſubeſſe, ſummum erat ſolatium; Adverſariis hæreſis. Cùm *Iohannes Bradfordus* Orthodoxam de Cœna ſententiam, ex antiquitate etiam, prolixè coram Epiſcopo Vintonienſi, regni Cancellario, d. 30. Jan. 1555. aſſeruiſſet, poſt multa ultro citróque ea de re agitata, Bradfordus pro hæretico demum habebatur. Qui haud quicquam eo commotus, pergere eos juſſit Domini nomine; *quòd quicquid in eum ſtatuere vellent, aut debacchari poſſent, jam dudum animo ſuo decretum eſſe perpeti: quum ſciret, nihil eos effecturos, quod non Providentia divinæ ſtabili deſtinatione jam ante firmatum eſſet.* Ad quod Cancellarius: *Ecce*, inquit,

ex una jam aliam pullulantem hæreſin, de fatali nimirum neceſſitate! Quaſi rerum cauſæ, Stoicis quaſi vinculis ſic inter ſe connexa ſint, ut neceſſe ſit omnia ita cadere, quæcunque accidant. At Bradfordus rurſum orare, ut candidè, æquàmque in partem, quæ dicerentur, acciperet, animúmque perpenderet dicentis, non verba in alienum intorqueret ſenſum. Scire prudentiam ipſius, inter Deum & hominem intereſſe plurimum. *Cæco fortunæ & temerario curſu nihil fieri apud Deum, etſi nobis ſæpe ita videatur Se non aliter hic loqui, quàm locuti ſint ante eum Apoſtoli in Actis, his verbis conquerentes apud Dominum:* Convenerunt enim verè adverſus ſanctum filium tuum Jeſum, quem unxiſti, Herodes & Pontius Pilatus, cum gentibus & populis Iſraël, ad faciendum quæcunque manus tua & conſilium tuum prius decreverunt fieri &c. *Continuo Cancellarius excommunicationis adverſus eum ſententiam ſcripto comprehenſam* perlegit, *Fox.* pag. 483.

I. Perſona Chriſti. De *Perſona Chriſti* nihil noſtris objicere poterant, quod tyrannidem illorum & crudelitatem ſuſtentaret: Niſi quòd πολυτοπία corporis Chriſti contra Pontificios Miſſaticos fuit profliganda. Id quod factum eſt per *Nicolaum Scheterdnum*, Fox. pag. 504

Pri-

Primarium ferè certamen fuit *de Eccleſia*, ad quod ipſi Martyres, teſte Filpotto, apud *Fox.* pag. 555. reliqua ſolebant referre.

Et quidem I. *de authoritate ejus, ad quæſtionem an, ſit authoritas Eccleſiæ ſupra Scripturam,* ſupra jam Martyrum verbis reſpondimus. *Robertum Gloverum* addimus. Rogatus enim ille quî ſciret *verbum DEI, niſi monſtrante & docente Eccleſia?* regeſſit. Præmonſtrare quidem Eccleſiam verbum DEI, quòd ſit, neque tamen ſequi, Eccleſiam eſſe ſupra verbum DEI. Perinde enim eſt, ac ſi quis argutaretur. *Iohannes Baptiſta Chriſtum indicat populo. Eſt igitur Iohannes ſupra Chriſtum, aut ſi ignoranti fortè cuidam, qui nam Rex ſit, Regem commonſtrem, doceámque, ut ſciat, an protinus me ſupra Regem eſſe dixeris?* Cancellarius ad hæc, cum ſe non diſputandi eò gratia veniſſe diceret, argumentum in medio reliquit, mutúſque diſceſſit. Fox. p. 536. *Iohannes Bradfordus* & ipſe Martyr Anglus, Londini an. Chr. 1555. exuſtus, rogatus ab Eboracenſi, *quo pacto verbum DEI cognoſceret, niſi monſtrante docentéque Eccleſia?* Reſpondit: Equidem non inficior, Eccleſiam haud mediocrem præſtare uſum ad Scripturæ cognitionem: Quemadmodum mulier Samaritana nonnihil

K. Eccleſia, & 1. de authoritate.

attulit civibus ſuis adjumenti ad docendum Chriſtum. Verùm ſimulatque ipſi coràm ſunt oculis contemplati, ac loquentem auſcultaverunt, in notitiam illius provecti ſunt, & crediderunt jam non ob mulieris verba, ſed ipſius ſermone ſuisque oculis perſuaſi; ita & Eccleſia velut indicis vice functa, hactenus nobis conducit, ut præmonſtrata, indicatáque vera Scripturæ lectione, poſtea fidem hinc arripiamus, non quod Eccleſia ita pronunciat; ſed quòd ipſi ſcimus eſſe verbum DEI, fidem ei accommodantes; *Fox*. p. 494.

2. Capite. 2. *De capite Eccleſiæ.* Prolixa extat diſputatio *Iohannes Rogerii*, cum Cancellario Epiſcopi Vuintonienſis, ubi oſtendit (d. 22. Januarii, 1555.) nonniſi unicum caput Eccleſiæ eſſe, & quo ſenſu Henrico VIII. axioma illud tributum fuerit; *Fox*. p. 269. Chriſtum non eſſe caput Eccleſiæ Romanæ, ex eo probavit *Hauxus*, quod humanas illa potiùs traditiones, quàm divinam audiret vocem, *Id*. p. 447. Chriſtum, qui omnia implet, non opus habere capite vicario, contra Monachum docuit *Petrus Scriba*, rer. in Eccleſ. geſt. l. VIII. p. 231. Papam non eſſe caput Eccleſiæ, ſed Antichriſtum, apertè faſſus eſt *Dionyſius Peloquinus*, *Ibid*. pag. 251. quæ & aliorum, ad quæſtionem,

nem, an Papa ſit caput Eccleſiæ, fuit reſponſio, Id. pag. 323.

3. *Sed & de Catholiciſmo vero Eccleſiæ,* multa occurrunt colloquia & certamina. Planus & perſpicuus hìc fuit *Filpottus*, qui & palàm fecit, Eccleſiam Catholicā cum Romana non eſſe eandem; & eam demum fidem eſſe *Catholicam*, quæ de *præſentibus, præteritis, & futuris diceretur*, quæ Auguſtini contra Donatiſtas ſententia, ne à præſentibus quidem negari poterat Papiſtis, *Fox*. p. 563. Quin & illud memorabile eſt, Filpottum, aliis argumentis, Eccleſiam Romanam non eſſe Catholicam, probare juſſum, duo in medium attuliſſe, quæ etiamnum primaria cenſeri poſſunt. *Primum* eſt, quòd *non ſit Apoſtolica*, utpote quæ tam latè δὶς διὰ πασῶν ab ejus diſſideat veſtigiis, tum in doctrina, tum in Sacramentorum etiam uſu. *Alterum*, quòd univerſitatis ſeu *Catholiciſmi ratio ei non competat*. Nam, cùm, inquit, *Mundus in tres ſecetur partes, Aſiam, Africam & Europam, Chriſtum æquè ac nos ipſi profitentes, priores illæ nunquam hactenus Romanæ Eccleſiæ partes ſecutæ ſunt. Ex quo efficitur, fidem Eccleſiæ hujus univerſalem neque eſſe, neque unquam extitiſſe. Id quod & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſcriptores pari ac uno omnes conſenſu teſtantur. Deinde & hæc ipſa tem-*

3. *Catholiciſmo.*

pora idem hoc quod dico abundè comprobant. Nam ad hanc ipſam usq; diem Eccleſia Aſiana & Africana cum Romana non concinit. Quid, quod & maxima Europæ pars eidem repugnat: puta Germania, regnum Dacorum, Polonia, Galliæ luculenta pars, Anglia, Zelandia. Vnde facile argui poteſt, Eccleſiam veſtram univerſalem non exiſtere. Pleniorem hujus argumenti demonſtrationem, de Orientalibus Eccleſiis, habet *Topographia* noſtra *Eccleſiaſtica*; Europæis verò Clariſſ. *D. Chappuzii* Europe vivante, pag. 130. &c. quo tamen nomine fruſtra dicam ei impegit *Galleſius* in Diario eruditorum, n. hujus anni V. de quo idem l. cit. p. 312. Extat & aliud Filpotti certamen contra Chriſtoforſonum, quo evicit, verba Cypriani: *Ad Romanos autem, quorum fides Apoſtolo* prædicante laudata eſt, non poteſt accedere perfidia; hodiernæ Eccleſiæ Romanæ Catholiciſmo non patrocinari. Propriè enim de illis hoc loco agi, qui tum ſua tempeſtate Romæ fideles eſſent, quique doctrinam D. Pauli conſtanter, quam ob eo acceperant, retinebant, & quam ille literis ſuis per orbem diffuſis, teſtatam fecerit. Ad tales itaque, quorum fides, prædicante Apoſtolo, laudata eſt, non poteſt accedere perfidia. *Iam ſi*, (ita Filpott. ad Chriſtofors.)

mihi probabitis, fidem hanc Romanæ Eccleſiæ, eandem hac tempeſtate eſſe, quam tum in Romanis prædicabat Apoſtolus, fateor una vobiſcum & cum Cypriano, perfidiam in eos cadere non poſſe; Ib. pag. 610. Eadem dexteritate etiam eluſit, quæ ex *Irenæo, Euſebio*, & aliis de prærogativis Eccleſiæ Romanæ afferebantur, ea cumprimis, quæ ex *Athanaſio*, Concilio adeóque Niceno patrocinari ſibi exiſtimabant, pag. 556. &c. Confer examen *Roberti Smythi*, eruditè de Catholica Eccleſia differentis, pag. 515. & *Filpotti*, definitionem Eccleſiæ Catholicæ, pag. 626.

De notis Eccleſiæ, alii quidem κατασκευαστικῶς, vocem Domini, verbum Dei, urgebant. Illuſtriſſima *Graja. fides mea*, inquit, *ſolidiſſimis divinæ Scripturæ fundamentis, nequaquam Eccleſiæ innititur. Ea enim ſi vera & genuina ſit Eccleſia, ſe ſuaq́ omnia ad certiſſimos verbi divini gnomones exigit: non autem contra, ad hujus placita verbum Dei accommodandum eſt, nec fides mea. An ideo Eccleſiæ fidam, ſolùm antiquitatis cauſa?* Fox. pag. 235. Probat deinde ex ſola mutilatione Symbolorum Cœnæ Dominicæ, Romanam Eccleſiam non eſſe veram Eccleſiam; quo argumento poſtea uſus etiam fuit *Bradfordus*, pag. 485. qui, in eadem occu- 4. Notis.

occupatus palæſtra. doctè monſtravit, non alibi Chriſtum, quàm in verbo ſuo oſtendendum & quærendum; Ib. pag. 487.

5. Splendore. Ad *viſibilitatem* & ſplendorem Eccleſiæ accedimus. Cùm ex *Bradfordo* Harpsfeldius quæreret: *Age dic igitur mihi, Eccleſia ſemper ne fuerit, annon?* Reſpondit Bradfordus: *Inde adeò ab initio rerum conditarum, ſempérque futura eſt.* Inſtanti Harpsfeldio, ut diceret, *eſſet ne Eccleſia hac viſibilis nec ne,* regeſſit: *Fateor eſſe: Ita tamen ſicut Chriſtus ipſe fuit apud homines viſibilis:* Non juxta externam aliquam mundi pompam, nullos præ ſe ferens omnino humanæ gloriæ radios. Itaque ſi Eccleſiam contemplari volumus viſibilem, tales nobis ſunt induendi oculi, qualibus Chriſtus, hic dum viveret, aſpectari à bonis ſolebat. Nam ut Eva ejusdem cum Adamo particeps ſubſtantiæ fuit, non aliter & Eccleſia communem habet cum Chriſto ſubſtantiam: caro de carne ejus, os de oſſibus Sponſi ſui, ſicut à Paulo Epheſ. 5. docemur. Quapropter ut Chriſtus hic viſibilis atque aſpectabilis, ſpectantium oculis pro Chriſto agnoſcebatur, nimirum ex verbo eum, non per aſpectum metientibus, pari ratione & Eccleſiam ipſius in terris viſibilem, aſpectabilémque dixerim. *Harpsfel.* Non hic

hic veni in præſentia diſputaturus: Itaque pergo, & cætera, quæ volebam, perſequi. Quæſo ego te, Eccleſia hæc annon conſtat collecta hominum multitudine. *Brad.* Haud equidem negabo tibi. Quamvis hic latet anguis in herba, juxta Poëticam parœmiam. Video enim ſubeſſe in quæſtione hac neſcio quid fraudis captioſæ. Quæſo viciſſim & ego te: *Tempore Heliæ, & Moſis, quo tempore, commorante ipſo in monte, populus Aaronicus vitulos conflatiles adoravit; ubi erat, aut quæ tum erat viſibilis credentium multitudo.* Harpsfel. *Video te hominem non craſſiſſimæ eſſe naris: ſed ſine tamen ut pergam.* Quid ajs? Eccleſia hæc, annon penes ſe habet verbi adminiſtrationem? *Bradf.* Longa circuitione tempus teris, ut aliquò tandem pervenias. Si verbi Miniſterio puram Evangelii profeſſionem intelligas, aſſentior, alioqui verbi hoc Miniſterium perſæpe, ut ſcis, perſecutione impeditur. *Harpsfel.* Nam ita quidem ſentio. Sed dic porrò, annon Sacramentorum quoque habet adminiſtrationem Eccleſia? *Brad.* Habere fateor; ſed horum quoque adminiſtrationem ſæpe interturbat perſecutio. Verùm, ut rationem omnem conſilii tui præcidam atque enervem (Scio enim Socraticæ iſtæ rogatio-

gationes quo tendant,) Hæreticorum Eccleſiæ, ſi baptiſmum haberent, ejusque uſum Sacramenti frequentarent in baptizandis Chriſtianis, ſicut olim Cypriani temporibus factum legimus: non negabis opinor, baptiſmum eorum hunc nihilominus baptiſmum eſſe, qui etiam iterari non debeat. Hæcque *Bradfordus* eorum, qui interfuerunt, cauſa, anticipavit, quo intelligerent Paptiſticam Eccleſiam, etſi Baptiſmi adminiſtrationem ſibi uſurparet in baptizandis Chriſtianis, nihilo tamen magis propterea veram cenſendum eſſe Eccleſiam, *Id.* pag 488. pag. 495. Cum peteret ex eodem *Bradfordo* Chiceſtrenſis, ubi Eccleſia hæc, cujus doctrinam ille tam libenter amplecteretur, fuiſſet ante annos 400. reſpondit Bradfordus: *Dicam equidem, vel ipſi potiùs vobiſmet dicetis, ſi id mihi unum reſponderitis, ubi nam Heliæ temporibus fuerit Eccleſia tum, cùm diceret Helias, ſeſe relictum fuiſſe ſolum?* Chiceſt. *Hæc nulla ſanè reſponſio eſt.* Brad. *Ita ne dicis? Verum enim verò hæc præſtantiæ veſtræ dictum velim. Si nobis iidem nunc eſſent oculi, quibus illa tum Eccleſia cerni potuiſſet, haudita nunc reſponſionem hanc nullam eſſe diceretis.* Quòd ſi verò vobis Eccleſia hæc conſpicuè non pateat, in cauſa eſt non ipſa Eccleſiæ obſcuritas, quæ con-

conſpici non poſſit, *ſed oculi veſtri glaucomate aliquo vitiati, qui eam cernere nequeant.* Chiceſt. *Na tu falleris plurimum in hac de veteris & novæ Eccleſiæ collatione.* Eboracens. *Rectè quidem abs te dictum D. Chiceſtrenſis: Sic enim Chriſtum audimus dicentem:* Ædificabo Eccleſiam meam: non autem ædifico. Bradf. *Cur hanc, inter utramque Eccleſiam, collationem faciam, cogunt me Petri verba, qui ſimiliter tempora priora cum poſterioribus componens, fuiſſe dicit inter Judæos Pſeudo-Prophetas, qui pro veris Prophetis ſe gerentes, imponebant ſimplicibus: Itá & poſt eum exorituros, qui falſo nomine ſe pro Evangelicis doctoribus venditabunt, quum futuri ſint errorum Magiſtri.* *Porrò quod ad* futurum tempus ædificandæ Eccleſiæ *attinet, non hinc conſtitues, opinor, argumentum, quaſi nulla fuerit ante Chriſtum Eccleſia: quin hoc potiùs colligas, nullam eſſe Eccleſiæ Architectationem, niſi ſolo operante illo: Alioquin rigat quidem Paulus, rigat Apollo, ſed incrementum nemo dat, niſi Dominus.* Et quia valde hoc captioſum noſtris erat; opportunum verò adverſariis videbatur argumentum ab *evidentia & viſibilitate* Eccleſiæ petitum, hinc factum, ut vehementius etiam Inquiſitores inſtarent, tum maximè, quando ſibi cum illiteratis negotium eſſe exiſtimárunt.

Hinc *Epiſcopus Londinenſis* d. 5. Julii 1555. (quo vix crudelior fuit annus) *Robertum Smythum*, pictorem examinaturus, ab hoc capite initium fecit. *Primum*, rogat Epiſcopus, de Eccleſia Catholica quid ſentis, *an ullam in terris eſſe judicas?* Smyth. *Maximè verò Eccleſiam exiſtere Catholicam, ſeu cætum fidelium, quam Apoſtolus fundatam eſſe teſtatur ſuper Apoſtolos & Prophetas, ipſo angulari lapide Ieſu Chriſto: quæ Eccleſia ubique in dictis factisque omnibus verbo Dei unicè innitur, ejusque per omnia authoritate utitur, ſine qua nihil poſſit illa, nec debet etiam; cujus Eccleſiæ & ipſe membrum eſſe per gratiam certò novi, & profiteor.* Epiſc. Scis, *ſi quis me offendat fratrum, qui omnibus fruſtra tentatis modis, reconciliari ſe non patitur, proximum eſſe, ut Eccleſiæ dicatur.* Jam ſi ejusmodi ſit Eccleſia veſtra, ubi tandem eam reperiam, ut ad eam, ſi quando opus ſit, confugiam. *Smyth.* Imo, conſtat in Actis Apoſtolicis, tum, cùm tyrannis Epiſcoporum ferocius in Chriſti Eccleſiam apud Judæos graſſaretur, coactos temporum iniquitate fratres in privatis ædiculis, locíſque ſubobſcuris occultos agitâſſe conventus; ut hodie fit à noſtris hominibus, & tamen id nihil obſtabat, quin Eccleſia eſſet Chriſti. Quod cùm ita ſit, quumque illi ſic per privatos

vatos licèt ſeceſſus, res inter ſe ſuáſque lites ac controverſias componebant, qui minus & nobis eodem facere exemplo liceat? *Epiſc.* At eorum ſat nota erat Eccleſia. Nam divus Paulus ad Corinth. ſcribit, de ſumendo in inceſtum illum ſupplicio. Quod, niſi perſpicua tum fuiſſet Eccleſia, facere illi haud licuiſſet: Veſtra autem prorſus incomperta eſt, nec cuiquam innoteſcit. *Smyth. Si vobis non innoteſceret, quo pacto igitur perſequi ignotam poſſetis adeò ubique ferè locorum?* Verùm, ut Corinthia illa Eccleſia, niſi DEO ac Paulo, id temporis non innotuerat; ita hæc ipſa Eccleſia, quam tam fœdè laceratis, nonniſi DEO, ejuſque membris ſit perſpicua. Quanquam nec impiis etiam omnino obſcura eſt, licèt nec mores ejus, nec veritatem intelligant ipſi, nec intelligere libeat. Vide etiam pag. 620.

Ubi ad ἀνακυκλῶν ventum fuerit, non deerant Sanctis Martyribus argumenta, quibus Eccleſiam Romanam nec *veram*, nec *Catholicam* eſſe probarent. *Illud* luculentiſſima aſſertum ivit inter veram & falſam Eccleſiam antitheſi *Robertus Gloverus*, Fox pag. 527. *Hic*, contra Præſules, qui quatuor argumentis ex Auguſtino pro Romanæ Eccleſiæ Catholiciſmo pugnabant, oſtendit *6. Contra Eccleſiam Romanam.*

tem in tua Eccleſia, ante annos centum aut quinquaginta demonſtrabis. *Filp.* Id neque ad rem magnopere attinet, nec quicquam repugnat Auguſtino. Siquidem Eccleſia hæc, quam meam dicitis, nihilominus univerſalis dicenda eſt, etiamſi vel decem tantùm conſtet hominibus: vel ob hoc ipſum, quòd cum his Eccleſiis, quæ ab Apoſtolis conſtitutæ ſunt, conſentiant. *Fox.* pag. 630. & ubi hoc argumentum (adeò in eo ſibi blandiebantur,) repetitum, ſed & retuſum fuit. Cæteras etiam; quas Eccleſiæ ſuæ veluti hederam Romaniſtæ appendebant; notas, non modò Martyres diluerunt, ſed & falſæ Eccleſiæ characteres convenire Romæ demonſtrarunt. *Prioris* exempla ubique obvia ſunt. De *nomine Catholicorum* repetantur, quæ præcedunt. *Succeſſionem* alii limitârunt. *Nego*, inquit Filpottus, *Epiſcoporum ſucceſſionem firmum omnino ac neceſſarium eſſe probanda Eccleſiæ argumentum: Fieri enim poteſt, ut ibi Epiſcoporum continua ſerie ſuccedentium ordo inveniatur, ubi Eccleſia nunc ſit nulla, velut Antiochia & Hieroſolymis, aliisque in locis, ubi Apoſtoli non minus quàm Romæ commorabantur. Quòd ſi verò ad ſucceſſionem Epiſcoporum doctrinæ etiam adjunxeris (cum Auguſtino) ſucceſſionem, fatebor argumento nonni-*

hil ineſſe ponderis, *Fox.*pag.627. Alii, ſucceſſionem Epiſcoporum localem, probare Eccleſiam, ſimpliciter negârunt. Id quòd prolixiùs tentavit aſſerere *Bradfordus*, quod videret, Eccleſiam Romanam hac deſtitutam columna protinus ruituram, velut alto è culmine Trojam. Cùm enim *Harpsfeldus* Archidiaconus, repetito ſermone de ſucceſſione ageret Epiſcoporum, eámque continuam edocere cæpiſſet, primum in Anglia ad annos 800. in Gallia atque Lugduni ad annos, 200. in Hiſpania atque in urbe Hiſpali per annos 800. Mediolani porrò, atque in Italia annis 1200. Quod ipſum cùm & in Oriente confectum dare fategiſſet, peroratis tandem hiſce, exitum orationis ſimul cum exhortatione atque interrogatione clauſit. *Exhortatio* huc tendebat, ut Bradfordus hanc Eccleſiam agnoſceret. *Interrogatio* verò hujusmodi erat: *An ipſe viciſſim in Eccleſia ſua, conſimilem ſucceſſionis ſeriem exhibere poſſet?* Ad quam longam & verboſam Hiſtoriarum ſeriem Bradfordus reſponſurus, *Equidem*, inquit, *ita arbitror, ſi à Chriſto ipſo, aut Apoſtolis tum, quum hic adeſſent, Phariſæi ſucceſſionem exegiſſent illius Eccleſiæ, quæ cum doctrina ipſius conſentiret, idem hoc ipſum facturum fuiſſe, quod nunc facio: producta videlicet*

cet veritate ipſa, ac verbo Dei credito receptóque non à turgidis Phariſæis, aut Sacerdotum primoribus, qui ſæpius ſunt perſecuti, ſed à Prophetis & ſimplicioris pietatis hominibus, quos tum forte pro Hæreticis habebat altera illa Eccleſia, quæ titulo, authoritate, ſucceſſione & loco Eccleſiæ ſe maximè venditabat. Curque ita exiſtimem, Petrus ipſe me inducit iis verbis, ubi ajt: Qualis fuit Eccleſiæ ante Chriſtum conditio, eadem & poſt futura eſt. *At ante Chriſtum Proceres Eccleſiæ pios perſequebantur. Igitur & poſt Chriſtum facturi ſunt.* Harpsf. *Poſſem, ſi opus eſſet, ſummorum Pontificum ſucceſſionem Hieroſolymis ab ipſo usque Aarone ducere. Bradf. Verum; acſervârunt etiam, ut vos hodie libros cuſtoditis Bibliorum & Scripturarum, quarum tamen ſenſum aut ignoratis, aut ſtudio corrumpitis. Itaque univerſa hæc rabies illorum & perſecutio contra pios non ob legem, ſed legis interpretationem excitata fuit. Sic enim docebant ritu veſtro, Scripturæ veram interpretationem petendam nonniſi ex ore veſtro,* Id. pag. 489. 490. *Poſterioris* demonſtratio, tum aliunde, tum ex violentia & tyrannide Eccleſiæ Romanæ contra fideles erat petita. Et ſanè contemnendum non eſt, quòd ille, qui pro Majeſtate & honore ſummi Dei, pro officio Chriſti Mediatorio, pro verbo Spiritus

Sancti contra traditiones humanas vel ſanguinem profundere erant parati, evidentiſſimè inde colligerent,non eam,quæ perſequeretur, ſed quæ perſecutionem pateretur,Eccleſiam,Orthodoxam eſſe. Videatur *Fox.* in Filpotto, pag.620. coll. cum pag.604. de fide ſuadenda non imponenda. Ridiculum item crudelitatis exemplum in *Guilelmum Touleum*, cui poſt mortem refoſſo Papiſtæ diem iterum dixerunt: ac deinde excommunicatum, damnatúmque hæreſeos, incendio mortuum jam prius,ſuſpenſum ac ſepultum eum mulctârunt; *Ib.*pag.443.

7. *Diſcrimine veræ & falſæ Eccleſiæ.*

5. De *diſcrimine Eccleſiæ, veræ & falſæ.* Diſcrimen hoc in utroque Teſtamento aſſeruit Filpottus. *Age* (ita Chiceſt. Filpottum compellat) *reſponde mihi, tu ne eandem fidem tueris, quam olim ſuſceptores tui profitebantur, annon?* Filp. *Quænam fuerit eorum fides, mihi incompertum eſt. Ego certè in eadem fide, in qua ſum baptizatus, permaneo. Quæ fides eſt in Chriſtum Ieſum. Neque enim in fide ſuſceptorum baptizatus ſum, ſed in fide Chriſti.* Chriſtofors. *Author eſt divus Auguſtinus ſatis idoneus, infantes in fide ſuſceptorum baptizari.* Fil. *Intelligit tamen Auguſtinus hanc ipſam eſſe fidem Chriſti, quam & ipſi fide juſſores mei profitebantur, aut debuerint cer-*

tè profiteri. Dunel. *Quid ajs, es ne fidei, quam nos, cunctique in hoc regno nobiſcum docti colimus, aſſentieris, atque in eandem nobiſcum Eccleſiam coaleſces annon?* Filp. *D. Reverende, non id ignorat præſtantia tua, ſemper duas extitiſſe Eccleſias.* Chiceſt. *Minimè verò, ſemper una fuit Eccleſia Catholica.* Fil. *Liceat, quæſo, pro æquitate tua, quæ reliqua ſunt orationis meæ ad finem perſequi, eóque, quo velim pertendere. Non me fugit, unicam tantùm veram & germanam eſſe Eccleſiam. Sed vera huic Eccleſiæ, inde à rerum primordiis falſa ſemper ſe adjunxit* Eccleſia, veræ pietati inimica. Quod tum primum in Abelo declaratum eſt, & Cajno, qui fratrem ſuum trucidârat. In quibus (ut author eſt Auguſtinus) utriusque Eccleſiæ nobis imago cernitur. Deinde ſimul atque Deus peculiarem ſibi populum ſegregâſſet, hísque oracula ſua, leges ac voluntatem credidiſſet, falſa illico emerſit Eccleſia. Porrò decem deſciverant tribus, relictis duabus tantum, Juda & Beniamin, ſibique Bethel conſtruxerunt, & aureos conflabant è fuſili materia vitulos, quos colerent. Et tamen DEI populus & cultores haberi voluerunt, falſo etiam prætextu verbi illius ſeſe ingerentes. Nihilominus DEUS illis infenſus erat, nec ceſſabat vindicta illius,

donec funditus delerentur. *Chiceſt.* Fateor, ante Chriſti adventum, duas in priore lege fuiſſe Eccleſias. Sub novo tamen fœdere, ab exortu Chriſti, nihil poteris ejusmodi commonſtrare e Scripturis. *Filp.* Imò perfacile id potero, modò ſi tua venia liceat. Poſtquam duodecim ſibi ſelegiſſet Chriſtus, nonne inter hos ipſos unus erat Judas? Item annon erat Simon Magus? Atque hi, annon in falſa Eccleſia ſunt collocandi? *Chiceſt.* At ego ita ſentio, ex quo Evangelium literis mandatum, & propagatum eſt. Ex eo tempore, ubi mihi duas dabis Eccleſias, ex quo Chriſtus ad Patrem aſcenderat, ac Sanctum Paracletum effudit in ſuos? *Filp.* Evangelium in S. Matthæo conſcriptum eſt intra annos plus minus octo ab aſcenſione Domini. Quanquam nihil ad hanc rem facit, quo tempore ſcripto editum ſit Evangelium, nec idem quicquam obſtat, quominus duas ſemper Eccleſias extitiſſe commonſtretur, quemadmodum conſtare poterit exemplis. Et tamen niſi valde me fallit memoria, in Novo etiam Teſtamento memini, alicubi, utriusque Eccleſiæ mentionem fieri, tum in Apocalypſi, tum in D. Pauli ad Theſſalonicenſes Epiſtola, ubi refertur de Antichriſto cum ſuis aſſeclis ſedente in templo

DEI. Sed huic nihil reſpondit Chiceſtrenſis. *Fox.* pag. 605.

Claudemus materiam de *Eccleſia* Synoptica Confeſſione *Aymondi à Via*, Burdegali an. Chr. 1543. cremati. Quærenti hic Præſidi, crederet ne in Eccleſiam, reſpondit: *Se credere, verum eſſe, quod Eccleſia regenerata per ſanguinem Chriſti, fundata in ejuſdem verba ſtatuiſſet. Quænam ea eſſet Eccleſia, interrogabat Præſes? Cui ille: Græca vox eſt Eccleſia, quæ Latinis ſignificat* congregationem ſive conventum. *Equidem dico, ut promiſit Chriſtus: Quoties cunque fideles congregantur ad honorem Dei, religionisque Chriſtianæ propagationem, verè inter eos eſſe Sanctum Spiritum. Ad hoc ſecundus præſes intulit. Sequitur igitur ea ratione plures eſſe Eccleſias: ac ſi convenirent ruſtici, fore Eccleſiam. Non eſt, quicquam,* inquit ille, *abſurdi, plures haberi inter Chriſtianos cætus. Sic enim loquitur D. Paulus: Omnibus* Eccleſiis, quæ ſunt in Galatia: *Tamen omnes illi cœtus unicam conſtituunt Eccleſiam. Tum conſiliarius de Longa, Eccleſia, inquit, in quam credis, annon ea eſt, quam vocat noſtrum Credo, Sanctam Eccleſiam? Ad hoc ille: Confiteor ſanè atque de ea loquor. Ibi ſecundus præſes interrogavit, quis nam eſſet ejus Eccleſiæ caput. Ieſus Chriſtus, reſpondit Aymondus. Non autem Papa? ſubdit Præſes.*

Non, inquit. *Quid igitur? Miniſter, ſi vir bonus eſt: quemadmodum & Epiſcopi Miniſtri ſunt, ut teſtatur C.*4. prioris Epiſt. ad Corinth. ſic nos exiſtimet homo, ut miniſtros & diſpenſatores arcanorum Dei. *Rogatus autem, an crederet Papa, dixit, neſcire ſe quisnam ille eſſet. Iterum rogatus, anne is eſſet Succeſſor Petri. Si, inquit, ſimilis eſt Petro, fundatus ſuper verum Petrum, Ieſum Chriſtum, credo opera ipſius atque ſtatuta optima eſſe*; Rer. in Eccleſ. geſt. l. IV. pag. 106.

L. *De Sacramentis.* Ad *Sacramenta* properamus: de quibus in genere, eorúmque ratione & natura conſulatur Epiſtola *Hoperi* ex carcere ſcripta apud *Foxum* pag. 312. Confeſſio *Roberti Smythi*, de duobus tantùm N. T. Sacramentis, ſpuriis Pontificiis excluſis, *Ib.* pag. 519. In *ſpecie* contra conjugium & unctionem extremam diſputatum fuit à Martyribus Chameracens. in *Act. Martyr.* pag. 293. Nec *Sacramentum*; ſed *ſecretum* ab Apoſtolo conjugium vocari, *Ib.* & rer. in Eccleſ. geſt. l. VIII. pag. 223. ubi & Godefridus de Hamelle contra unctionem agit. *Baptiſmum* Papiſtarum *Hauxus* repudiavit, propterea ad tribunal Inquiſitorum ſtatim raptus fuit. Cùm enim hic infantuli ſui Baptiſmum, quoniam Papiſtico ritu baptiſari non ſuſtinebat, in tertiam jam

jam ſeptimanam diſtuliſſet; adverſarii ferre illud noluerunt. *Injectis proinde in eum manibus, ad Comitem primum ducunt Oxonienſem, ac hæreſeos nomine cum eo expoſtulant; velut qui contemptis Eccleſiæ Sacramentis parum in religione* ſanus videatur. Unde tandem cleri factum importunitate, ut vivi comburio addictus Cockshalliæ Martyrio commutârit vitam; *Fox*.pag.445.

De *variis*, qui in Baptiſmum Pontificium irrepſerunt *abuſibus*, maſculè loquitur *Smythus* apud *Fox*. pag.519. Infantibus *ἀβαπτίστοις* non male ominandùm, multò minus vitam æternam abjudicandam, contra *Harpsfeldum* idem aſſeruit, Ib.p.488. *a. Baptiſmo.*

Sed vix caput eſt, pro quo vel acriùs adverſarii pugnârint, vel religioſiùs noſtri diſputârint, vel ipſam etiam vitam libentiùs obtulerint, quàm quod eſt de *Cœna Domini*, eique oppoſita Miſſa, Tranſſubſtantiatione, circumgeſtatione Sacramenti, ut vocant, adoratione, propterea maximè, quòd vix periculoſius quàm *Catholiciſmi* Syrmate, & tranſſubſtantiationis figmento, Eccleſiæ multi impoſuerint, & hic poſterior error, dignus ſemper viſus ſit, pro cujus negatione ipſa impendatur vita, teſte *Filpotto* apud Fox. p.573. Hinc doctiſſimum, ornatiſſimi juvenis *Ioannis Frythi* *b. Cœna Domini.*

opuſculum de Sacramento, cujus lectio aliis communicata, præſentiſſimum diſcrimen, necémque poſtea illi creavit, *Fox.* pag. 129. Hic ad examen vocatus, ita de Cœna Domini diſſeruit, ut ex Antiquitate *Auguſtinum* & *Chryſoſtomum* vindicârit, Ib. pag. 133. & cur Tranſſubſtantiationi ſubſcribere noluerit, rationes aliquot reddiderit. *Prima* erat, quòd nec *Scriptura* nec *ratione* niteretur. *Secunda,* quòd nollet admittere, ut Eccleſia novos fidei articulos conderet. *Tertia*, quòd in Sacerdotum Britannicorum gratiam, cæteros per Germaniam, Helvetiam &c. damnare nollet. Ib. 135. *Andreas Huettus* ab Epiſcopo rogatus, an crederet, *realiter eſſe corpus Chriſti, quod ex Maria virgine natum eſſet*; negavit ſe ita credere, quòd Chriſtus, dicentibus: *Ecce hic eſt Chriſtus, ecce illic eſt Chriſtus*, fidem non eſſe temerè adhibendam, negâſſet; Ib. pag. 136. *Ioannes Lambertus*, Londini an. Chr. 1538. exuſtus, argumenta *contra Tranſſubſtantiationem* colligit decem, partim è *Scripturis*, partim è *communi ratione*, partim denique ex *Doctoribus* deſumta: Prævalida fuiſſe, robuſtæque authoritatis, illi qui negotio interfuerunt, inficiari non poterant. Tria commemorat *Foxus*, pag. 147. *Primum* erat peti-

petitum à pari. *Si*, inquiebat, *verba:* Hic calix novum Teſtamentum eſt; *nec vinum, nec calicem mutant corporaliter in N. Teſtamentum: Pari ratione, verba de pane dicta, panem in corpus vertere*, non eſſe conſentaneum. *Secunda*, quòd naturali corpori non competat, ut duobus ſit ſimul locis. *Tertia*, quòd corpori naturali ſuæ conveniant formæ, conditiones & accidentia. *Iam verò cùm in Sacramento nulla ſit corporis Chriſti qualitas, nulla quantitas, nulla conditio, nullum denique ne leviſſimum quidem carnis evidens veſtigium, quis non videt igitur tranſſubſtantiatum illius corpus in Sacramento non contineri? Contráque argumentando. Panis quæcunque propria ſunt conditiones, ſigna & accidentia adeſſe in Sacramento hoc cernimus. Quæ alioquin citra ſuam ſubſtantiam conſtare non poſſent*; Ib. pag. 147. Secutæ poſtea aliquot cum *Cranmero* Archiepiſcopo, *Tonſtallo* Dunelmenſi, *Stokyſleo* Londinenſi Epiſcopis, de hac Tranſſubſtantiatione ejusdem diſputatio, ubi & illud conſtanter defendit, *nullum eſſe Scripturæ evidentem locum, ubi Chriſtus velle ſe aliquando corpus ſuum in panem mutare profiteatur; & rationes è natura promtas expeditè ſolvit; Ib.* 151. *Anna Askeva*, nobiliſſimo genere nata matrona, de hac etiam materia ſolicitata, ad Scripturæ ſimpliciter authorita-

ritatem provocavit, Ib. pag. 189. quid verò ex Sacris hauſerit literis, amico poſtea cuidam pleniùs ipſa expoſuit: *Celebrari nempe in Cœna Domini mortis Christi ſalutifera* μνημόσυνον, Ib. pag. 192. Id quod publica etiam deinceps confeſſione ita paucis expreſſit: *In Sacramento hoc corporis & ſanguinis ſpectandus eſt myſticus quidam Symboliſmus, grataq́ commemorationis Sacramentum, quo ſimul & illi conjungimur, & ipſi inter noſmet per mutuam Chriſtianámque communionem. Ib. p.* 294. Illuſtriſſima *Anna Graja* in hunc quoque cruentum campum diſputatorium, à *Fecknamo* vocata, ſolidiſſimè omnia Sophiſtæ eliſit tela. *Primum* adverſarii *argumentum* erat: *Annon Chriſti expreſſa ſunt verba:* Accipite, edite, hoc eſt corpus meum? *Ad quæ illa:* Chriſtum ita dixiſſe, negari non poteſt. At ſi tantopere externam faciem verborum ſpectare, ac urgere velimus, dicit idem alibi: *Ego ſum vitis, ego ſum oſtium. Secundum argumentum* petitum erat, ab *Omnipotentia Dei*, quæ miracula patrare facile poſſet. *Fateor*, inquit illa, *ſi miraculum tum illi in cœna exhibere libuiſſet: ſed nihil hujuſmodi id temporis decrevit facere: tantum id voluit, corporis & ſanguinis in cruce pro peccatis atterendi communionem impendere. Cæterum, hoc unum mihi reſpondeas velim, ubi nam*

nam Chriſtus tum erat, cùm hæc diceret: Accipite, edite, hoc eſt corpus meum? Annon menſæ una cum ſuis accubuit unus? Nec dum enim mortem, ante alteram lucem, oppetierat. Age, quid accepit ergo aliud niſi panem quid fregit niſi panem? quid porrò dedit niſi panem? Quod ita accepit id fregit: Quod fregit, dedit: quod dedit, id illi manducabant. Atqui interim toto hoc tempore una cum illis menſæ interfuit, præſensque à diſcipulis cernebatur, aut ipſi egregiè profectò fallebantur. *Tertium* argumentum, ab *Eccleſiæ conſenſu* Fecknamus urgebat. Ad quod fortiſſima Heroina: *Fides mea ſolidiſſimis divinæ Scripturæ firmamentis, nequaquam Eccleſiæ innititur. Ea enim ſi vera & genuina ſit Eccleſiá, ſe ſuáq; omnia ad certiſſimos verbi divini gnomones exigit: non autem contrà, ad hujus placita verbum Dei accommodandum eſt, nec fides mea.* Id p. 235. *Hoperus* tum ex primis inſtitutionis verbis, à Paulo illuſtratis, tranſſubſtantiationem; tum ex aſſertione Apoſtolica: *Quem oportet cœlum ſuſcipere, usque ad tempus reſtaurationis* omnium, πολυτοπίαν corporis Chriſti, ſolidè contra clerum Pontificium, confutavit, Id. pag. 286. & 310. cùm *Hauxo* verba Chriſti identidem ingeminarentur, protinus ille, non omnia ſecundùm literam

teram intelligenda, appoſitis oſtendit exemplis, Id pag. 455. *Bradfordi* conflictûs, qui materiam de cœna καταφατικῶς, καὶ ἀποφατικῶς expendit, in compendio hoc Theologiæ Martyrologicæ minimè immemores eſſe debemus. Quæſivit ex eo *Epiſcopus Vuintonienſis*, regni Cancellarius: Annon negâſti corporis in Sacramento præſentiam? *Bradf.* Nunquam negavi, nec docui unquam aliud, *quin Chriſti corpus & ſanguis, tam adſit ſidei percipientium, quàm panis ipſe, & vinum non abeſt ab ore eorum, qui communicant.* Cancell. *At non credis corpus & ſanguinem Chriſti natura ac re ipſa ſub panis & vini formis adeſſe?* Bradford. *Credo, præſentem adeſſe Chriſtum fidei, rectè myſteriis communicantium:* Cæterùm verò, quod ad *Tranſſubſtantiationem* attinet; equidem nequaquam eam me credere confiteor. Non nego præſentem quidem adeſſe illum fidei cujusque ritè percipientis; cæterum vel in pane includi illum, vel panem in corpus tranſſubſtantiari, id verò pernego. *Vigorenſis Epiſcopus:* Si includi negas, quo pacto igitur adeſſe illum fateris præſentem? *Bradf.* Nempe verò fides mea id ſatis novit, at lingua tamen id ſatis explicare non novit. Hic inter Doctores qui ſæpius ad dicendum conſurgebant, tumultuaria

enten

ſententiarum colliſio conſecuta eſt, & varietas, quorum hoc ille, alius aliud ingeminabat: *Cancellarius* identidem Lutheros, Zuinglios, Oecolampadios in ore habere: *Bradfordus* interim ſemper in hoc uno, ceu circulo ſe continebat, *Chriſtum adeſſe quidem fide percipientibus, incluſionem tamen aut Tranſſubſtantiationem ibi nullam adeſſe confirmans:* Sed Doctoribus ſatisfieri hac reſponſione non potuit. Cæpit ibi *alius* ſciſcitari *Epiſcopus*: Impij an verum Chriſti corpus participent, an minus? Quod cùm negaret ille: *Cancellarius*, prolixa ibi ac verboſa oratione docere voluit, quemadmodum Chriſtus nulla ratione præſens adeſſe poſſet, niſi ab impiis etiam perciperetur. At *Bradfordus* pauciſſimis verbis omnes orationis illius nervos facile amputavit. Siquidem, ajt, gratia illic divina tuæ celſitudini præſens offertur, tametſi minimè abs Te quidem illa recipiatur. Nec quaquam igitur receptio (ut ipſe affirmas) Chriſtum ibi præſentem: ſed gratia, veritas, ac potentia Dei facit, quibus rebus impii deſtituuntur omnes, qui fide vacant. Rogátque *Bradfordus* Cancellarium, ne, quæ conjunxit Deus, ipſe disjungere ac ſeparare velit. Siquidem ille hæc omnia conjunxit pariter: *Accipite,*

manducate, hoc eſt corpus meum. Non ita ajt: *Aſpicite, accinite, hoc eſt corpus meum &c.* Cùm verò *Cancellarius* poſtea negâſſet, ullum eſſe mandatum Chriſti in hoc Sacramento, aut in uſu illius ullum præceptum haberi; cur ergo, rogat *Bradfordus*, omnes obligatis mortales rationis capaces, ut Sacramentum ſemel quot annis ſuſcipiant? Id pag.482. *Idem* etiam contra *antiquitatem* Canonis Miſſatici, & elevationem prudenter diſſeruit. Et quanquam de ambiguis Doctorum ſenſibus velitandi nec tempus nec ſqualidum carceris locum ferre, modeſtè ſignificaret; Ib.pag.494. cùm tamen duo ipſum Theologi Hiſpani adorirentur, abundè ſatis, ex Auguſtino & Chryſoſtomo, ſibi ne quidem deſtituto ſubſidiis librariis, hærere aquam demonſtravit, *Id.*p.500. Dignum cumprimis *Bradfordi* ad Vueſtonum eſt ſcriptum, quod poſteritati commendetur, ubi non modò rationibus ſolidiſſimis Tranſſubſtantiationis portentum evertit; ſed etiam objectiones ex antiquitate ſtructas doctiſſimè ſolvit. Compendium habet *Foxus*, pag.501. Contra intentionem Sacerdotalem pugnandi amplus ſatis apertus fuit campus *Nicolao Scheterdno* ab Archidiacono Harpsfeldo; Ibid.pag.504. In qua etiam diſputatione forti-

fortiter *Scheterdnus* inſtitit, eundémque de utroque Symbolo Sacramentali eſſe ſenſum, ita probavit: *Si verbis*: Hoc eſt corpus meum, *panis mutetur in corpus, tunc verbis:* Hic calix ſanguis meus eſt, *neceſſe eſt converti calicem in ſanguinem Chriſti.* Sed & *Robertus Smythus*, cùm idem Archidiaconus illi objiceret, panem eſſe corpus Chriſti, vinum autem ſanguinis repræſentare effuſionem, oſtendit, non poſſe heic locum habere elenchum parium. *Neque enim vinum ſolùm fuſi ſanguinis repræſentationem gerere; ſed & panem, dicente Servatore*: Quotiescumque hoc feceritis, in mei commemorationem facite. *Paulum etiam mortis Dominicæ annunciationem haud minus in pane, quàm calice conſtituere, verbis diſertis*: Quotiescunque ederitis de hoc pane, & de hoc calice biberitis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat. Cùm *Filpotto* objiceretur, 1. *Perſpicuitas verborum*, hoc eſt corpus meum; reſpondit: Non nego expreſſa Chriſti verba in Sacramento; ſed id affirmo, non craſsè eadem hæc, nec ſecus, quàm Sacramentaliter & ſpiritualiter accipienda eſſe, juxta expreſſam Chriſti declarationem, docentis, hæc Sacramenti verba, quæ Capernaitæ juxta carnem literæ (quos nunc Papiſtarum fili.

imitantur) intelligebant; *Spiritualiter* accipi oportere,non *carnaliter*, quomodo iſti craſſiſſimè ſomniant, haud ſatis advertentes Chriſti in hunc locum explicationem, tum nec inſtitutionem obſervantes illius: quin nec uſum Apoſtolorum ac primitivæ Eccleſiæ inſequentes, qui hunc carnalem præſentiæ modum prorſus ignorabant.

2. *At Chriſtus* Johannis cap. VI. *promiſit, ſi corpus in Sacramento daturum eſſe, inquiens:* Panis, quem ego dabo, caro mea eſt. R. Johannes,hoc loco id vult, nempe, ut humanitas, Chriſti, quâ noſtræ redemtionis cauſa,eſt circumdatus, panis ſit vitæ, quò corpora noſtra ſimul & animæ noſtræ ad vitam æternam ſaginantur. Hujus itaque myſticæ ſaginæ panis hic Sacramentarius una eſt repræſentatio, & efficax cohabitatio erga omnes, qui in mortem Chriſti credunt: Atque, ut ajt Chriſtus, Joh.6. *Ego ſum panis, qui de cœlo deſcendi; at idem tamen nec materia, nec naturâ ipſâ panis dicendus eſt. Conſimiliter panis eſt caro ejus, nequaquam natura aut ſubſtantia, ſed ſignificatione ac gratia*, in Sacramento ſcilicet.

3. *At Deus eſt omnipotens*, cui non eſt difficile ſeſe in tapetiis, nedum in pane, ſi velit, ſtatuere. R. Quod ad omnipotentiam divinam attinet, id cum Propheta

Davi-

Davide profiteor: *Deus quæcunque voluit, fecit, in cælo & in terra.* At vult tamen ille nihil, niſi quod verbo congruit ipſius. Eſt enim blaſphema vox Epiſcopi Londinenſis, qua modò ajebat, *Dominum poſſe tapetum fieri.* Nam, ut vetuſtiſſimi docent ſcriptores: Non poteſt Deus facere, quæ ſunt naturæ ſuæ contraria. Quum nihil ſit naturæ ipſius repugnantius, quàm ut Deus periſtroma fiat. Eſt enim illud creatura, Deus verò Creator. Jam autem Creator nullo modo eſſe poteſt creatura, *Fox.* pag. 577. Sed & inſequentibus, *de præſentia corporis Chriſti, Miſſæ ſignificatione & origine, abſurditatibus Tranſſubſtantiationis, incertitudine hujus doctrinæ,* quâ, quid particula *Hoc* deſignet, ipſi ignorant; abuſu argumenti ab Omnipotentia petiti, ita doctè & fusè diſſeruit *Filpottus*, ut unus hic Theologus Martyr multorum loco eſſe poſſit: Præſertim p. 596. 598. 601. 612. &c. ubi cumprimis *Confeſſio* ejus de præſentia corporis Chriſti, pag. 623. notanda *Agnoſco,* inquit, *ſicut teſtatus ſum, realem præſentiam in legitima Sacramenti adminiſtratione erga nos, qui digna fide, atque ut par eſt, manducant, per Spiritum Dei.* Et paulò poſt: *Neque enim in Sacramento ita realem conſtituo præſentiam, per Tranſſubſtantiationem,*

nem, verùm in ipſa ſola adminiſtratione legitima erga eos, qui dignis modis Synaxin Sacram communicant. Huic materiæ, ut ad compendium reliqua ponamus, addi poſſunt Confeſſiones, diſputationes, exempla, aliorum etiam Martyrum *Richardi Feuri* rer. in Eccleſ. geſt. l. X. pag 289. *Guilelmi Neel*, l. IX p. 270. *Martyrum Cameriacens.* l. XI. pag. 318. 324. 325. qua appoſitis monſtratur exemplis, *Eſt* ſæpe pro *ſignificat* accipi. *Iohannis Filieul* & *Iuliani Leveille*, l. X. p. 303. Martyrum *Meldenſium*, l. V. pag. 147. Martyrum *Lugdunenſium*, l. VIII. pag. 229. 233. 235. *Aymondi à Via*, l. IV. pag. 106. *Martini Hoeurbloc*, Ib. pag. 209. *Martini Gonini*, l. III. pag. 75. *Alexandri Cani*, Ibid. pag 77. *Petri Brulii*, lib. IV. pag. 85. *Iohannis à Puteo*, Act. Mart. pag. 1746. *Dionyſius de Ryeux*, menſe Julio an. Chr. 1528. vivus uſtulatus fuit Meldis quòd primus aſſereret, *Miſſam, certiſſimam eſſe abrogationem mortis & paſſionis Ieſu Chriſti.* Unum tandem & alterum ſubjiciemus exemplum eorum, quos eo abripuit Zelus, *ut ne ferre quidem potuerint Sacramenti, ut vocabant, religioſam adorationem. Iohannes Hallerus* d. 5. Martii 1555. *ad Bullingerum: Mirum Scævolæ cujuſdam Chriſtiani factum retulit mihi Beza noſter, quod dignum videtur ut ſcribam. Tornaci ait, in*

Galliæ

Gallia quendam plebejum Sacerdoti hoſtiam ſuam inter miſſandum elevanti eripuiſſe ad a ram violenter, confractámque conjeciſſe in pavimentum, & pedibus conculcâſſe, exclamando ad populum: Proh! qualem DEUM colitis. Mox verò comprehenſus talem ſententiam habuit, ut primò exureretur illi manus nefaria, qua tantum ſcelus aggreſſus ſit. Deinde pes alter, quo hoſtiam, ut vocant, protiverit: Poſtea cremaretur totus. Ille igni adhibito manum ultrò impoſuit, & ſine ulla doloris ſignificatione uſtionem illius paſſus eſt. Pari modo ridens pedem quoque igni impoſuit, dicens: Feliciſſimum hunc eſſe gradum ſeu greſſum, quo in vitam ingrediatur æternam. Cùm itaque deficeret jam, in rogum conjectus ad Dominum conceſſit. *Dignum certè Hiſtoria exemplum. Ita Chriſtus adhuc vincit per crucem. Ipſi ſi gloria in æternum.* Et d. 18. Junii 1561. *Lugduni ferunt quendam in proxima corporis Chriſti feſtivitate, dum ſolennis haberetur proceſſus, ereptum ſacrificulo panaceum Deum, una cum Monſtrantia, ut vocant, humo illiſiſſe, & pedibus proculcâſſe, ipſum verò eodem die primò manu dextra truncatum, & poſtea in quatuor partes diſſectum eſſe.* Idem de *Guilelmo Gardinero refertur,* Martyr. Germ. pag. 433. & *Simone Tuſcano* pag. 1493.

M. De Iuſtificatione.

Ad *Iuſtificationis* articulum progredimur, ubi in limine brevis, ſed nervoſa *Iohannæ Grajæ* occurrit concertatio. Quærit ex ea *Feknamus* Sophiſta: *Quid exigitur in Chriſtiano?* Reſpondit Joanna: *Vt in Deum credat, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum. Vnum Deum, & tres perſonas.* Fek. *Quid, nihil ne aliud in Chriſtiana, præter fidem ſolam in Deum requiritur?* Joanna. *Maximè verò: Nam & credere in eum, & diligere eundem oportet, toto pectore, tota anima, totisque viribus, ſimul & proximos, tanquam nos ipſos.* Fek. *Rectè. Fides ergo per ſe ſola non juſtificat, aut ſervat.* Joan. *Imò fides, ut inquit Paulus, ſola juſtificat.* Fek. *At idem Paulus confirmat, quòd ſi fidem omnem habuero, charitatem non habeam, nihil ſum.* Joan. *Veriſſimum, quod dicis, inquit, quo pacto enim eum diligam, in quem non credam? Aut qua ratione illi fidam, cujus nulla dilectione afficiar? Fides & charitas conjunctim ſe comitantur, at charitas tamen fide comprehenditur.* Fek. *Quonam pacto diligendus eſt proximus?* Joan. *Dilectio proximi in iis conſiſtit, ut fameſcentem cibo, nudum veſtibus, ſitientem potu ſublevemus. Breviter ut eadem illi faciamus, quæ nobis ipſis velimus.* Fek. *Proinde neceſſariò adjungendum eſt pie agendi ſtudium, alioqui ſine operibus fides ſat momenti non habet.* Joan. *Illud falſum, affirmóq;*

móque fidem ſolam adferre ſalutem : attamen Chriſtianos , ne degeneres diſcipuli ſui Praeceptoris videantur , piis operibus ſtudere decet, quæ tamen ad ſalutem ipſa non conferunt. Nam quum omnia egerimus ,ſervi ſumus inutiles : Soláque in Sanguinem Chriſti fides ſervat. Fox. pag. 234.

Additur *Petri Brulii* confeſſio tum de *juſtificatione* per fidem ſolam, tum *de natura* etiam *fidei*. Rogatus enim, de juſtificatione, reſpondi, inquit, *nos fide juſtificari, quemadmodum dicitur tertio ad Romanos Capite. Quomodo, inquiunt adverſarii, ſola fide? annon etiam bonis operibus & charitate juſtificamur? Quibus ego reſpondi: Nulla hujuſmodi opera, nec charitatem reperiri in ullo homine, qui non ſit juſtificatus. Quid, inquiunt, non poterit homo, etiamſi in peccato mortali ſit, dare eleemoſynam propter honorem Dei, quem ſuper omnia diligit?* Non, inquam, *nam peccator quidem aliquis pauperi bona ſua elargietur, ſed non tam cauſa honoris Dei, quem ſuper omnia diligat, quàm humano aliquo ſtudio permotus. Nam ſi Deum inprimis diligeret, peccatum non ita placeret ei , veniámque à Deo peteret. Tum quæſiverunt ex me quidego nominarem fidem, quæ ita ſit potens ut ſola hominem juſtificet. Quibus ego reſpondi: Fidem eſſe certam animi perſuaſionem, per Spiritum S.*

R 4 *factam*

factam de miſericordia Dei, ejúsque bona in nos voluntate, in Evangelio promiſſa & oblata. Hæ autem promiſſiones de amore ac benevolentia Dei erga nos in Chriſto Ieſu Filio ejus exhibentur ac præſtantur. Hac fide nos ſtatuimus ac perſuademus nobis, & ſentimus, Deum velle nobis peccata noſtra ignoſcere propter filium ſuum, in quem nos credimus. Rer. in Eccleſ. geſt. l. IV. pag 88.

N. *De Indulgentiis.* *Indulgentias* doctiſſimè refutavit *Borthuicus* apud Foxum pag. 169. *Purgatorio* maſculè ſe oppoſuerunt *Frythus* apud eundem, pag. 132. quòd corpus in his terris variis ærumnis purgetur, anima Chriſti ſanguine. Unde & *Marſchaus*, apud eundem, p. 433. nomine ignis Paulini 1. Cor. 3. ignem perſecutionum intelligit. *Aymondus à Via* importunè ſollicitantibus, nullum aliud conceſſit purgatorium, quàm ſanguinem Chriſti, *Rer. in Eccleſ. geſt.* lib. IV. pag. 106. Quæ & *Godefridi* de *Hamelle* reſponſio fuit, lib. VIII. pag. 224. *Martyrum* item *Lugdunenſium*, Ib. pag. 229. *Dionyſii Peloquini*, addito utrinque argumento à ſilentio Scripturæ, quòd Scriptura duorum tantum locorum poſt hanc vitam, meminiſſet, *Ib.* pag. 251. *Guilelmi Neel*, cujus de Purgatorio Confeſſio negativa iisdem nitebatur rationibus: Nullum eſſe Purgatorium,

torium, quòd 1. Sanguis Chriſti nos purgaret à peccatis. 2. Quo loco arbor caderet, eodem etiam maneret. 3. Chriſtus eſſet reſurrectio & vita credentium. 4. Beati eſſent, qui in Domino morerentur; Ibid. pag. 271.

Auricularem Confeſſionem varii variis impugnârunt argumentis. *Robertus Smythus* docuit, eam tantùm quæſtui ſervire & compilandis loculis; quod ab Epiſcopo probare juſſus, expertus loquor, inquit, quæ audivi, quæque his vidi oculis. *Primùm* enim ſub hoc Confeſſionis fuco novi conſcientias hominum prodi ſolitas, Principum arcana retegi: qui egregiè deluſi à Sacerdotibus, poſtquam illis peccata ſua, quibus ſeſe liberari magnopere expetebant, expoſuerunt: *Poſtea* redimendæ eorum abſolutioni, ingentes pecuniæ ſummas ſacrificis impenderunt, ad Miſſas pro animarum ſalute comparandas. Quoque res fiat exemplis manifeſtior, referam, *quod in hoc ipſo mancipio non ita pridem in Parochia Thomæ Aquinatis geſtum eſt. Puer quondam ſerviebam viro ex Northfolcia generoſo & nobili, qui fortè, ut fit, ægrè affectus conſcientia, Sacerdotem adit, cujus demum perſuaſu magnam bonorum partem, fraudatis hæredibus, elargiri cogitur, D. Greſſamo ingentem remittit*

O. *De Confeſſione auriculari.*

argenti ſummam, rursúsque & alteri mercatori tantundem. Quin & bona pars redit ad Sacerdotem, cui alendo annua penſio Collegio, in quo vixit, decidebatur. Quæ omnia cùm fratri ejus intellecta ſunt, Londinum venit: réque Senatui Regio expoſita, quo pacto fraude Sacerdotis fratri impoſitum eſſet, factáque uxori ac liberis hæredibus injuria, reliquas quidem pecuniæ partes à mercatoribus recuperat, cæterùm, quæ delegata erat Collegio, eam nulla ratione extorquere potuit; Fox. pag. 518. *Idem* poſtea prolixè oſtendit, in S. Scriptura Confeſſionem auricularem nec probari, nec præcipi: Perinde aſtringi Sacerdotem, ut hic ſuas alii noxas confiteatur, atque alius ille ſuas revelet. Eos, qui ad Baptiſmum Johannis acceſſerunt, Deo ſua crimina confeſſos, non Johanni: Aut, ſi Johanni, non tamen illi, ſed coram illo ac univerſo cœtu, Deo ſolùm omnipotenti factum, *Ib.* pag. 520. Luculenta cumprimis de variis Confeſſionum generibus ſunt verba *Petri Brulii: De Confeſſione*, inquit, *reſpondi, me debere tum coram Deo meo quotidie, atque omni loco, tum etiam coram hominibus recognoſcere miſerum peccatorem, qui quotidie damnationem mereatur, niſi eſſet gratia DEI, quæ nobis per Chriſtum impertitur. Ita delicta & peccata mea DEO confiteri debeo, eorúm-*

eorúmque veniam ab eodem poſtulare. Hujusmodi Confeſſione referta eſt Scriptura, eáque uſi Propheta, Apoſtoli, cateríque omnes, qui piè Deum coluerunt. Quod autem ad homines pertinet, ſi proximum meum verbo aut re offendi, debeo ei delictum meum, aut etiam plura, quibus eum offendi, confiteri, ut & ego ei, & ipſe mihi placatus reconcilietur, omnísque animi offenſio deponatur, & mutua benevolentia conſervetur. Eſt etiam aliud Confeſſionis genus, quod verſatur in conſilio petendo de iis rebus, quæ in aliquam dubitationem conſcientiæ ſcrupuloſæ ac perplexæ venire poſſunt. Vt ſi quispiam dubitet de re aliqua, propter quam conſcientia ipſius ſit perturbata, quamvis miſericordiam DEI cognoſcat in promiſſionibus, quia tamen eas generaliter conſiderat, non propriè ad ſe applicat, in aliqua dubitatione, perplexitatéque verſatur; tum rectè fiet & ſapienter, ſi homo ita perplexus ac perturbatus, prudentem aliquem quærat, & conſulat, cui poſſit moleſtiam animi ſui declarare. Tum verò is, à quo conſilium petitur, debet proponere particulares Scripturæ ſententias de miſericordia DEI, quibus alterum conſoletur, eúmque omni ſcrupulo liberet. Hoc autem Confeſſionis genus maximopere laudandum eſt, ut à DEO profectum: ex quo etiam Confeſſio auricularis fuit introducta. Nam illud quidem fiebat in Secreto, atque

atque inter duos, quemadmodum iſti fieri volunt in Confeſſione auriculari, quæ quidem ex Deo non eſt, neque teſtimonio Scripturæ Sanctæ approbata. Neque enim Dominus ſuperſtitioſam peccatorum enumerationem ab homine requirit; nec fieri quidem poteſt: quemadmodum Propheta David ſatis oſtendit, cùm dicit: *Domine, peccata quis intelligit?* Et mox eo in Pſalmo 19. *Ab occultis munda me.* Papa tamen hoc jubet, etiam ſub peccato mortali, ad minimum quidem ſemel in anno. Itaque ego hujusmodi Confeſſionem rejicio ut gehennam conſcientiarum, abyſſum & gurgitem inferorum, ad abſorbendas ac devorandas miſeras animas accommodatum *Rer. in Eccleſ. geſt.* lib. IV. pag. 89. *Petrus Scriba* negat Sacerdoti in aurem demurmuranda peccata; locum, *Iacobi* tritum, de fraterna reconciliatione explicuit, lib. VIII. pag. 229. 232. qua mutuæ offenſiones peccatis amanter humanitérque condonatis deponuntur: Alioquin ſi locus ille de iſta inſuſuratione in aurem facta intelligendus eſſet, oporteret Sacerdotem, cùm mulierem ei peccata confitentem audit, ſua viciſſim illi confiteri, ut *Dionyſius Peloquinus*, cùm idem, ut in ore omnium erat, ei objiceretur locus, addidit,

dit, pag. 251. *Marſacus* de Confeſſione auriculari rogatus, reſpondit: *Se, cùm ſenſu peccatorum oppreſſus eſt, ad nullum alium confugere, quàm ad DEVM, quem offendit*; Ib. pag. 255.

Ad *conjugium clericorum* pergimus. Epiſcoporum conjugium maſculi defendit *Hoperus* Epiſcopus, & ipſe conjugatus; cúmque Cancellarius verbis Chriſti, apud Matthæum, de iis, qui *caſtraverint ſe propter regnum DEI*, evincere vellet, facile eſſe ac in manu cuivis, volenti modò, caſtè viverè; oſtendit *Hoperus*, ex textus ἀλληλεχία, de his ſolùm, quibus donatum eſſet, loqui Servatorem; *Fox.* pag. 288. *Idem*, ex Epiſtolis Paulinis, ad Timotheum & Titum, Concilio Niceno, Chryſoſtomo &c. probavit *Rolandus Taylerus*, I. C. & Paſtor Ib. pag. 418. Huc pertinet exemplum *Roberti Samuelis*, qui decreto Mariano, de dimittendis uxoribus, propterea parere noluit, quòd præcepta DEI ob humanas traditiones nequaquam ſibi violanda exiſtimaret; Ib. pag. 123.

P. De Cœlibatu.

De *votis* Petrus Bruleus rogatus, reſpondit: *Hominem Chriſtianum poſſe vota nuncupare earum rerum, quas & gratas DEO eſſe certò ſciret, & in ſua poteſtate eſſe, non aliter.* Non poſſe autem hominem votum facere per-

Q. De votis

perpetuæ paupertatis, aut obedientiæ, multò minus caſtitatis. Eos, qui ita voviſſent, veniam eorum votorum à Deo petere debere, vocatósque ad rationem vitæ contrariam ei quam ante voverant, poſſe eam ſuſcipere ſine ullo ſcrupulo conſcientiæ ejus, quæ prioribus votis obſtricta & obligata videri poſſet; *Rer. in Eccleſ. geſt.* lib. IV. pag. 89. *Guilelmus Neel* votorum unicam normam agnoſcit S. Scripturam, *Ib.* lib. IX. pag. 277. Votum porrò, quod omnes nuncupare rectè poſſimus, eſſe, orare Deum, ut nos in obedientia voluntatis ſuæ retineat; renunciantes noſtræ, quæ ad malum ſemper eſt proclivior.

R. De lingua peregrina. *Contra uſum linguæ peregrinæ in obeundis Sacris* prolixè diſputat *I. Rogerius*, apud *Fox.* pag. 271. *Hoperus* cumprimis, ſuâ ad Parlamentum appellatione, ex carcere, *Ibid.* pag. 300. ubi inter alia: *Quòd iſti Neotericiomnia Latinè in Eccleſia agi volunt, non ideo faciunt, vel quòd translationis vitio tam vehementer offendantur, vel quòd miſellus grex Chriſti illis adeò curæ ſit; ſed ut ex Lingua Romana,* Anglis plerunque ignota, hæc duo ſacrificuli Neoterici aſſequantur: *Primùm,* ne quod impiè contra mandata divina in ſuis Miſſis agunt, detegatur: quod omnino

no fieret, ſi vulgari lingua omnia, quæ impia ſunt in Miſſa, mundo paterent. *Secundum*, ut ſuam authoritatem ſalvam ac incolumem ſemper apud indoctum vulgus, cui miſerè per ſuas Miſſas imponunt, tueantur. *Bradfordus* monſtravit, olim *Chryſoſtomi temporibus, non ſolùm in Græcorum Eccleſiis, ſed Latinis etiam, ætate Hieronymi populum, ut fateretur ipſe, reboare ſolitum Amen*, Id. pag. 498. Sed & *Richardus Feurus*, Gratianopoli prolixè ex Paulo probavit, non nefas eſſe Linguâ Latinâ, Hebraicâ, Græcâ aut aliâ orare; ſed in conſuetudine vitæ, convictu, ac ſocietate eam precationem eſſe adhibendam, quæ cognita ab omnibus & intellecta fructum pietatis omnibus afferat, *Act. Mart.* l. VII. p. 264.

Et quoniam de Reformatis ſpargi vulgò ſolebat, *eos de Beatiſſima Maria, Virgine* Θεοτόκῳ minus loqui reverenter, hinc factum, ut crebriores de ea Martyres ederent Confeſſiones, cujusmodi eſt *Petri Brulii*, rer. in Eccl. geſt. lib. IV. pag. 89. *Dionyſii Peloquini*, l. VIII. pag. 251. *Hamellani* lib. VIII. pag. 224. *Petri Scribæ*, Ib. pag. 230. *Quod ad Virginem attinet*, inquit hic, *credo eam inter omnes mulieres maximè beatam eſſe, propterea quòd ea credidit, atque Chriſtum in utero ſuo tulit, Virgo & antequam eum pareret, & poſt-* *S. De B. Maria Virgine.*

& poſtquam peperiſſet : ejuſdemque fidem ac conſuetudinem vitæ imitandam. Deum verò ſolum ejus exemplo invocandum : Idem cum cæteris quatuor ad ſupplicium tractus, ſymbolum recitavit Apoſtolicum. *Cum autem ille articulus obveniſſet :* Conceptus de Spiritu Sancto natus ex Maria Virgine, *ſublata quàm maximè potuit, voce pronuntiavit, ut populus falſam, iniquàmque calumniam intelligeret, quam inimici ſparſerunt de ipſorum fide, quaſi id caput negarent, ac de Virgine Maria malè & ſentirent, & dicerent.* Id. pag. 238.

Sed & de *officiis, precibus cumprimis pro defunctis*, audire poſſemus *Hauxum*, ex Fox. pag. 452. de *ſuperſtitioſis Papiſmi ceremoniis* eundem, pag. 453. De *templis*, & *peregrinationibus religioſis, Iejuniis*, Guilelmum Neelum, rer. in Eccleſ. geſt. lib. IX. pag. 274. 276. *Ciborum delectu, diebus feſtis, Hamellaum*, lib. VIII. pag. 223. *interdicto librorum noſtrorum*, Borthuicum, Fox. pag. 177. Sed portus tandem quærendus. Illud miremur, tum Martyres & expeditiſſimos fuiſſe & acutiſſimos, cùm Sophiſtæ fuerunt inſidioſiſſimi. Cùm *Rogerius* ex Scriptura probare nonnulla voluiſſet; *Tu verò*, regeſſit Cancellarius, *ex Scripturis nihil probare poteris. Eſt quidem res mortua*

tua Scriptura, *opus eſt vivo interprete. Reſpondit* Rogerius: *Imò res viva Scriptura eſt*, Heb. 4. Fox. pag. 271. *Petrus Brulius*, ubi dixiſſet, credere ſe B. Mariæ ἀειπαρθενίαν, interlocutus D. Haſardus, *quid*, inquit, *te movet ut credas virginitatem Virginis, cùm non ſit locus Scripturæ, quo id probari queat? Cui Brulius, ſe ſatis clarè & manifeſtè reperiſſe, cùm Scriptum ſit, quòd Ioſeph eam non cognoverat, cùm filium ſuum primogenitum peperit*; Rer. in Eccleſ. geſt. l. IV. pag. 90. *Iohannes Hoſpinianus*, Stamheimenſis, & ipſe ex primis Helvetiæ Martyribus, cùm, inter exquiſitiſſimos tortorum cruciatus, auxilium DEI imploraret, non erat modò ex Legatis, qui ſarcaſticè quæreret: *Vbi eſt Chriſtus tuus, tu nequam? Iube ipſum ſuppetias tibi ferre*; ſed & poſtea ad ſupplicium, cum filio ςυνώνυμῳ *Iohanne*, Miniſtro, (*Adrianus* enim filius natu minor dimiſſus iterum erat, qui filium nobis poſtea reliquit Theologum & Polyhiſtorem celeberrimum, *Rodolphum Hoſpinianum*, velut Phænicem ex cineribus Martyrum excitatum,) deductus, Sanctos invocare ad Jodoci Sacellum juſſus, quàm maſculè & intrepide ſacrificulo reſpondit: *Eccur ligno & lapidibus genua flectamus, eáque adoremus? Solus adorandus in cœlis eſt DEVS. Ad quem & tu te, ô Sacrificule*,

cule, qui non longe abes à morte, te converte. Ad patrem tandem Martyrii ſocium, verſus, *Te verò pater, impensè rogo, ut ne ab iis, quæ didiciſti, recedas. Noſti, unum eſſe Mediatorem inter DEUM & hominem, Ieſum Chriſtum unicum Mundi ſoſpitatorem.* Cui pater; *Ego* certè, *bono cum DEO, in agnita veritate, ad mortem uſque conſtanter perſeverabo.* Bulling. Hiſt.Refor. Mſc.pag.129. *Nicolaus Hottingerus*, cùm gladii pœnam ſibi decretam intellexiſſet; de Deo & redemtione per Jeſum Chriſtum loqui cæpit. Sed erant ſtatim qui interfarentur, & alius quidem, non ut concionem audirent, huc ſe confluxiſſe dicebat: Alius verò, *capite plectendus eſt; quod ſi caput repullulet, & nos ejus amplectemur fidem. Mihi verò,* inquiebat, φερωνύμως νῖκος λαῦ, & qui de populo adeò tum infeſto triumphum glorioſiſſimum egit, *fiat ſecundùm voluntatem DEI: Remittat ille adverſariis meis peccata. Etiam Servatori noſtro de cruce pendenti dictum eſt:* Deſcende de cruce, & fidem tibi habebimus. Cùm crucis imago oculis ejus objiceretur, eam prorſus admittere noluit. Paſſio, inquit, Chriſti vera fide apprehenſa in corde ſedem habere debet: Indignum eſt, pretioſum illum theſaurum adeò abjectè præfigurari. Qua occaſione, ſola

cruce

cruce Chriſti, id eſt, paſſione ejus, non verò lignea aut lapidea ſtatua, ſervari nos, docuit. Bull. l. c. pag. 101.

5. *Ego rogavi pro te*, inquit Chriſtus Petro, *ne deficiat fides tua: Tu igitur aliquando converſus, confirma fratres*, Luc. XXII. v. 32. utriusque Schola Martyrum exempla ſuppeditat affatim. Quemadmodum enim, ut cum veteribus loquamur, coronas Martyres divinitus acceperunt; ita certum eſt, eorum Confeſſione, conſtantiâ, magnanimitate plurimos vel confirmatos, vel initiatos: videantur *rer. in Eccleſ. geſt.* lib. IV. pag. 99. *Act. Martyr.* lib. II. pag. 58. b. Unde alii aliis uſum crucis & afflictionum operoſiùs expoſuerunt, ut *Petrus Brulius* Ib. pag. 91. Alii Dialogiſmis ſecum inſtitutis oſtenderunt, gaudium Sp. S. ne carcerum quidem cancellis conſtringi poſſe; Scholas Filii Dei, ut *Petrus Scribanus*, Id. *lib.* VIII. pag. 236. Atque hinc eſt, quod in vincula nonnulli conjecti liberationem expectarent, non quòd pro Chriſto extrema quæque pati tergiverſarentur; ſed ut ſuperſtites regni Chriſti pomæria dilatarent. Extat in hanc rem Epiſtola autographa *Martyrum Lugdunenſium*, Martialis Albæ, Ludovici Corbelii, Petri Scribani, Caroli Fabritii, Petri Naverii, Bernardi

Seguini, ex carceribus Lugduni m. Decemb. 1552. (cùm poſtea ibidem, die 16. Maji 1553. conſtantes in fide comburerentur, excepto *Corbelio*, qui dimiſſus erat) ſcripta, Eccleſiæque Tigurinæ Miniſterio inſcripta. Ut omnium poſthac in ſervire poſſit uſibus, publicæ eam luci dare placet. *Gratiam & pacem à Domino. Niſi nobis multis ab annis ſatis compertum atque exploratum eſſet, obſervandiſſimi fratres, quanto promovendæ gloriæ DEI deſiderio agrum illum, qui vobis à Patre cæleſti commiſſus eſt, hactenus continuo veſtro labore, tanquam ſeduli agricolæ excolueritis, indiesque ſingulos magis excolere nitamini; quàmque vos Fratrum veſtrorum pro Chriſti nomine in carceres conjectorum, ac quovis temporis momento, mortem ipſam expectantium afflictiones commoveant; de his ad vos ſcribendis ne cogitare quidem unquam auſi eſſemus. Sed cùm ſæpius ad nos, & multis piorum, magnæq; authoritatis Virorum ſermonibus probatum ſit, & experientia ipſa ſatis per ſe teſtetur, nihil vobis DEI illius Opt. Max. honore antiquius eſſe, vosque ex fratrum veſtrorum ærumnis, qui pro ejus verbo tuendo in Anti-Chriſtianorum cruentas, incidunt manus, non minorem percipere dolorem, quàm ſi cum illis iiſdem carceribus concluſi, eadem etiam experiremini ac perferretis: has tantò confidentiùs ad vos*

vos omnes mittendas cenſuimus, ut vobis pro labore, quem hucusque pro noſtra cauſa inſumſiſtis, gratias immortales inprimis agamus: Tum ut vos ad veſtram operam nobis adhuc præſtandam etiam atque etiam rogemus & obteſtemur. Quod eo lubentiùs vos facturos confidimus, quò magis id ad gloriam DEI ab hominum impiorum contumeliis, ac tyrannide vindicandam, & langueſcentes multorum filiorum DEI animos excitandos ac vehementius accendendos conferre poteſt. Quamvis enim ad hunc uſque diem multi, & ii quidem magni nominis Viri non mediocriter pro liberatione noſtra laborârunt, eorúmque labor non omnino irritus fuerit, non tamen tantum fructus ex eo ad nos pervenit, quantum nobis relaturus initio videbatur. Siquidem licet ipſi etiam Principes N. ante quinque aut quatuor menſes ad ſummum, liberationem noſtram à Rege impetrârint, ejúsque rei teſtes literas ad adverſarios noſtros jam pridem ſcripſerint. Licèt etiam Cardinalis ipſe Torniacenſis noviſſimè Româ redeundo per eorum terras iter faciens, illis pollicitus fuerit, ſe, cumprimum Lugdunum veniſſet, nobis ex carceribus exeundi, & ad priſtina noſtra ſtudia redeundi copiam facturum: Tamen tantum abeſt, ut pollicitis ſteterit, aut ſtare decre-

verit, ut neque ille, neque illius aſſeclæ ſuum in nos capitale odium, pravámque ſanguinis noſtri innoxii fundendi cupiditatem apertiùs quàm poſt adventum ſuum unquam prodiderint. Etenim, quia nos peſtiferis ſuis blanditiis nunquam in ſuam ipſorum impiam de religione ſententiam potuiſſe pertrahi viderunt (qua tamen re nihil illis optatius, aut gratius accidere poterat) aperto (quòd ajunt) Marte detrectantes, ſuos omnes effundere conatus cæperunt, ut ab ipſis in nos tanquam meritò hæreſeos convictos tertio Idus Maji iniquè lata fuit ſententia; in Senatu Pariſienſi, ad quem tunc provocavimus, rata habeatur: utque tandem immenſam ſuam & immoderatam hauriendi noſtri ſanguinis libidinem expleant. Quæ cùm ita ſint, non habemus aliud tutius propugnaculum, ad quod tanquam ad ſacram anchoram confugere poſſimus, quàm eum ipſum Ducem, pro quo hactenus adverſus ejus hoſtes decertavimus. Itaque quia ſolus ille puncto temporis quicquid nobis imminet periculi, à capite noſtro, cùm illi viſum fuerit, poteſt repellere, ejus etiam auxilium aſſiduis precibus inprimis imploramus. Tum fratres noſtros, quibus gloria Dei maximè curæ eſt, quoſque noſtri mi-

miſeret, non veremur rogare, ut ſuo nos, ſi poſſint, præſidio ſublevent. Inter quos cum vos non poſtremas teneatis partes, nobis, ſi placet, condonabitis, quod non dubitemus, vos per has obnixè obteſtari, ut, quantum in vobis ſitum eſt, nos veſtro favore juvare ne dedignemini. Hæc ideo ad vos ſcribimus, quia ex piis quibusdam viris, & iis quidem Helvetiis intelleximus, Legatum illum qui in locum illius, qui noviſſimè obiit, à Rege in Helvetia ſuffectus eſt, mira humanitate, eruditionéque non vulgari præditum eſſe, neque mediocriter & piorum & doctorum virorum congreſſu delectari, propteréaque non procul à veſtra urbe habitare ſtatuiſſe. Quod cùm ita ſit, illéque optimè (quantum nobis ſignificatum eſt) de Orthodoxa religione ſentiat, ac non parum authoritate apud Regem valeat, veſtrâque cauſa illum multa facturum non dubitemus: Vos obſecramus, ut ei cauſam noſtram tantò ardentiùs commendetis, quantò avidius veritatis hoſtes nos oppugnant, utque extremó plectamur ſupplicio totis viribus incumbant. Nos quoque ad eum ſupplices literas ſcribimus, quibus aliquem apud illum pro ſingulari illius in omnes humanitate, cauſǽque, quam tue-

mur, æquitate, relictum iri locum confidimus. Maximè ſi ad eas veſtræ pro nobis apud illam deprecationes accedant. *Ac ne vobis mirum videatur, quod ex hoſtium noſtrorum manibus eripi tantopere cupiamus, in idque, quacunque nobis via licet, citra ullam gloriæ DEI labefactationem ſtudeamus: Exiſtimate, non id à nobis fieri, quòd vitam noſtram ejus honori anteponamus, aut eam pro Chriſti nomine effundere recuſemus (cùm non nos lateat, nihil nobis felicius poſſe contingere, nóſque tum demum verè beatos fore ſciamus, cùm vitam noſtram ei ipſi, à quo eam accepimus, pro ejus verbo morte affecti reddiderimus) verum ut diutius ejus regno amplificando pro virili noſtra parte operam navemus, ergáque parentes noſtros, quibus poſt eum vitam ipſam debemus, quóſque nobiſcum parens ille rerum omnium non minori neceſſitudinis vinculo, quàm corpus animæ conjunxit, noſtro fungi officio poſſimus, quorum conditionem propterea meritò deploramus, quia eum, à quo conditi ſunt, verè non noverunt: Sed plusquam Cimmeriis tenebris immerſi impias ſuperſtitiones, nephandáque Romani Phalaridis dogmata (ut & nos aliàs fecimus) pro vera religione, ſinceróque DEI cultu amplectuntur. Ex qua tanta ſervitute cùm nos Dominus immenſa ſua miſericordia in veram filiorum DEI libertatem aſſeruerit, nobiſque ſuo*

Sancti-

Sancto Spiritu certam viam, quæ ad cæleſte illud regnum ducit, præmonſtrarit: non poſſumus profectò non graviſſimè dolere eorum vicem, qui nobiſcum ab eodem ſupremo artifice creati, eidem tamen nobiſcum non ſerviunt, ſed limpidiſſimo uberrimóque aquæ illius perennis fonte relicto, ad detortos lacus quotidie cum maximo animarum ſuarum periculo deferuntur. Hæc ſunt præcipua, chariſſimi fratres, propter quæ incredibili diutius vivendi, ſi ita Domino videatur, eorúmque manus, qui in mortem noſtram conjurârunt effugiendi flagramus deſiderio: quamvis non nos prætereat, nobis etiam mortuis Dominum ſexcentis modis, qui nobis ignoti ſunt, parentes noſtros aliósque nobis ſanguine conjunctos (quibus multò plura jure naturæ quàm aliis debemus) ſi ex ſuorum electorum numero ſint, cum præſcriptus ab eo dies advenerit, ad Filii ſui unici: Servatoris noſtri agnitionem vocaturum. Quamobrem, cum adverſarii noſtri nihil ardentius expetant, quàm ut brevi ad mortem rapiamur, nobisque ora igne accenſo obſtruantur, in idque tanquam optatiſſimum omnium ſuorum votorum finem dies noctésque incumbant: Vos omnes, tanquam membra illius ipſius corporis, pro quo & nos patimur, & in dies mortem; velut oves mactationi deſtinatæ, expectamus, obteſtamur, ut nos

precibus veſtris apud Dominum juvetis, & cauſæ noſtræ pio illi Legato commendandæ ne obliviſcamini.

Hæc Sancti illi Martyres. Eodem animo *Johannes Diazius*, Hiſpanus, & ipſe, velut alter Abel, à fratricida Martyrio affectus, in fratris ſolicitationem conſentire noluit. Cùm enim *Alphonſus* Frater Neoburgi Johannem conveniſſet, variis eum argumentis, minis, promiſſionibus, ab agnita veritate avocare voluit. Tandem, quòd ita non ſuccederet, blanditiis egit; laudavit fratris in veritate Orthodoxa, conſtantiam, eandem, & ſe quoque calculo ſuo probare profeſſus: Id tantùm rogare, ut alibi potiùs, quàm in Germania, eruditorum pleniſſima, talentum ſuum fænori exponeret. Tridentum ſecum abiret, inde ulterius in Italiam, Romam uſque progrederetur. Quantam fratricida δεινότητα adhibuerit, ex Epiſtola Johannis ad *Ochinum* & *Muſculum*, Auguſtanos tum paſtores, data, manifeſtum erit.

Diazii Epiſtola, Neoburgi d. 22. Martii 1546. adeóque paucis ante Martyrium diebus, data, talis eſt: *Tuas & D. Muſculi literas, mi pater, accepimus, D. N. & ego. Et ſicut ille & tu piè ſanè ac ſecurè conſulitis; ita vobis ago gratias maximas, pro hoc veſtro* Chri-

Chriſtiano & fraterno animo & conſilio. Cæterùm, illud inter cætera pro nunc ſummè placuit, ut unicum Chriſtum Redemtorem meum conſulerem, & mundo clauſis oculis ad Chriſti ſolius gloriam eos aperirem: Faxit Deus Optimus Maximus, merito filii ſui, ut ille me illuminet, ille mihi conſiliarius ſit, & in hac cauſa patronus. Nam hactenus nihil ſtatui, quòd cras aut ad ſummum intra biduum hîc D. Bucerum expecto, cum quo coram copiosè agam. Interim me tuis commendo precibus, & D. Muſculi, fratris Chariſſimi. *Quicquid Dominus de me ſtatuere voluerit, ſive manendum, ſive diſcedendum mihi ſit (neque enim credibile eſt, niſi tu ipſe intereſſes & audires propriis auribus) quibus & quam graviſſimis rationibus, ne dicam arietibus, me impetat frater. Sed in Chriſto confido, quòd ipſe dabit ſua gratia felicem exitum. Te & D. Muſculum brevi inviſam.* Supereſt ejusdem *Johannis*, in Bibliotheca noſtra Civica elegans exemplar κανόνων τ̃ Ἀποςόλων, καὶ τ̃ ἁγίων Συνόδων, notis ejusdem manu hinc inde & obſervationibus auctum, ad quod Gualtherus: *Eram olim doctiſſimi & piiſſimi viri, & Sanctiſſimi Martyris, Iohannis Diazii Hiſpani, qui Neoburgi à germano fratre, Alphon-*

Alphonſo Diazio ſolius religionis ergo nefario planéque Cainico parricidio obtruncatus eſt.

In hunc cenſum geminam *Iohannæ Graja* referimus Epiſtolam, alteram ad Sororem, cùm N. T. Græcum ei relinqueret, alteram ad Apoſtatam, cujus præcipitium vivis depingit coloribus. Utraque in *Martyrologio Germanico* extat pag. 554. *Prior* Latinè etiam in *Foxo*, Alteram, ex translatione *Iohannis Banchi*, Angli, qui univerſam illam Tragœdiam Latino ſermone ad D. Bullingerum perſcripſit, inſerere poſſemus, niſi aliquid brevitatis ſtudio dandum eſſet. Illud tantùm ex ipſo ſtatim præfationis limine obſervare nobis liceat, Ducis *filiam Iohannam, verè gemmeam ab eo vocari, non tam propter incredibilem literarum ſcientiam, quâ cæteris fæminis una præſtitit univerſis, anno ætatis ſuæ XVII. quam propter ſingularem, quâ Viros puella in militia ſuperavit fortitudine, quemadmodum nullis machinis, quas admoliti Papiſtæ ſunt, expugnari, nullis decipi eorum inſidiis potuerit.* Præterea verò (ejusdem Banchi verba ſunt) *quàm illud ejus eſſet verè aureum pectus, lumine verbi DEI colluſtratum, ex duabus Epiſtolis perſpicere licebit, quarum alteram ipſa ad Nobiliſſimam Virginem, D. Catharinam Sororem, ut ad ſacrarum literarum ſtudium inflammaret:*

ret : Alteram verò ad Apoſtatam quendam, ut ad Chriſtum Dominum revocaret, ſcripſit. Poſterioris inſcriptio eſt : *Jana Graya , vincta Chriſti in arce Londinenſi , N. Evangelii olim Miniſtro, nunc Apoſtata timorem Domini exoptat & fiduciam, ut nec ſecuritas cum poſito timore occupet ,* nec in iis , quæ exoriuntur tentationum procellis , propter puſillum animum ſuccumbat, & penitus recedat.

XVI. Tandem , ex Martyrum triumphis non modò Eccleſiæ reformatæ colligimus [a] πρωτεῖα , ſed & [b] Antichriſtianæ certiſſima γνωρίσματα : Et ut in Symbolo Apoſtolico Sanctorum communio proxima eſt carnis reſurrectioni, vitæque æternæ fruitioni ; ita negligi non debet, Sanctiſſimos illos Martyres adeò Sanctorum communionis fuiſſe memores , ut & in ſtatu florenti primæ eorum pro ſalute & concordia publica , Eccleſiaſtica & civili fuerint curæ, & ne carcer quidem impedire potuerit , quominus ultima hujus communionis documenta extare voluerint.

a. Πρω-

a. Πρωτεῖα hac in parte Eccleſiæ noſtræ quod attinet, adeò luculenta illa ſunt, ut vel propterea Auguſtani Confeſſores æquiores nobis eſſe deberent. Negare nec volunt, nec poſſunt, magno noſtros numero pro iis dogmatibus, quæ & ipſi confitentur, cervices ſuas objeciſſe: Pro controverſis verò inter nos capitibus, & in quibus illi à nobis abeunt, ne unum quidem oſtendere poſſunt Martyrii veſtigium. Non ergo quâ Lutheranorum, ſed quâ Reformatorum tot illuſtria ſanctiſſimorum teſtium obvia in Martyrologiis ſunt nomina, evidenti bonæ cauſæ argumento. Quàm enim quæsò durum fuerit, quàm impium, eos, qui adeò inſignem contra Diabolum, contra Mundum, veterum Martyrum exemplo, contra Antichriſtum deportârunt victoriam; qui omnia, ut Deo, ut Chriſto placerent, hujus mundi neglexerunt θελκτήρια, damnare?

b. Antichriſto S. Scriptura cornua tribuit ſimilia agno, *Apocal.*17.*v.*14. qui tamen contra agnum erat militaturus; *c* 19. *v.*19. & *c* 20.*v.*8. Speciosis ille ſuperbit titulis, *Chriſti vicarius*, & *Succeſſor Petri* audire vult, in Bullis ſuis nihil niſi curam pro Eccleſia, pro ovili Chriſti crepat. Locis ſæpe Scripturæ Hierarchiæ ſuæ ſubſidium

dium quærit: Magnam præ ſe modeſtiam fert, dum *ſervus ſervorum* appellari non verecundatur. Ubi aſſertionibus res peragi poteſt nudis, vulpem nonnunquam, imò & agnum mentiri poteſt. Ubi verò ipſum eminus videt agnum, viſcera ſtatim ad prælium commoventur. De S. Scriptura ita nonnunquam loquitur, ut parùm videatur ab agni voce abeſſe. Quàm verò primùm agni vocem in Confeſſoribus audit, Scripturæ nempe Sacræ authoritatem non eſſe ab Eccleſia mutuandam; ita perfectam, ut neque in fide neque in moribus alio opus habeamus verbo non ſcripto; in iis, quæ ad ſalutem ſunt ſcitu neceſſaria, eandem eſſe perſpicuam; Controverſiarum judicem, &c. parata ſtatim ſunt, veluti contra læſæ Majeſtatis Pontificiæ reos, cruenta decreta & ſupplicia. Hic jam, qui modò cornua habere videbatur ſimilia agno, contra ipſum militat agnum, omnéſque eos, qui pro agno pugnant, infeſtiſſimo perſequitur animo. Chriſti ſe vicarium dicit: At ubi ea, quæ Chriſti ſunt, honor adorationis, interceſſionis, Sacerdotii ſummi Prophetiæ & regni, Chriſto ſoli aſſeruntur, perduellionis ſtatim crimen objicitur, dira expiandum morte. Eadem

ratio

ratio reliquorum etiam eſt capitum. Non manifeſtiùs ſe prodit Antichriſtianiſmus, quàm ubi ſuppliciis ea extinguere cupit, quæ Chriſtus verbo ſuo ſtabilivit. Cogitent, rogamus, qui præjudidiciorum hactenus faſcinati ſunt lenocinio, & nos nôſſe, non ſupplicium, ſed cauſam facere Martyres: Imò & Diabolo ſuos eſſe Martyres. Expendant verò, an quicquam veteribus conveniat veris Chriſti Martyribus, quod non noſtris etiam competat? Pro Deo, pro Chriſto, mortui ſunt utrique. Nam quæ alia cauſa noſtris animum ad tot ſubeunda ſupplicia addere potuiſſet quàm Ejus, per quem illi poterant ὑπερνικᾶν, aſſerendæ & promovendæ gloriæ ſtudium? Nihil planè reperiemus, cur in noſtros adeò crudeliter ſævitum ſuperiori maximè ſeculo fuerit, quàm quòd Deum homini, divina humanis, ſacra profanis illi prætulerint. Occiſi alii ſunt, quòd imaginum & Idolorum cultum rejerint; quid in primitiva Eccleſia fuit uſitatius? Legatur Protomartyrum noſtrorum Tigurinorum Hiſtoria, nuper à nobis edita. Aliis vivere negatum fuit, quòd Chriſtum in Miſſa adorare nollent; an quicquam veterum habent Hiſtoriæ, quæ primis tantam inſaniam tribuerent Chriſtianis

nis ut mori vel debuerint, vel voluerint pro abſurdo adeò dogmate? Solum agnoſcere Chriſtum Eccleſiæ caput, piaculare noſtris fuit Martyribus, an & olim pœnâ capitis illi, quibus eadem erat mens, metuere debuiſſent? An ullum uſpiam apud veteres, Martyris extat exemplum, qui propterea, quòd ſolum Deum, Patrem, Filium & Spiritum S. adoravit, adorationis cultum creaturis deberi negavit, de vita inter ipſos Chriſtianos periclitari debuerit? Nova hæc Theologia eſt, quæ, quod inter ſalutis fundamenta in ſuis diſcipulis ipſa non agnoſcit, ab aliis tamen ſub capitis pœna efflagitat. Hæc nempe benigna mater eſt, Eccleſia Romana, quæ ſanguine jam expiat omnia, pro quibus ſanguinem & Apoſtoli & primi Martyres effuderunt ſuum. Jactat & Romana Eccleſia Martyrum ſuorum trophæa; ſed, quâ authoritate, ipſi viderint. *Mihi teſtes eritis*, ajt Chriſtus diſcipulis, *& in Jeruſalem, & in tota Judæa, Samariaque & ad ultimas uſque terras*, Act.I.verſ.8. At quos Romani in Martyrum numerum referunt, non Chriſti, ſed Pontificis teſtes ſunt: Pro hoc, ejus doctrina & poteſtate ſanguinem multos effudiſſe non negamus. Extant acta *Beatificationis & Canonizationis,*

ſeu Declarationes Martyrii novendecim Martyrum Gorcomienſium, Romæ an.Ch.1664. excuſa, ubi in ipſo ſtatim limine p.1. refertur, *eos in odium fidei, & ob confeſſionem Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti ac primatus Eccleſiæ Romanæ, poſt varia & quidem immaniſſima tormentorum & opprobriorum genera, Brilæ in Hollandia, palmam Martyrii conſtantiſſimè adeptos fuiſſe.* An veterum quisquam *Tranſſubſtantiationis* aut *Primatus Eccleſiæ Romanæ* nomine μάρτυς cluet? Imò, nova hæc eſſe, Præpoſitus, Decanus & Capitulum Eccleſiæ Cathedralis Namurcenſis in iiſdem Actis pag.49. non diſſimulârunt. *Illud Profectò*, inquiunt, *longè maximi æſtimandum eſt, quòd inter acerbas turbulentáſque illas ingraveſcentis DEO & gregi rebellium perſecutionis tempeſtates, primáſque tentationes, fortioréſque muros ſe aheneos poſuerint, & oppoſuerint, realémque Chriſti præſentiam, nec non ſedis Apoſtolicæ & ſupremi Chriſti in terris vicarii (qui Romanus eſt Pontifex) primatum primi hic in Belgio, effuſo ſanguine propugnârint: Ita ut jure meritò ac ſpeciali quodam elogio dici poſſint Martyres Euchariſtici & Martyres Pontificii.* Ergone adeò ignara fuit & ignava prima Chriſti Eccleſia, ut Pontificios etiam dari Martyres, neſciret? Imò revera alii, quàm Deo, quàm

quàm Chriſto, ſanguinem in cauſa religionis conſecrare ſuum, tam fuit ignotum, quàm quod ignotiſſimum. Taceo, fidei ſive Monarchicæ ſive Monaſticæ Martyres, *Jacobum Clementem, Balthaſſarem Gerardum, Campianum, Garnettum*, aliàque id genus carcinomata, quæ parricidii, Regicidii, læſæ Majeſtatis rea, axiomata nova Martyrum, Beatorum, Sanctorum etiam conſequi potuerunt.

c. Cujusmodi ſunt, 1. *Thomæ Cranmeri*, Cantuarienſis Epiſcopi, cujus ultimæ hujus vitæ curæ erant de communione Sanctorum, & reſtituenda pace Eccleſiaſtica. Cùm enim moneretur, ut authoritate ſua ne Angliæ Rex Tridentum quemquam ablegaret, efficeret: *Quod ad publicam attinet cauſam* (reſcripſit *Bullingero* noſtro, die. 20. Martii 1552.) *nempe ut conſultor eſſe velim, ne Regia Majeſtas Legatum ad concilium Tridentinum mitteret, non fuit opus me conſultore addiſſuadendum ab eo, quod nunquam illi in mentem venit: Sed potiùs conſilium dandum eſſe duxi, ut quemadmodum adverſarii noſtri nunc Tridenti habent ſua Concilia ad errores confirmandos, ita ejus pietate auxilium ſuum præbere dignaretur, ut in Anglia, aut alibi doctiſſimorum & optimorum Virorum Synodus convocaretur, in qua de puritate Eccleſiaſticæ doctrinæ & præ-*

 cipuè

cipuè de conſenſu Controverſiæ Sacramentariæ tractaretur. Ad quod inſtitutum (quia Reipublicæ Chriſtianæ utiliſſimum eſſe judicavit) animum Majeſtatis illius ad modum propenſum eſſe ſenſi. Quare non eſt nobis committendum, ut Eccleſiæ DEI in re tam neceſſaria deeſſe velimus. Scripſi hac de re ad Dom. Philippum, & ad D. Calvinum. Oróque ut conſulteris, qua ratione Synodus hæc aut in Anglia, aut alibi congregari commodiſſimè poſſit. Privata cauſa, de qua ad me ſcripſiſti fuit, ut Controverſiam inter D. Londinenſem, & D. Hoperum Glouceſtrenſem componerem, de qua nunc nimis ſerum eſt, reſpondere. Nam diu ab hinc audiſſe te ſat ſcio, controverſiam illam compoſitam, & penitus ſublatam fuiſſe. Et D. Hoperus ea eſt apud nos æſtimatione, ut VVigornienſis Epiſcopus jam ſit deſignatus, & hoc tempore, quo comitia apud nos Londini congregantur, in ædibus meis mecum conjunctiſſimè vivat. Dominus Ieſus Spiritu ſuo Sancto te gubernet & tueatur. Vale Lambetha. *Tuæ paternitatis ſtudioſiſſimus, T. Cantuar.* Hoperum ſubjungimus: Quos enim amor in vita, in morte Martyrium conjunxit, illos charta hæc, poſt mortem, ejuſdem curæ publicæ ſocios, non ſeparabit. Certè, cum an. Chr. 1549. ne ſimultates inter Gallum & Anglum in publicam belli flammam erumperent,

rent, metueret *Hoperus, ſæpe* (ita d. 8. April. ſcripſit Bullingero,) *enixè vos oravi, ut interponeretis vos medium inter Gallum & Anglum, idem ſupplex propter Chriſtum, pacis reconciliatorem oro & obſecro: Mementote mercedis veſtræ, quam pollicitus eſt, qui mentiri neſcit:* Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. *Ne deterreat vos Regis nominis Majeſtas, aut alterius tituli fumus. Præterea res & conditio Regis ac Regni Angliæ aliter jam ſe habet, quàm olim: Frater veſter eſt: Eundem DEUM, & ſpero eodem modo, ut vos, colunt.* Ultimas ejusdem (ut videamus ne tunc quidem cum Miniſtris Evangelii, ipſum capi aut includi potuiſſe Evangelium, aut impediri ſanctorum communionem) literas d. 3. Septemb. 1553. ex carcere ad Bullingerum ſubjiciemus ſcriptas: *Solebas, Compater chariſſime, graviter de me conqueri, quòd tam raras ſcripſerim ad te literas, & meritò: Sed jam per annum unum plures ad te ſcripſi, & nullas à te recipere potui. Scio, ſtatum noſtri regis tibi non eſſe ignotum.* Rex noſter propter noſtra peccata fatis conceſſit, non ſine magno Eccleſiæ noſtræ periculo. Succeſſit ei Soror ejus, Maria nomine, cui Deus ſemper adſit ſuo Sancto Spiritu, ut regnet & regat omnia ad gloriam nominis ſui. *Altaria ſparſim in regno denuo eriguntur,*

privatæ Miſſæ, multis in locis crebrò fiunt, jacet verus DEI cultus, vera invocatio, rectus Sacramentorum uſus, divina conculcantur, humana prævalent. DEUS propter ſuum Filium unicum, Ieſum Chriſtum, adſit Eccleſiæ ſuæ. Omnes pij Concionatores in extremo verſantur periculo, qui carceris ſqualorem adhuc non ſentiunt, expectant in horas. Interea publica authoritate omnibus interdicitur, ne concionentur: In illorum loca conſtituuntur hoſtes Evangelij, qui è ſuggeſtu humana & non divina populo proponunt. Iam in ſolo DEO confidimus. Illum enixè oramus, ut nos conſoletur & corroboret, ad quævis ſubeunda, pro gloria nominis ſui. *Raptim* ex carcere Londini 3 Septemb. 1553. T. T. *Ioannes Hoperus, VVigorn. & Glouceſt. Epiſcopus.*

XII. Addidit undecimò rebus feliciter cæptis ingens pondus propenſus, Nobilium etiam, aliorumque honoratorum in Miniſterium Eccleſiaſticum animus, quem adeò multi exeruerunt liberalem, ut maluerint Miniſtri eſſe, quàm Domini. Hinc non paucos in Germania, Gallia, Britannia reperias, qui etſi laus illis ſecundum carnem minimè

mè defuerit, nobiliſſimo natis ſtemmate; ad ſtudium tamen Theologicum, adeòque Miniſterium Eccleſiaſticum, ſuum appulerunt animum. Quia verò laudabile hoc exemplorum florilegium & ab aliis, *a* qui tritæ Pontificiorum objectioni, quaſi nulli, niſi è fece Eccleſiis noſtris inſerviant, aut ſtudiis ſe Theologicis conſecrent, reſponderunt, & à nobis etiam alibi eſt oſtenſum, noſtra repetita minimè erit neceſſaria opera. Id tantùm addimus, adeò nonnullos inſtituti hujus ſacri Nobiles non pænituiſſe, ut nihil moleſtius tulerint, quàm ſi metus ex *b* inopinato filios à veſtigiis paternis deterrere voluit; quod ut ne fieret, calcaria undiq; conquiſita & argumenta.

a. Rivet. Tom. III. pag. 501.

b. Nuper in *viatore* noſtro, pag. 387.

c. Ita enim *Ambroſius Blaurerus*, Theologus verè Nobilis, filio ſuo, *Gervico: Supra modum, mi chariſſime fili, iis literis, quas Calend. Ianuarij accepimus, vulneraſti, quum ut iſthinc te quam primum revocem, tantopere flagitas,*

gitas, magis verò, cauſâ iſta, quam adfers, nos excruciat: Quàm mutatur, propemodum priſtinum hoc honeſtum ac verè Chriſtianum inſtitutum tuum Chriſti Eccleſiis miniſtrandi palàm declarat, idque propterea, quòd iis virtutibus, quæ in vita Miniſtri eminere debent, quasque quotidie, quales eſſe debeant, ex Chryſoſtomi libello, Sturmio veſtro interpretante, audias, prorſus deſtitutum te videas, ac proin impudenter feceris, qui non computatis prius ſumtibus ad abſolvendam turris hujus exædificationem neceſſariis, fundamentum jeceris. Et profectò, niſi ſperarem te iſta, gravi quadam tentatione correptum potius, quàm præſenti & ſobrio animo ſcripſiſſe, vehementer me, & ſupra quàm credere poſſis, hæc res conficeret. Omnino autem afflictum me conſolantur alia quædam, in eadem Epiſtola tua ſcripta, illud præcipuè quod placere adhuc tibi affirmas, omnium doctrinarum præſtantiſſimam, Theologiam, quippe quæ cæleſtem ſapientiam contineat, quòd illi tempus & operam ferè omnem impendas, quod propterea declamando te exerceas, quòd poſtremò noſtras, etiam interpellationes apud magnopere Dominum poſtulas, ut is Spiritu ſuo optimam tibi viam,

quam

quam ingrediaris, commonſtret, adjectis id genus aliis nonnullis, quæ omnia argumento mihi ſunt, te fluctuare potius hic, & conflictari cum remoris iſtis, quàm prorſus animum deſpondiſſe: *Quo circa magis hic confirmandus mihi videris, quo in eo quod piè cepiſti, conſtanter pergas, facere juſſis iſtis Satanæ præſtigiis, quibus in lucis Angelum transfiguratus, parùm oculatos faſcinare ſolet.* Quid enim aliud eſt, mi fili, quàm Satanæ præſtigium, quod ſanctum illud animi tui propoſitum propterea tibi deſerendum exiſtimas, quia deeſſe tibi eam eſſe facultatem intelligas, qua id, quod ab Eccleſiæ Miniſtro exigitur, præſtare poſſis. *Hoc enim ſi valeat, eadem ratione Chriſtianus etiam eſſe omnino detrectabis. Quis enim eſt, obſecro, qui ſuis viribus nixus, ea ſe præſtiturum ſperare poſſit, quæ primo ſtatim tyrocinio à ſuis non dico Apoſtolis, & Eccleſiæ miniſtris, ſed omnibus univerſim diſcipulis exigit Chriſtus? Quid igitur facies? Quo te vertes? quum etiam in quocunque vita genere, plus omnino exigatur, quàm ut ſolvendo eſſe poſſis.* Sunt, fateor, non æquali numero diſtributa ſingulis ſervis Domini talenta, ſed aliis decem, aliis quinque, aliis etiam pauciora commiſit, ſed ſingulis tamen æquè expoſita eſt Domini bonitas, & plus quam paterna indul-

 gentia,

gentia, quicunque & votis optant & pro data ipſis gratia, conantur tales eſſe, quales divinitus præſcripta Lex eis præcipit. *Quare non eſt, cur te hîc anxiè vehementérque torqueas. Non deerit tibi ſui Spiritus unctione Dominus, ſi te ad paſcendum gregem ſuum vocaverit. Nemo eſt Regum Mundi hujus, qui ſi quem ex aulicis ſuis, in gravi quopiam regni ſui negotio Legatum aliquo mittat, eum non etiam omnibus ad eam legationem magnificè feliciterque obeundam pertinentibus affatim inſtructum abmandet, equis nimirum, ſplendido ſatellitio, ampliſſimo viatico, atque omnino digno ſe cultu; multò magis etiam eloquentiam, ac ſummam in agendis rebus, prudentiam, ſi poſſet, ſuppeditaturus.* At quantò hic Chriſti Legati & Apoſtoli, quos in mundum mittit, velut Rex Regum, & Dominus dominantium, qui unus ſuis, quos abmandat hoc & polliceri audet, & præſtare poteſt, nempe ipſis ſe daturum os, & ſapientiam, quibus omnes etiam adverſarii reſiſtere nequeant: Id quod ſæpiſſime factum, quemadmodum in Sacris Hiſtoriis legimus, ſic etiam noſtra ætate fieri vidimus, ac etiamnum videmus. *Magno igitur & excelſo hîc animo eſto, ac quoties tua te indignitas à muneris hujus magnitudine abſterret, ſemper ſuccurrat, non tuum te, ſed cæleſtis hujus Imperato-*

ris

ris negotium acturum : Qui infirmos ac ſtultos apud mundum , ad res maximas vocat. Quantumvis etiam potentia & ſapientia mundi ſuperiores facit. Non ignoras quid Moſi provinciam ſibi a Domino demandatam detrectanti, quòd parùm eloquens eſſet, Dominus graviter etiam objurgans reſponderit. Certè ſi ex nobis nos æſtimemus, nihil planè ſumus; nihil poſſumus, qui ne idonei quidem ſumus quicquam cogitare ex nobis ipſis, contrà verò omnia ſcimus & poſſumus, ex illius ſapientia & virtute, cujus Spiritum hauſimus : cujus ſapientia & virtus per noſtram ſtultitiam & infirmitatem perficiuntur. Plura ad te dè iis ſcriberem, niſi fruſtra me facturum ſcirem, quum ipſe hic quotidiana ſacrarum literarum lectione in viam te revocare poſſis : Et ad manum habeas optimum & pientiſſimum Hubertum noſtrum, alterum tuum parentem, apud quem ut & hànc, & omnes alias animi tui ægritudines, nihil prorſus illum celans, deponas, quàm poſſum te etiam atque etiam obſecro, & adjuro : Nullum enim in iis animi perturbationibus præſentius remedium eſt, quam omnia ſemel in boni cujuſpiam & Dei timentis viri ſinum effundere. Quod cùm Satàn non ignoret, quibuſcunque poteſt artibus cavet, ne

ne illhuc faciant, qui ſic afficiuntur, ſed apud ſe ſolos omnia concoquant, quò tandem vel non omnino, vel multò difficilius curentur. Et hic igitur, mi fili, diligenter advigila, ne tibi deſis, ſed hac etiam parte Satanæ aſtus fortiter ejicias, quo reſumto priore animi propoſito, tranquillior rurſum & alacrior ſtudiorum tuorum curſum ad deſtinatam ac præſtitutam metam pertingas. Huc non intempeſtivè me adſcripturum putavi, quæ nuper in chariſſimi Diethelmi noſtri literis poſtremò ad Patrem datis, inter cætera legi, cujus exemplo, quandoquidem ſemper conjunctiſſimi fuiſtis, veluti ſtimulo quodam invitatum iri, ad perpetuam ſancti inſtituti veſtri conſtantiam nihil addubito. Sic autem ſcribit: *Mi pater, quòd, pro officii tui pietate, de matrimonio obiter mones, nolo te fugere, me ſpem atque deſiderium meum omne divina committere providentia, mêque minus adhuc de eodem ſollicitum eſſe, quum rem magis arduam, neceſſariámque nuper ſuſciperem, ſtudium videlicet Theologicum, ut nôſti, in quo ut feliciſſimè paſſim proficere, inprimis mihi quærenda omnes rationes, fugienda autem occaſiones ſunt, qua ab eodem me fortaſſis avocare poſſent.* Chriſti enim doctrinam ſecutus regnum Dei primùm quæram, & ſic reliqua mihi

mihi adjicienda poſtea ſperabo, tantò etiam æquiori animo tempus ad Opt. Max. conſtitutum expectaturus, quod ſentiam Chriſti benigniſſimam manum mihi adeſſe, quæ & animam in eam, & corporis hujus caduci fabricam ſic integram, caſtam & puram hactenus, quod & præſtabit in poſterum, fideliter conſervavit ad gloriam & exaltationem nominis ſui ſempiternam. Hactenus ille. Ita *Blaurerus* filio ſuo, ut ſtudia cœpta continuaret a. Chr. 1562. Ad utrunque verò, *Diethelmum* nepotem, & *Gervicum* filium (1. Febr. 1559.) hunc in modum ſcripſit: *Et nova hujus, & quotquot reliqua victuri eſtis annorum curricula, chariſſimi filii, felicia Vobis & fauſta, auſpice recens nato Chriſto, totius mundi inſtauratore, tam fidelibus piarum precum ſuffragiis impetrata cupimus, quàm vos paterno maternóque amore & affectu unicè diligimus, arctiſſiméque complectimur: quoniam nihil nobis æquè in votis eſt, nec eſſe unquam poterit, quàm ut vos aliquando adultiores factos ad hunc ipſum πρωτότυπον Chriſtum, ejúsque manus unguem formatos, accuratéque effictos videamus, quo etiam omnibus nervis contendendum vobis putabitis, omnia veſtra ſtudia, omnes conatus huc conferentes, ut huc magiſq; magis eas tandem quàm proximè, quo ad ejus fieri poterit, exprimatis: Et*

verò

verò hic eò felicior ſucceſſus, ſi continentibus fidei veſtræ ſuſpiriis à cæleſti Patre, hocque ipſo Filio ſuo bonum ac communem rerum Spiritum efflagitare nunquam ceſſaveritis, quo uno artifice & vetus homo cum ſuis concupiſcentiis eruitur, & novus juxta Deum conditus paulatim induitur. Deinde ſi diurna, nocturnáque manu Sacrarum literarum oracula ſumma diligentia verſaveritis: Eæ enim ſolæ eruditos vos reddent ad ſalutem per fidem, quæ eſt in Chriſto Jeſu.

XIII. Habuit & vita, pietatis atque charitatis Chriſtianæ operibus efficax, rebus etiam adverſis & deploratis, à reformatis demonſtrata Chriſtianis, inſignem ad promotionem Evangelii ῥοπήν. Nihil enim vel in commentitiis ſuis conſiliis proferre poſſunt Evangelicis, Pontificii, quod non, veluti præceptum, implere ſtudio noſtri habuerint, eóque ad ſummam Chriſtianiſmi ἀκρότητα perveniendi ſtudium multi probârint.

Nam, ut à *dilectione inimicorum* auſpicemur, quis ignorat, ideo multos ſupereſſe ma-

maluiſſe, ut adverſarios ex Cimmeriis liberare poſſent tenebris, ſumúmque adeò charitatis in iis edere ſpecimen? Quot, ex Martyribus, Nobiliſſimis etiam, cervicem ſuam jam jam objecturi carnificibus intima charitatis dilatârunt viſcera? Videatur exemplum Joannæ Grajæ, in *Fox.* pag. 237. Quot, ut probarent ſe Chriſtianos, tam amicis quàm inimicis ſua, tempore peſtis, obtulerunt officia? *Peſtis* (ita *Beza* ad Bullingerum) *magis ac magis Lugduni graſſatur, & aulam pedetentim ſectatur. Noſtri tamen pergunt DEO gratias agere, & quantum licet, frequentes habere conciones: Quod ita terret adverſarios, ut quædam etiam matrona ex peſte moriens, quamvis Papiſticiſſima, videns tamen, noſtrorum fiduciam & charitatem in cunctis ægrotis (quamvis tanta non ſit, quantam eſſe oportebat) tamen ſuos ſit execrata, & in ejus rei teſtimonium Eccleſiæ ærario 500. ut audivimus, aureos legârit. De patientia injuriæ* quid dicamus? Omnino fuit hoc ſeculum ὑπομονῆς, quo adverſarii perſequendo, cruciando, è medio tollendo ampliſſimum veris Chriſti diſcipulis patefaciendæ ſuæ patientiæ aperuerunt campum. Noſtris enim luculentus ille Servatoris μακαρισμὸς ſingulari competebat privilegio, *ut qui non erant perſecuti, ſed perſecu-*

tione

tione ubique invaſi, juſtitiæ causâ, Matth. V. v. 10. Extrema enim quæque pro juſtitia ipſa, pro Jehova, juſtitia noſtra, ſubire illi erant parati. *De caſtitate & cælibatu* quid jactent alii coacto, & ſæpe impuro? Illi, noſtri erant Eunuchi, qui propter Chriſtum, nomen, gloriam, doctrinam ejus clariſſima hujus vitæ pignora, oculorum delicium poſthabuerunt, adeóque verè propter regnum cælorum *εὐνουχίσθησαν*, *Matth. XIX. v.* 12. De *paupertate*, *ἀκτημοσύνη καὶ ἀποταγῇ*, quid illi loquantur, qui ex pulvere terræ & glebarum moleſtia, ad ſummos evecti honores, divitiis affluunt & deliciis? Noſtri contra Martyres, regio ſanguine creti, Equites, nobiles, vitam fortunam, omniàque hujus mundi oblectamenta ultrò profuderunt, ut teſtarentur, ſe omnibus bonis ſuis valedicere propter Chriſtum didiciſſe, *Luc XIV. verſ.* 33.

XIV. Ut vitæ licentia, in iis etiam, quos ordinis reverentia intra officii limites continere debuiſſet, major fuit, quàm quæ tolerari ampliùs potuerit; ita obſervatum eſt, teſtam, quo ſemel fuit imbuta, ægrè mutâſſe odorem. Certè quibus otium

tium placuit, ſuperſtitio, & ἀκολασία juvenibus; provectioribus ætate ne furca quidem expelli illa poterant. Ex his ergo fructibus de arbore judicium cujvis ferre erat proclive.

Alibi hoc ulcus tetigimus: Vid. *Analect.* P. I. pag. 69. P. II. pag. 547. *Duo* tantùm, ex ſuperiorum ſeculorum Hiſtoria, addemus ἐπίμετρα, quorum *alterum* oſtendet, quo uſque paulatim ſuperſtitio creverit in religione, tyrannis in regimine, licentia, in vitæ adminiſtratione, apud eos etiam, qui veluti Abbates ſeu Patres facem reliquis præferre debebant. *Alterum* palàm faciet, quàm moleſta fuerit illis lux Evangelii, qui in tenebris palpitare, operisque tenebrarum aſſueverunt. *Prius* induſtriæ *Bullingeri* noſtri debemus, qui jam Calend. Febr. 1526. annales Cœnobii Cappellani conſcripſit, ἀνέκδοτος hactenus, ubi ſub finem Tragicam Abbatis Trinckleri vitam in exemplum proponit. Tribus autem actibus tota hæc abſolvebatur ſcena, electione, adminiſtratione, depoſitione. Pila hic erat, & non tam fortunæ ludibrium, quàm juſtiſſimæ vindictæ divinæ exemplum. Cùm an. Chr. 1492. adminiſtrationem Cœnobii Cappellani ſubiret. (*Bullin-*

geri rem narrabimus verbis, additâ ejusdem Epicriſi) *admodum periculoſa illa fuit, cenſibus intricata, ac ære alieno ita degravata, ut haud fruſtra deſperârit. Mox tamen difficultate paulatim cedente, & ſumma quæque ſperavit, & eadem etiam fuit conſecutus. Brevi enim curâ ſua & induſtria id obtinuit, ut Cœnobium plus quàm quingentis coronatis, quibus quot annis per cenſum gravabatur, levatum fuerit: Morientibus partim iis, quibus ex pacto, certa, per vitam ſolvebantur, partim ſumtibus non usque adeo neceſſariis diminutis. Et planè nihil parúmve amplioris fortuna potuiſſet inter initia à quoquam deſiderari, ſi modò ſæva incendia medium non interrupiſſent curſum. Siquidem dum ageretur annus Domini* 1493. *dies verò Ianuarii* 15. *flammæ per coquinæ caminum perrumpentes, dormitorium invaſerunt, imò & conſumſerunt cum ædificiis inferioribus. Et reliquam quoque cœnobii partem ac templum ipſum voraſſent, niſi Tuginorum, & vicinorum è Tigurino agro ferreus labor, inſignísque prudentia, paſſim jam jam ſævientes, reſtinxiſſent. Quemadmodum autem in nullis rebus adverſis Trinckleri animus dejectus penitus fuit; ſic in hac inprimis ſtrenuè ſe geſſit. Nam intra quatuor annorum ſpatium ita omnia reſtituit, ut novi ædificij tum pulchritudo tum celeritas dolorem aboleret ruinæ. Vicis itaque adverſa & peri-*

pericula omnia Trincklerus , enavigavit item ex cenſuum & æris alieni ſcopulis, quare poſteaquam ſibi placeret, in faſtum atque luxum præcipitatus eſt. In famulos, paraſitos, & equos plura profundebat. Et ut frequenti turbâ atque admiratione populi multum fuit gaviſus, ita magnifico equorum apparatu Tigurum ſalutare ambitioſius fuit ſolitus. Convivia illius erant inſtructiſſima, ſumtus in hoſpites maximi, thermarum uſus frequentiſſimus , quo mirum eſt, quantam fecerit opum jacturam. Teſtes erant oculati qui Badæ ipſum plusquam viginti menſæ adhibuiſſe obſervarunt. Libidinis non adeò proſtituta fuit, ſed quæ nè à Veſtalibus quidem abſtineret. Ædificia Tugii & Tiguri magnifica extruxit : Et quemadmodum verſutiſſimi fuit ingenii, ita foris, in Tigurino cumprimis agro, quosque ſibi devinxerat beneficiis, & largitionibus ; domi verò tyrannus ſæviebat in tyrunculos ita ut nemo eorum illi vel in conſpectum intrepidè progredi auderet. Et ſeniores qui tum ſupererant, neque penitus cerebro carebant, è cœnobio callidè ablegatos , Eccleſiarum (quæ per decimas à Cœnobio dependebant) præfecerat miniſteriis : Ipſe interim domi ſolus, juvenum ſibi deligebat catervam, quibus faciliùs imponeret, & ſuperſtitionem Monaſticam liberiùs plantare poſſet. Itaque nullus hic ſtultarum legum & ceremoniarum finis:

Hic nemo ſatis ſtultitiam & præſcriptiones enumerare queat, quòd ille præceperit de horis, Miſſis, cantu, pauſis, de geſtu corporis, inclinatione, veſtibus, ſomno, de ſilentio, potu, pulſu, déque millibus fabulis, & næniis id genus infinitis. Quibus tamen eo tempore, iisque hominibus admodùm religioſus, & abſolutæ pietatis videbatur magiſter. Neque magni artificis erat juvenilibus animis, ſenſu ac judicio per ætatem adhuc carentibus, imponere, neque magni operis, quo libeat, tales flectere. Præterea ſuos illos, id quod omnium tyrannorum eſt, odio habebat; nec quicquam cum illis familiarius colloqui, neque unquàm apud illos poterat lætari: Imò è Tiguro cum gaudiorum tripudio reverſus dicere ſolebat: Jam jam mihi ipſi excido, cùm ad meos me ire ſentio. Omnia denique negotia publica procurabat per extraneos, ſuis illis in univerſum neglectis & contemptis. Quo autem quisque ex Procuratoribus magis adulabatur, eò homini ſtolido erat charior; hos deinde maximè adamabat, hos ſecretorum ſuorum habebat conſcios, hos lautè paſcebat, cùm interea Conventus ſqualeret inopia, & nihilo lautius aleretur captivis. Si verò prodiret ille aliquan-

quando, jam nemo fratrum conſiſtere audebat: Quòd viſis illis, aut ob ſanitatem deambulantibus, aut aliâs ſeſe refocillantibus, usque adeò ſæviret tyrannus, clamoribus & jurgiis, ut hominem penitus exuiſſe videretur. In hâc autem tyrannide, in hoc Conventus metu tyrannus plusquam qu ingentis coronatis degravavit cœnobium, ut jam per æs alienum nihilo melius ageretur, quàm dum ille functionem ordiretur. Unde negotio ad Ampliſſimum Magiſtratum Tigurinum perlato, factum eſt, ut abdicaretur Trinckleus imperio, certáque anni penſio ipſi decerneretur. Exauctoratus Tigurum diſceſſit anno Chriſti 1509. adminiſtrationis 17. ubi annum & aliquot menſes tantum ſupervixit. Anno enim 1511. pridie Dominicæ, Quaſimodo geniti cuſtode deluſo, ſeſe in domo Capellana à trabe tecti ſuſpendit, tædio contemtus & amiſſæ dignitatis. Poſt quatriduum demum trabe ſolutus, inque vas quodpiam (Cæſareo, patrioque jure, atque Epiſcopi Conſtantienſis decreto) incluſus hinc per medias plateas magno populi ſtupore, tractus, in Limagum fluvium præcipitatus eſt. Fuit iſta, procul dubio, juſti Dei ultio, qui deploratum iſtum, magno ſæpius in urbem

 trium-

triumpho ingredientem, tanta ignominiâ, tantis probris, tantóque terrore iterum per medias ex urbe turbas rapi voluit. Caveamus ergò à luxu, hypocriſi ac faſtu. Hæc *Bullingerus*. Trincklero ſucceſſit *Ulricus VVuſtius* Tigurinus, qui à Leone X. infulam obtinuit 1513. ceremoniarum magnus æſtimator, ſed tyrannicæ legis de cœlibatu rigidus cenſor. Hæc de *priori* exemplo; *poſterius* itidem ex authore domeſtico repetere placet. Scripſit *Rudolphus Stumpfius*, F. Antiſtes Tigurinus *Antiparallela Martyrum Chriſti & Anti-Chriſti per Helvetiam*, ubi inter alia: A D. 1525. Rutenſis cœnobii Abbas, nomine *Felix Clauſerus*, Tigurinis ob religionis Reformationem infenſiſſimus, quas eo nomine Tragædias excitârit, Stumphius P. pleniſſimè commemorat Chronicorum Helveticorum, non quidem typis excuſorum, ſed *authoris ipſius manu ſcriptorum Tomi* poſterioris lib. 8. fol. 289. Cæteri verò Monachi ejus Cœnobii abjecta cuculla, Monaſterióque relicto aliqui ætate, ingenio, & literarum cognitione erant inſtructi, Eccleſiæ & Evangelii Miniſterio ſeſe applicabant: Alii verò rudiores aut artes manuarias diſcebant, aut ad eas minus idonei è Cœnobii reditibus toto vitæ ſuæ ſpatio ſuſtenta-

tabantur. Ex omni tamen numero tres Abbatis ſui veſtigiis pertinaciter inhærentes, ad mortem usque multa ſuæ nequitiæ, Anti-Chriſtianæque militiæ inſignia documenta dederunt. Unus eorum natu minimus, *Rodolphus Sponius* in ætatis ſuæ vigore, cujusdam lanii, nomine Georgii Mezgeri, in proximo pago habitantis uxorem ita philtris mancipaverat, ut illa, abſente marito, relicto domi parvulorum liberorum numero, pernox Monachi ſe luſtro & libidini dederet. Maritus, præter uxoris opinionem domum reverſus, repertis ſolis miſellis liberis, matrem in Monaſterio eſſe cognoſcit. Itaque juſta Zelotypia motus, gladióque accinctus ad Monaſterii portam clauſam accedens, & ad proximum oſtiolum ſuper ingenti ſaxo, quod inter utramque, majorem & minorem portam interjacet, reſidens, uxoris exitum furens expectat. Manè, circa horam quartam, Monachum oſtium lenta clavi aperientem & mæcham cum oſculo dimittentem, primo gladii ictu proſternit, humique palpitantem, diſſecto capite, & eliſo cerebro neci dat, adultera interim viva dilapſa. Secundus fuit *VVolfgangus Huberus*, natu maximus, truculento vultu impudentiam, audaciam & ſce-

lerum conſcientiam prodens: Evangelii Jeſu Chriſti & Miniſtrorum ejus hoſtis implacabilis, quo nomine vicinæ Eccleſiæ & pagi paſtorem, integritate vitæ & propagandæ veritatis Zelo inſignem Virum, ſed planè ſurdaſtrum, præ cæteris exoſum, nomine Martinum Mænnhardum, natione Rhætum fortè, Monaſterium illud, equo, prætervectum, nihilque hoſtile expectantem, Cainius Monachus ex inſidiis aggreſſus, à tergo ingenti conto in cervices & humeros impacto, humi proſtratum, juxta contum abjectum fugiens reliquit. Equus, Monachi impetu improviſo, & domini caſu territus, effræni curſu fortè ab obviis quibusdam viatoribus captus, & agnitus jacentis domini inquirendi occaſionem præbuit, qui ſeminecem humi jacentem ſuſtulerunt, ſpiritúmq; interclusum fomentis refocillârunt: qui poſtea, recuperatâ valetudine multos ſupervivens annos, & hoſtium ſuorum exitii ſpectator, tandem ſatur annorum placidè in Domino obdormivit. Sed redeamus ad Monachum. Erat Monaſterio vicina Sylva, ipſi cœnobio cognominis, cui ex altera parte adjacentem villulam celebat Islerus, vir juvenis, cui juvencula domi erat uxor, forma quidem venuſta; ſed moribus parùm pudicis:

dicis: hanc venator ille Monachus deamabat, eámque ſuo obſequio aſſuefecerat, ut quoties vellet, dato ſigno evocata potiretur in proxima villa. Maritus tandem re animadverſa, Zelotypiáque motus, uxorem fortè in interiora ſylvæ luſtra clam ſubſecutus Monachum ἐπαυτοφώρῳ cum mœcha deprehendit. At mœchus proſiliens, ſclopeto, onerato & intenſo, trepidantis juvenis pectori admoto, cogit jurejurando, ne unquam facinus vel in uxore, vel ipſo ulciſci, vel cuiquam mortalium aliquid, ne in poſterum quidem, enunciare velit: Simplex & meticuloſus maritus territus, juramentum quidem præſtat; ſed eo die gemebundus, frequentibus lachrymis & ſuſpiriis, quem verbis enunciare non audebat, alto corde latentem dolorem prodens, paulatim contabuit, tandémque animam exhalaturus, ſuaſu amicorum, rem omnem confeſſus eſt. Tertius, *Sebaſtianus Hegnerus*, ſolitudinis pariter & veræ religionis impatiens, corraſis, quantum clam fieri potuit, Monaſterii privilegiis, tabulis & inſtrumentis, Raperſuillam transfugit, ibique patrocinio Pagorum Papiſticorum fretus, litem Senatui Tigurino diuturnam movere fuit auſus. Tandem furiis ultricibus exagitatus in eo-

U 5 dem

dem oppido cùm manè ad locum ſecretum ſeceſſiſſet, ſe ipſum laqueo ſuſpendit, & à concubina ſua superveniente, cultróque laqueum incidere volente, vulneratus in cervice inter ejus manus infelicem exhalavit animam, & quo minus factum divulgaretur, noctu in officinam tegulariam extractus, in ardentem fornacem conjectus & in cinerem redactus eſt. Videatur de eadem tragædia *Simler.* in vit. *Bulling.* p. 29. & 30. Addam fragmentum Epiſtolæ *Vadiani*, ad Bullingerum, an. Chr. 1546. *De Baalitarum ſceleribus non eſt quod dubites.* E Roſchacho enim Parochum vinctum abducere, & Epiſcopo Conſtantienſi tradi juſſit Abbas noſter. Et in aperto eſt, multo ipſum tempore abuſum naturali ſua filia, id quod & ipſa in vinculis, in quibus adhuc gravida detinetur, clarè confeſſa eſt. A Parocho Goldachenſi ſororem gravidam factam eſſe, conſtans rumor eſt, & ſunt qui credant, utramque à ſe vitiatam. De aliis quibus de ſcripſeram conſtans etiam fama eſt; ſed ut certò ſcias, quid res ipſa habeat, omnia exquiſitius percunctabor. Quæ quidem propterea hoc loco commemoramus, ut μισογάμους, promiſcuæ libidini aſſuetos, maluiſſe uri, quàm ex Apoſtolico mandato nubere, 1. Cor VII. oſtendamus. XV. Quin

XV. Quin & ipſa hoſtium crudelitas, & inſatiabile veritatis extinguendæ deſiderium, plurimum ad propagationem Evangelii contulit. Ut enim nuſpiam violenta durant, ita initio Reformationis ſanguinaria hoſtium conſilia, animum noſtris addiderunt, ut cùm nec precibus nec officiis locum relinqui viderent, aliter *a* ſibi conſulerent. Ipſæ etiam Reformatorum clades, non modò *b* humiliationis, illis; ſed & adverſariis, divinos *c* agnoſcendi natales præbuerunt materiam. Unde & graves in Eccleſiæ Romanæ communione viri *d* Regibus & Principibus, ne tyrannide & perſecutionibus in reformatos ſævire pergerent, authores eſſe cœperunt.

a. Sit exempli loco *Belgium.* Cùm enim Belgarum variis modis lacerarentur privilegia, nec Rex Hiſpaniarum per Legatos rogatus deſiſtere vellet, Nobilitas, Duce Henrico Brederodio, confœderatione facta, Margarethæ gubernatori libellum ſupplicem ſtatus emendationem, religionis

nis Proteſtantium permiſſionem petentes, obtulere: Hos cùm Barlamontius per contemptum *Geuſios*, id eſt Mendicos, Valonum lingua, vocaret, factum, ut qui *Hugoniti* in Gallia, in Belgio *Geuſii* dicerentur. Illa ſupplicatione verbis aliquid, re nihil obtinuere: Nempe ut Proteſtantes Miniſtri, eorum hoſpites, non flamma, ſed ſuſpendio necarentur, qui animum ſententiámque mutarent gladio, vulgus exilio caſtigaretur. Fama, quæ Legatos in Hiſpania malè acceptos, & copias contra Belgas conſcribi, tulit, ita Proteſtantibus animum addidit, ut in plerisque Provinciis publicam libertatem Religionis ſibi ſumſerint. Idem in Germania & Gallia accidiſſe notius eſt, quàm quod operosè demonſtrari à nobis debeat. Perſcriptum aliquando fuit & nunciatum in Germania, Cæſarem, conſobrinæ Mariæ, Angliæ Reginæ dediſſe conſilium, ut regeret clementer, neque religionem mutaret, neve nuberet extra regnum: quid enim in eo ſit periculi, ſi religionem innovet, ſibi omnium optimè conſtare; *Sleid.* l. XXV. pag. 331. Unde & *Theologus Belga*, qui Francothalii Miniſter erat, ad *Muſculum* an. Chr. 1582. *Scio, quid agat S. illa Liga, ſeu potius ſanguinarium illud fœdus. At, mi frater, quid, quæſo, hactenus*

nus effecerunt quinquaginta his annis omnia Pontificiorum conſilia? Vnicum Lutherum, alterum Zuinglium tota Pontificia factio non potuit opprimere, an jam Evangelium per totam Europam longè latéque propagatum uno momento extinguent, aut ſuppriment? Minimè gentium. Implebunt invidi electorum numerum, die noctúque ad Deum clamantium, ſuúmque auxilium maturabunt. Preſſa valentius præſtabit Eccleſia, adverſus quam portæ inferorum non prævalebunt. Et *Beza* ad Blaurerum: *Mirè nos hic tenet ſuſpenſos Badenſium Comitiorum exitus, apertè bellum in nos molien- te noſtro vicino. Is quoque non ita pridem VValdenſium Eccleſias ita crudeliter vexavit, ut quaſdam etiam penitus everterit, reliquas ſuis paſtoribus privârit, nihil denique tyrannicum in eas omiſerit. Sed vivit Dominus, qui requiret. Ad nos quidem quod attinet, DEI gratiâ, jam obduruimus ad hujusmodi conatus, & DEO freti ſperamus illum ruiturum in ſuam perniciem, ſi in nos irruat.* Et paulò pòſt, de Gallicis Eccleſiis fatetur, ſe plus de illis ſolicitum eſſe tempore pacis, quàm perſecutionis fervore.

b. Hæc cordatorum judicia erant de clade Helvetiorum Reformatorum Cappellana. Qui animum (ita *Scultet.* ad an. Chr. 1531.) paulò ſublevabant altius, ita humi-

humiliandos fuiſſe, qui omnem victoriæ ſpem in potentiæ ſuæ robore fixam haberent. Cujus culpæ affinem fuiſſe ſanctum quoq; Oecolampadium, vel Epiſtola illa loquitur, qua Simonem Grynæum Heidelbergâ Baſileam vocans, non dubitat ſcribere iſta: *Helvetios inter ſe diſſidere prorſus periculo caret: Potentiſſimæ civitates confæderatæ ſunt ad tuendam Evangelii gloriam: quæ repugnant, pauciores ſunt & longè inferiores,* Tom.IV.Epiſt.p.836. Cujus judicii procul dubio illi in mentem venit, quando victis Tigurinis ad Theologos Ulmenſes ſcripſit: *Non inter minima bona recenſeri merentur humiliatio mentium noſtrarum, & fiducia non in brachium carneum, ſed in Deum ipſum. Quæ duo electi inde diſcunt. Ib.p.*981. *VVolphgangus Muſculus,* arrepta inde occaſione, divinabat, & verè quidem, in Germania idem futurum. Hæc enim ſunt illius ad Bucerum d.30. Octobris 1531. Auguſtæ Vindelicorum ſcripta verba: *Quia peccârunt olim Helvetii mercenariam operam ad quævis vel impiiſſima bella locantes, agnoſcunt quidem hodie boni, ſed quota eſt eorum portio, quos ejus facti vel tantillum verè & ſeriò pænituerit? Quòd ſi Dominus illius peccati animadverſionem inſtituere voluit, à quibus, quæſo, niſi à ſuis, ut ſolet, exordietur? Cur id fiat, mille ſunt cauſæ.*

Ger-

Germania quoque multarum nationum ſpoliis referta diſcet tandem, quàm verè dixerit Propheta: Væ qui prædaris, num quid & ipſe prædaberis! An adeò clanculum eſt, in Germania prædones ſanguinarios, ut quisq; plura aliarum nationum ſpolia reverſus attulit, eò fuiſſe & eſſe hodie honoratiores? Præmiſit Dominus verbum ſuum, quod quo loco habeatur, Sole ipſo clarius eſt. Quid ſequetur, Bucere chariſſime? Si caſtigaturus eſt Dominus Germaniam, ut non dubito, quos quæſo priores putabis ſenſuros flagellum? Noſtri perpetuò gloriantur in multitudine & potentia quorundam, qui à parte noſtra ſunt, Principum, Urbium, & neſcio quarum nugarum Verùm, quàm id diſpliceat Domino, nôrunt pii. Ego non video, quo pacto poſſit Dominus nobis adeſſe illa, quâ nos vellemus, via. Quantum gloriæ accedet divino nomini, cùm multi vincunt paucos, potentes ſuperant infirmiores? Enormis eſt Papiſtarum impietas ſimul & improbitas. Verùm ideo etiam absque dubio ſentient manum Dei omnium malorum ultricem. Sed nos quoque commiſimus, & committere non ceſſamus, caſtiganda juſto Dei judicio, quorum non

adeò

adeò ſeriò nos pœnituit atque decebat veriratis & bonitatis divinæ gnaros.

c. Vid.T.VI,pag.182.

d. Audiamus, præ cæteris, *Iacob. Auguſt. Thuanum*, ex Epiſtola nuncupat. Hiſtor. ſuper. Secul. ad Henricum IV. *Nempe*, inquit, in aurea illa præfatione; *ad cætera, quibus hoc infeſtum virtuti Seculum ſcatet, mala, religionis diſſidium acceſſit, quod jam toto penè Seculo orbem Chriſtianum continuis bellorum motibus vexat & deinceps vexabit, niſi tempeſtiva remedia, atque adeò alia, quàm quæ hactenus adhibita ſunt ab iis, quorum præcipuè intereſt, adhibeantur.* Nam experientia ſatis edocti ſumus, ferrum, flammas, exilia, proſcriptiones irritâſſe potiùs, quàm ſanâſſe morbum menti inhærentem: ad quem proinde curandum, non iis, quæ in corpus tantum penetrant, ſed doctrina & ſedula inſtitutione, quæ in animum leniter inſtillata deſcendit, opus eſſe: *alia quippe omnia pro arbitrio civilis Magiſtratus atque adeò Principis ſanciuntur: Sola religio non Imperatur, ſed ex præcepta veritatis opinione, accedente divini numinis gratia, bene præparatis mentibus infunditur. Ad eam cruciatus nihil valent, quin obfirmant potiùs animos, quàm frangunt aut perſuadent.* Audire operæ pretium eſt, quid unus ex iis (*Martyribus noſtris*)

ſtris) dixerit, feceritque, cùm igni cremandus ad palum alligaretur, ibi genibus flexis canere cepit hymnum, quem fumus & ignis vix interrupit. Et cùm carnifex ignem poſt tergum, ne conſpiceretur, immittere vellet, Huc inquit, accede & ante oculos accende ignem; ſi enim illum timuiſſem, nunquam ad hunc locum, quem fugere licuit, acceſſiſſem. Réſque eo tandem devenit, ut non unius aut alterius pœna, quod fortaſſe ab initio licuit, malum, ne latius ſerpat, reſecari poſſit, ſed cùm totos populos, totas nationes, atque adeò maximam Europæ partem pervaſerit non jam Magiſtratus ferro, ſed gladio Dominico opus eſt: *Nam doceri, & moderata ratione ad colloquia & amicas collationes invitari debent, qui cogi non poſſunt.* Fecit hoc *B. Auguſtinus* ad Proculianum, partis Donatianæ Sectarium ſcribens, qui etiam pro iis rogabat Donatum Africæ Proconſulem, ne occideretur. Quæ à me dicuntur, ut oſtendam, *prudentiſſimè & ex inſtituto veteris Eccleſiæ Principes eos feciſſe, qui bella ob religionem exorta potiùs, vel cum iniquiſſimis conditionibus amicè componi, quàm armorum vi confici debere cenſuerunt.* Id vidit Ferdinandus ſapientiſſimus Princeps, qui bellis longè maximis ac periculoſiſſi-

 mis

mis ſub Carolo V. Fratre in Germania exercitatus cum experientia didiciſſet, cepta armis adverſus Proteſtanteis hactenus malè ceſſiſſe, poſtquam felicibus auſpiciis imperium inivit, *religionis pacem ſolemni decreto ſanxit, quam repetitis vicibus ſemper poſtea confirmavit.* Idem Germanorum exemplum poſtea *Poloni* optimates in ſua republica ſtatuerunt. *Emanuel* autem *Philibertus*, Sabaudiæ Dux, poſtquam pacis nobiſcum factæ beneficio in antiquam ditionis amiſſæ poſſeſſionem reſtitutus eſt, cùm, ſive ad excitandam ſui in Italia famam, ſive ut áliis vel cum periculo ſuo gratificaretur, damnoſo ſe adverſus Convallenſes bello temerè implicuiſſet, *maturâ pœnitentiâ errorem emendavit, permiſſa innocentibus alioqui populis religionis libertate, pacémque cum iis factam deinceps religiosè ſervavit.* Ad noſtra nunc venio, & ulcus tractare aggredior quod valde vereor, ne vel tantum tetigiſſe mihi fraudi ſit: ſed quando hunc ſermonem ſemel ingreſſus ſum, ut verbo expediam, dicam ingenuè, nam ſub Te licet, *bellum non eſſe legitimum modum tollendæ ex Eccleſia ſciſſuræ.* Proteſtanteis quippe apud nos, qui per pacem numero & auctoritate in dies minuebantur inter arma ac diſſenſiones ſemper cre-

creviſſe, & ſive præpoſtero religionis ardore, ſive ambitione ac rerum novandarum ſtudio, à noſtris longè pernicioſiſſimo errore peccatum eſſe, qui bellum internecinum contra Proteſtanteis ſæpius ſuſceptum ac compoſitum, *toties infauſtis Galliæ auſpiciis magno ipſius religionis periculo renovârunt*. Sed & reliqua præfationis hujus legi poſſunt verba, digna quæ non propter elegantiam tantum ſtyli, ſed & rerum momenta diligenter expendantur.

XVI. Illud denique Papatum non potuit non reddere ſuſpectum, quòd ſacra multi, tam Clerici, quàm laici, pleraq; recepta in luſum & *a* jocum; imò ne fandum abuſum converterint: Cæteri, quorum opera & arma propagationi fidei erant deſtinata, vel ſua *b* quæſiverunt; vel tepore turpi ludibrium aliis debuerunt, vel denique vitam *c* & fortunas Chriſtiano axiomati, ubi certandum erat μέχρις αἵματος, prætulerunt.

a. Quid enim in Univerſa Eccleſia Romana adeò habetur ſacrum, quod non ludibrio à multis fuerit expoſitum? *Reli-*

 quia-

quiarum ſuppoſititiarum non erat numerus. *Apparitiones*, ad terrendos infirmos, ubique excogitabantur. *Miracula* confingere, quæſtus erat & negotiatio. Ne tum quidem, multi, cùm de re omnium φοβερωτάτῃ, ipſa morte, indeque ex Eccleſiæ conſtitutione Romanæ, ſubornatis ſuffragiis, agendum erat, ſeriò egerunt. Memorabile exemplum *Sleidanus* habet, lib. XV. pag. 183. a. Cùm de rebus à Cæſare propoſitis deliberaretur, Saxo, Landgravius atque ſocii, Brunſuicenſem Henricum, Aprilis die quinta, coram Cæſare, Ferdinando Rege, & totius Imperii conſeſſu, de ſcripto graviſſimorum criminum accuſant, & tandem, impium eſſe, ac Pontificiam quoque religionem, cujus defenſor videri velit, ab eo contemni ac ludificari, dicunt, idque teſtimonio luculentiſſimo docent. Habebat Brunſuicenſis in matrimonio Wirtembergici Ducis Ulrichi Sororem Mariam. Hujus erat in gynæceo puella quædam eleganti forma, genere nobilis, Eva Trottina: Cæpit hanc ille deperire, & cùm perſuaſiſſet, proles aliquot ex ea procreavit: deinde, quominus res deprehenderetur, & ut ejus frueretur conſuetudine diutiùs, conſilium ei dat, ut domum, ad parentes velle redire ſimulet:

let: Currum, equos, & quicquid eſſet ad profectionem neceſſarium, ipſe ſubminiſtrat. Abit illa, cúmque domum ire putaretur, in quandam illius arcem abducitur. Hujus arcis præfectus jam ante doctus erat ab eo, quid fieri oporteret: Adhibentur etiam una & altera mulliercula, quibus ipſe maximè fideret. Eva, paucis poſt diebus, quàm eò veniſſet in lectulum ſeſe componit, & morbum ſimulat. Ille jam ante curaverat fieri ſimulachrum ligneum, quod hominis mortui caput, cervicem ac pectus repræſentaret: reliquæ corporis partes erant expreſſæ linteo quodam. Id effarciebant mulierculæ cinere vel terra, ſic ut ſolidum videretur: Pòſt ligeum caput atque pectus, ei linteo ſic effarcto ſuper imponunt & accomodant. Linteum verò ſic erat formatum, ut etiam obduceretur capiti. Compoſitum ergo corpus in hunc modum & obvolutum, humi reponitur, ut in mortuis fieri conſuevit. Statim ex mulierculis altera venit ante cænaculum præfecti, nunciat eam eſſe mortuam: deterrendi verò causâ, ne quis propius accederet, fingunt interiiſſe peſtilentia, & juniperi granis, aliiſque rebus odoratis faciunt ſuffitum. Poſtea funus effertur, & cum pompa deducitur ad Franciſca-

ciſcanos: Ii, cum humi conditum eſſet honorificè, ſuis uſitatis precibus atque ſacrificiis illud proſequuntur, & Deo commendant, & totum annum deinceps pro concione populum hortantur, ut pro mortua Deum deprecentur. Mandatu quoq; Brunſuicenſis funus ei fit, in ejus arcis, ubi mortua eſſe ferebatur, ſacello, convocatis illuc ex agro vicino ſacrificis: Idem fit in arce primaria, Wolfebutilo, quæ non procul abeſt ab urbe Brunſuico: Nam & huc ille mortem ejus nunciaverat. His autem exequiis, aderat ipſius uxor cum pediſſequis & cætu virginum, omnes cultu lugubri. Venerunt eò multi ſacrifici, quibus deinde datum fuit epulum, & ſingulis aliquid loco mercedis, pro veteri & inter Pontificios uſitata conſuetudine. Interim Eva, cujus mortem adeò multi deploraverant, rectè valet in arce Stauffeburgo, ubi ſubinde reviſit ipſam Henricus, ab eóque tempore proles ex ea ſuſtulit 7. Uxori quoque perſuadet, ut Evæ parentibus atque propinquis mortem illius nunciet. Cum autem illam ſupereſſe, & Stauffeburgi detineri, fama deinde ſpargeretur, uxor, ad quam etiam iſtud emanavit, vehementem ſuſpicionem concipit, & è ſervulis, quid eſſet rei, perconctatur: Sed

Sed ille, ne quis omnium ad ipſam veniret, ex quo poſſet aliquid cognoſci, vetabat: Hanc verò ſuſpicionem, illa, quo ad viveret, in animo defixam habuit & ſubinde datis ad eum literis, miſeriam ſuam deplorabat. *Hoc ejus factum inter alia fuit etiam in conſeſſu recitatum, ut quod de ſua ſentiret ipſe religione, notum fieret omnibus.* Ritus in Eccleſia Romana obtinuit retrò, ut prior Epiſcoporum Romæ, pluviali indutus, ſine mitra, velut Bonifacius IX. ſtatuit; nunc verò celebraturus Cardinalis omnibus ornamentis ſacris pro Miſſa dicenda indutus, demtis tamen Chirothecis & annulo Pontificali, accedit ad Papam, & ſine mitra ſolus detecto capite, facta Papæ reverentia, ſtans coram eo ſupra ſcabellum nihil dicens, imponit Papæ ſedenti cineres ſupra caput in formam crucis, deinde deſcendit de ſcabello: amovetur ſcabellum, ſedet Papa, imponitur ei mitra, & accedunt duo auditores portantes mantile, quod à Credentiariis Papæ acceperunt, illud hinc inde tenent ſuper gremio Papæ, qui illi Cardinali, à quo cineres accepit, inclinato capite coram ſe ſtanti dat cineres, dicens: Memento homo, quia cinis es, & in cinerem converteris. Accedunt poſt ſucceſſivè omnes

alii Cardinales, Prælati, atq; Reges etiam, Principes, Barones, Nobiles &c. Unus poſt alium, & à Papa cineres accipiunt, ut ex *Ceremonial. Eccleſ. Rom. lib.* 2. habet *Hoſpin.* de Orig. Feſt. Chriſt. pag. 39. Hanc verò ceremoniam, quàm horribiliter profanavit ipſe Pontifex? Refert enim *Platina*, de Bonifacio VIII. quod venienti ad ſe Procheto Genuenſi Archiepiſcopo, ſed Gibellinæ factionis, & petenti ad pedes Papæ cineres hos, dixiſſe: *Memento, quia Gibellinus es, & cum Gibellinis in cinerem converteris*; ſimul etiam patinam plenam cinere effudiſſe atque incuſſiſſe in vultum & oculos Archiepiſcopi. Quod ſignum irreligioſi atque impotentis animi fuiſſe, ipſe quoque *Platina* fatetur. Quæ religionis fuit ſpecies, cùm *Julius II.* Petri in Tiberim projectis clavibus, Pauli ſe arrepturum gladium, dixit? *Sacramentalia* hinc inde Symbola, quàm irreligiosè vel deluſa fuêre? *Vitoduranus* noſter pag. 33. commemorat, Henricum Imperatorem à ſacellano ſuo accepiſſe Sacramentum veneno infectum; *quod*, ut idem loquitur, *infidelibus nauſeam & diſplicentiam generavit Profeſſionis noſtræ*; Vid. *Apol. Euchar.* p. 226. Idem p. 51. meminit Sacerdotis Neoburgici in Briſgoja, latronis publici, qui rotæ in-

innexus fatebatur, *ſe officiando* (retineo authoris verba) *nunquam corpus Chriſti confeciſſe.* P. 58. refert, alium Sacerdotem inopiâ preſſum, *hoſtiam ſanguine aſperſiſſe, populúmque Chriſtianum diu deluſiſſe ſub ſpecie ſimplicis panis.* Sed & pag. 59. fornicarii mentionem facit, qui quòd Miſſam quotidie celebraret, moribus tamen corruptiſſimis eſſet, rogabatur, *qua fronte toties præſumeret celebrare, tam enormibus vitiis implicatus?* Reſpondit: *Se nunquam confeciſſe, ſed tantùm albam regulam in modum hoſtiæ formatam hora elevationis, quam & loco ſecretiſſimo conſervârit, & extraxerit, quando neceſſitas celebrandi Miſſam imminuerit.* Quin & Judæis nonnunquam, ut ſacris tùm receptis illuderent, hoſtias conſecratas Chriſtianos vendidiſſe, idem author eſt. Exemplum habet p. 58. Eandem in cæteris *capitibus* obſervatam eſſe profanationem, alia, ςὺν θεῷ, occaſione monſtrare poterimus.

b. Idem *Vitoduranus* p. m. 74. de Cruciferis refert, *quòd Licaoniæ*, quem vocat Regem, *ita malè tractârint, ut dixerit: In hoc luculenter deprehendo, quòd non meam fidem ut ſimulant, ſed pecuniam appetunt, & propterea in Paganiſmo perſeverabo. De his crucif eris verbum lamentabile, & ſiita eſt, fidei Orthodoxæ penitus inimicum, quod abſit, enarratur, quod*

cuncs:

omnes Paganos, quos per bella ſibi tributarios efficiunt, malint in ſuo Paganiſmo manere ſub eorum tributo, quàm à tributo exemptos fieri Catholicæ fidei Profeſſores.

Hi nempe triarii erant, qui veluti προμάχοι & defenſores fidei Chriſtianæ cæteros præ ſe auſi contemnere, laſciviebant; divina & humana conculcantes, donec ipſi Pontificii, tyrannidis pertæſi, juſtiſſimam ab iis exegerunt pœnam. Qua de re alibi à nobis jam actum eſt.

c. Memorabile tentaminis exemplum idem nobis ſuppeditat F. Johannes, Monachus Vitoduranus pag. 64. b. *Circiter iſta tempora, ut fertur, dum ob petitionem Soltani triginta fratres de Ordine Prædicatorum, famoſi lectores à Papa directi, coram Soltano comparuiſſent taliter ab eo tentati ſunt. Dicebat enim; ſi vultis fidem Catholicam hominibus Imperii mei, pro quo accerſiti à me, & à ſummo Pontifice Chriſtianitatis poſtulati eſtis, diſſeminare, habitibus veſtium veſtrarum, & tonſuris capitum veſtrorum abjectis & poſtpoſitis, veſtimenta conformia veſtimentis Gentis meæ vobis aſſumere, quod ſi feceritis, habebitis me cooperatorem Vobis in Miniſterii verbi divini opportunum & efficacem, nec non Patronum peroptatum ac Studioſum: Si autem non feceritis, omnes vos filii mortis eritis. Qui deliberantes in unum decreve-*

creverunt, melius & conſultius fore, amictûs eorum mutationem pati, quàm ipſorum omnium perditionem & lucrum animarum, cujus cauſa venerant, negligentiam. Facta igiur veſtium commutatione, cum ſe rurſus Soltani aſpectibus praſentâſſent; ab ipſo in hunc modum affatum, formidinem inferentem, minisque terribilem receperunt: Cùm vos ſitis Doctores Chriſtianitatis & Duces, & lux aliorum, & tamen tacitò & faciliter moti propter terrorem, quem vobis incuſſi, ab habitu veſtræ profeſſionis, & regularis obſervantiæ, quàm mobiles cæteros eſſe, per hoc patet. Ego habeo ſub me Paganos tam fortes & conſtantes in Paganiſmi obſervationibus, quod libentius ſe dilaniari, & ſcindi in mille particulas ſinerent, quàm quòd à ſuorum ſacrorum rituum cuſtodia declinarent. Idcirco quàm citò poteritis, ſi mortis ſupplicia acerrima evadere cupitis, à facie mea diſcedite. *Qui mox ad Regem Cypri confugientes, per eum ulterius ad partes Chriſtianitatis ſecurè deducti ſunt, & inde ad loca, unde venerunt, reverſi ſunt cum confuſione: Si literas Regis Franciæ, ut dicitur, non habuiſſent, à Sultano trucidati miſerabiliter fuiſſent.*

d. Exemplum unum & alterum, vide T. VIII. pag. 1261.

CA-

CAPUT II.

De Impedimentis Reformationis, in genere.

Multa Reformationis Eccleſiaſticæ, quæſita tamen ſæpe magis, quàm obtenta fuerunt impedimenta, nempe, 1. Cleri Romani rabies, & ſævitia. 2. Convitia in Reformatores conjecta. 3. Opprobrium Apoſtaſiæ. 4. Blanditiæ, quibus vel abituri retinebantur, vel profeſſi jam ex caſtris Pontificiis revocabantur. 5. Intolerabilis illa, & ubique jactata fama, quaſi Reformatio omnium malorum Iliadem intuliſſet. 6. Quòd, concordiam animorúmque conjunctionem proſcripſiſſet. 7. Varia decreta, ſupplicia, proſcriptiones, excommunicationes, quibus optimos & conſtantiſſimos quoſque fatigare atque frangere Roma voluit. 8. Miraculorum prætenſum lenocinium. 9. Artium & technarum ſtrategemata. 10. Inquiſitio alter Phalaridis bos. 11. Aperta bella, clades, quibus nonnunquam bona cauſa affecta fuit. 12. Exemplum & authoritas magnatum, quod olim & nunc multum apud plebem potuit. 13. Inconſtantia, & Apoſtaſia nonnullorum. 14. Interdictum librorum noſtrorum, & Indices expurgatorii. 15. Corrupti hinc inde Reformatorum mores. 16. Hoſtium concordia, in Evangelicorum excidium. 17. Tepor religionis, & nimium concordiæ, paciſque ſarciendæ ſtudium. 18. Perfidia, & clancularia inſidia. 19. Conciliorum ſplen-

dor. 20. Ficta Eccleſiæ authoritas abſoluta & ἀνυπεύθυνος. 21. Exemplum Majorum &c.

I. Inter impedimenta Reformationis rabies præcedit & ſævitia cleri, quæ tanta ubique fuit, ut quieſcere hic ægrè vel voluerit, vel potuerit, donec libidini ſuæ ſatis eſſe factum exiſtimaret. Hinc tot contra emergentem *a* Reformationem decreta, tribunalia *b* Inquiſitoria, infenſiſſimum *c* in literas odium, invectivæ *d* in innocentiſſimos reformatorum cætus, tragicus degradationis *e* actus, ſuppliciorum *f* varietas ab Epiſcopis excogitata, inaudita denique in ipſos mortuos *g* ſævitia.

a. Tale erat in Helvetia *Hugonis*, Epiſcopi Conſtantienſis, qui an. Chr. 1522. d. 2. Maji, prolixo edicto veritate Evangelii proſcripta, ritus & conſuetudines receptas defendit, & imperavit. Extat in *Hiſt. Bull.* Mſc. pag. 53. b. Nec multò pòſt die 24. ejusdem menſis & anni idem Epiſcopus Capitulo Tigurino ſeriò injunxit, ut de Zuinglio officio removendo cogitarent, *Ib. pag.* 61. Monachi inſuper, quibus Cathe-

Cathedra ſubinde Tiguri erat commiſſa, adeò graviter ferebant, Zuinglium ἀκωλύτως prædicare Evangelium, ut hoc nomine, eodem ferè tempore Magiſtratûs authoritatem implorarent, tantúmque efficerent, ut nihil utrinque proponere juberetur, niſi quod Collegii nomine approbatum eſſet. Sed renuit Zuinglius iniquas iſtas compedes, dicens: Daß er ſolches nicht köñte annemmen / dann er das Evangelium frey vnd vnverdingt wolte predigen / wie hievor ein Mandat darumb außgegangen / vnd er auch ein Eyd geſchworen hätte. Vides iterum, benevole Lector, Zuinglium juramento obſtrictum ad liberum Evangelii præconium acceſſiſſe. Id. pag. 61. Cùm initio Reformationis, libertatem ciborum nonnulli ex neceſſitate potius, quam delectu urgerent, clerus ſtatim interceſſit. Obtulit mihi nuper Nobiliſſimus & antiquitatis tam civilis, quam Eccleſiaſticæ ſtudioſiſſimus *D. Ioh. Caſparus Steinerus*, Reipublicæ Tigurinæ Senator ampliſſimus, querelam Præpoſiti & Plebanorum Eccleſiæ Tigurinæ, qua exponunt, eſſe nonnullos, qui ruptis legibus Eccleſiaſticis, promiſcuum ſibi facerent carnis uſum, diebus etiam prohibitis: Rogare proinde, ut pœnam talibus deſignent, donec aliter à ſuperio-ribus

ribus proſpiceretur. Reus, quantum, tum ex manu ipſa, tum ex argumento colligo, erat Chriſtophorus Froſchoverus, inſignis ille Tigurinorum Typographus, qui prolixo ſcripto oſtendit, non detrectatum ſe mulctam, ſi, in leges vel divinas, vel politicas peccâſſe, convinci poſſet. Familiæ ſuæ & operarum typographicarum rationem non permittere, ut quod Deus lege ſua ubique concèſſiſſet, ſuperſtitioſo Eccleſiaſticæ poteſtatis cultu eripi ſibi pateretur: Legi eam in rem præter alia poſſe Epiſtolas Paulinas ad Rom.10. 1.Cor.8. 1.Tim.4. 2.Tim.3.

b. An. Chr. 1528. *Erardus Marcanus*, Leodienſis Epiſcopus, habitis Comitiis legem promulgavit de hæreticis juxta dictum Cæſaris non ita pridem Leodii & vicinis locis publicatum coërcendis: Capitulo deinde Leodienſi, Conſilio civitatis & Scabinis ſcripſit, ſimúlque mandavit, ut decreta ſua quantocyus, exequerentur, & N. Sacerdotem advenam Gallum, ob ſparſa nuper dogmata comprehenſum, brachio ſeculari traditum vel proſcriberent, ſi reſipiſceret; vel pertinacem flammis traderent, quod non multò poſt, non procul à Scholarium Monaſterio ad ripam Moſæ factum fuit. *Bzov.* 1528. S. 38. Eadem

dem crudelitate ſævire perrexit, an. Chr. 1534. teſte eodem, S.91. Eodem anno die 13. Julii Pontifex Clem. VII. Inquiſitori hæreticæ Pravitatis Brixienſi, Prædicatorum Ordinis, & Epiſcopo ſimul Brixienſi ſcribit, eósque, hortatur ut quia communitas Brixienſis decreto quodam conſtituerat, ut tres viri deligerentur, quorum ſolicitudine hæreſes extirparentur, accepta ex publico ærario pecunia, pro ejus decreti executione. Id Pontifex laudat, Epiſcopúmque hortatur, & Inquiſitorem, ut idem præſtare ipſi curent, & procedant contra quoslibet hæreticos, omni appellatione remota juxta Canonicas ſanctiones. Multa inſuper Epiſcopo conceſſit & Inquiſitori privilegia, & amplam facultatem procedendi, contra perfidum hæreticorum genus; Id.S.39. Ita, cùm an.Chr. 1534. Nobiles multi Poloni Melanchthonis ſequerentur Scholam, adeò illud ægrè tulit Cochlæus, ut libellis editis Poloniæ proceribus inſcriptis, invidiam Philippo creârit. Hinc Philippicæ Cochlæi quatuor, & alia in eum opuſcula. Archiepiſcopus igitur Gneſnenſis Matthias Drevicius, aliique nonnulli Epiſcopi & proceres regni authores Sigismundo Regi fuerunt, ut ſuos Wittenbergâ revocaret, quod & factum

factum eſt. Revocati tamen culpam omnem in Cochlæum rejecerunt. Unde & unus eorum Canonicatu Metropolitanæ Eccleſiæ Gneſnenſis donatus, acrem in Cochlæum ad Archiepiſcopum ſuum ſcriſit Epiſtolam; in qua multis Philippum celebrat laudibus, Cochlæum autem, quaſi Melanchthonis potiùs odio ac humaniorum literarum, quàm amore religionis, & publicæ rei, adverſus illum contenderet, acerrimè accuſabat. *Id.* S. 89.

d. Tuba hujusmodi ſeditioſa fuit, præter alios plurimos. Monachus quidam Franciſcanus, qui ad Carolum Ferdinandum & Legatum Farneſium concionem habens cùm in Lutheranos acriter eſſet invectus, oratione ad Cæſarem converſa, dixit, officii ipſius eſſe Eccleſiam tutari armis: ab eo vero hactenus ceſſatum in eo, quod factum oportuit, conficiendo. DEUM, qui tam ingentibus ipſum beneficiis ornaverit, eorum agnitionem expectare, ſublato è medio peſtifero hominum genere, quos auram vitalem carpere nefas ſit: Neque huic actioni moram interponendam multis indies per horum væſaniam de æterna ſalute periclitantibus; quorum omnium rationem DEUS ab eo ſit

 repoſci-

poſciturus, niſi maturè prævideat: *Hiſt. Concil. Trid. l. II.* pag. 132.

e. Inter nationis Germanicæ gravamina, pridem jam abuſus degradationis referebantur, quod difficultatibus leges ejus & circumſtantiæ urgererentur, quæ intolerabiles eſſent factu, ut eadem habet. *Hiſt. l. IV. p.* 375. Verum, nihil obtinuiſſe, qui ritum de gradationis voluerunt im̃utatum, non modò Concilii probant acta; ſed & triſtis eorum, qui publicis honorum auctoramentis, propter nomen Chriſti erant ſpoliandi, experientia. Talis erat *Iohannes Caſtellanus*, Theologiæ Doctor die 12. Jan. 1524. in Lotharingia exuſtus de quo l. II. *rer. in Eccleſ. geſt.* pag. 40. Cùm vero (*ut loquitur author,*) forma ſententiæ pronuntiatæ, ratióque tota degradationis, ut vocant, notabilis ſit, non indigna viſa eſt, quam huic loco intexeremus, ad demonſtrandas horribiles blaſphemias cum ſtolida & planè belluina ſubtilitate conjuncta, maximorũ myſteriorum, quæ continentur in ea formula degradationis, qua inimici veritatis adverſus ſanctos & filios Dei uti ſolent &c. Recitata igitur ſententia prolixè, Epiſcopus Nicopolenſis, Civitatis Metenſis ſuffraganeus pro tribunali ſedens, cum

cum authoritate ac poteſtate Pontificia, cum clero, Nobilibus, ac populo degradationem Johannis Caſtellani ita cœpit peragere. Primum Caſtellanus degradandus per officiarios ejus Epiſcopi, omnibus Sacerdotalibus veſtimentis indutus fuit: deinde ex ſacello per Sacerdotes ad eam rem conſtitutos, cum omni Sacerdotali apparatu ornatúque deductus, manibus junctis, flexisque genibus coram Epiſcopo eſt collocatus. Illic officiarii calicem cum vino & aqua, præterea patenam, hoſtiámque ei in manum tradiderunt. Quæ omnia Epiſcopus degradator de manibus ejus cum hujusmodi verbis abſtulit: Nos auferimus, aut jubemus auferri tibi poteſtatem ſacrificii Deo offerendi, Miſſæque tam pro mortuis, quàm pro vivis celebrandæ. Deinde Epiſcopus ſacros utriusque manus digitos lamina vitrea eraſit dicens: Nos hac raſura poteſtatem ſacrificandi, conſecrandi, benedicendíque tibi auferimus, quam tu ex unctione manuum, pollicíſque accepiſti. Summo poſthac illo indumento atque ornamento, quod caſulam appellant, à tergo cum caputio detracto, eum exuit, his utens verbis: Nos jure optimo exuimus te veſte Sacerdotali, quæ charitatem ſignificat: Nam

quem alioquin ſuperare non poſſet, ſuffocari occultè curavit, deinde carnes ejus forcipibus cæſim ac laniatim diſcerpi, ſimulans poſtea apud multitudinem, eum à foricibus exeſum fuiſſe & exenteratum; *Fox*. pag. 519. Cùm an. Chr. 1552. d. 19. Sept. Thomas Sampaulinus Martyrio Lutetiæ affectus, immani tortorum crudelitate afficeretur, manus tandem carnificum fatigatæ fuerunt. Maillardus tamen Sorbonicus Doctor, ac plerique ei ſimiles, à Curia accerſiti ut Thomam converterent, perculſi tanta in juvene conſtantia exclamârunt, vehementiùs, arctiúſque torquendum. Homines fide digni audiverunt ex Auberto, qui unus erat è numero Urbanorum conquiſitorum urbis Pariſienſis, qui tum ei quæſtioni præerat, homo ad ſævitiam proclivis, tum verò maximè, cùm de religione ageretur: eam tamen tantam atrocitatem ferre non potuiſſe, coactúmque fuiſſe præ lachrymis ſeorſum recedere; eundem porrò dixiſſe pluribus audientibus, ſe multis de rebus cum privatis, tum etiam ad diſquiſitionem Lutheranam pertinentibus locutum eſſe; ſed eum ſibi juvenem probum, integrúmque viſum fuiſſe. *Rer. in Eccleſ. geſt.* l. VII. pag. 208.

nit, & in ſententiæ latæ executione addit, injectos quoq; libros Proteſtantium undique conquiſitos magno numero, qui flāma diffundente ſe, una concremati ſint: Poſtea tamen poſt Mariæ mortem, Matthæo Packero, Cantuarienſi Epiſcopo, Edmondo Grindallo Londini & Richardo Glocestriæ Epiſcopis ſuggerentibus, Eliſabethæ oſſa ſemeſa à Marſalli ſtabulo eruta, & cum Friſuidæ oſſibus permiſta, terræ iterum mandata fuiſſe: Fagio & Bucero honoris titulos reſtitutos, orationemque Academiæ nomine in demortuorum laudem habitam, ſuperiorum temporum crudelitate, quæ non ſolùm in vivos ſed etiam in mortuos ſæviſſet, multis verbis exagitata.

II. Secundo ponimus loco varia contra Reformatos, *a* Reformatorúmque religionem convitia, quibus id malefcriati conſequi ſtuduerunt, ut omnium libidini optimi & religioſiſſimi Chriſti diſcipuli exponerentur. Arrepta tamen hinc occaſione, Apologiis ſuis multi non perſonarum tantùm; ſed & cauſæ patrocinium ſuſceperunt.

a. Lutherum *hæreticum* pronunciatum jam an. Chr. 1518. ſcribit *Genebrardus*, l. 4. pag. 738. *Aliqui etiam*, ut idem ſcribit, *Antichriſtum eum eſſe contendebant, & Patriarcham hæreticorum in Occidente, qui toti ſe armârunt contra Chriſti doctrinam & beneficiorum ejus memoriam.* Addit ille; more ſuo, virulenter, ſed & infeliciter; conjecturis cæterorum לולתר Lulter characteribus Hebraicis reddere numerum Antichriſti 666. Apoc. 13. Hoc verò quid monſtri? Si ita in rebus ſeriis nugari licet, vocibúsque pro arbitrio propriis addere vel demere, quàm facile, eâdem licentiâ, ex *Genebrardi* nomine Hebraico גינבראת. numerum Apocalypticum, pro Antichriſti ſatellite eruere licebit? Quid vel convitiorum excogitari poteſt, quòd ἄγριοι adverſariorum ςόμα*ƒ* in *Zwinglium* non deſpumârint? Ipſe, ea de re, audiatur & accuſatus & excuſatus Reformator, ſuprà, T. VI. pag. 657. *Calvino* mortuo inſultârunt, qui vivum non fuerunt auſi aggredi. Notæ ſunt *Bolſeci* mendaciſſimæ aſpergines, maſculè à noſtris abſterſæ, Riveto cumprimis, in Cathol. Orthodoxo. *De Oecolampadio* vid. Geneb. pag. 744. Johanne Laſitio, Sarmata eundem, pag. 783.

b. No-

b. Notiſſimum convitium erat *Novatorum*, der Newgläubigen. Quàm primum Hildeſſemenſes religionem Pontificiam projeciſſent, civitatis Epiſcopus Valentinus graviter eos & ad Cameram, & ad Ferdinandum Regem, & ad Cæſarem etiam accuſabat, quod veterem religionem & Eccleſiæ ritus mutâſſent, quod novos inſtituiſſent populi doctores &c. *Sleid.* LXV. pag. 177. Alii quicquid vel impietatis vel blaſphemiæ in orbem tum Satan invexit, Reformatoribus ferebant acceptum. Hinc tot Parallelifmi veterum hæreticorum, *Bailli, Harſcheri, Gaultherii* Jeſuitarum. Præcinuerunt Staphylus in Apolog. Lindan. in Dubit. *Genebrard.* pag. 746. ex tribus primariis ſectis Lutheranorum, Zuinglianorum, Anabaptiſtarum vel 50. vel 65. vel 90. vel juxta alios 128. pullulâſſe infelicis lolignis plantas, mentitur. Impudentior eſt p. 755. 762. Muhammediſmus cumprimis ſemel atque iterum Reformatoribus & reformatis fuit objectus, *Sleid.* l. IV. pag. 34. & *Genebr.* p. 733.

III. Acceſſit moleſtiſſimum Apoſtaſiæ opprobrium.

Hoc potiſſimum argumento à Lutheri partibus revocatum voluit *Adrianus VI. Fridericum Saxoniæ Ducem.* Vincamus ini-

tium ſcripti. *Satis & pluſquam ſatis ſuſtinuimus, dilecte in Chriſto, ſi fortè DEI pietas tuam animam dignetur inviſere, ac dare pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem, ut reſipiſceres à Diaboli laqueis, à qua captivus detineris.* Novimus te paterne monitum à fel. rec. prædeceſſore noſtro, ut à te ſepares perniciem illam Chriſtianæ religionis, Martinum Lutherum: Et cùm jam toti orbi manifeſtæ eſſent ſceleſtiſſimæ machinationes illius, ſperavimus & te ad cor pœnitens reverſurum. Sed quoniam expectavimus uvas, & ecce quia fruſtra conflavit conflator, malitiæ enim tuæ non ſunt conſumtæ, coëgit nos miſeratio tui, coëgit paternus amor, quo te & tibi ſubditos Saxones in Domino ſemper fuimus proſecuti, ſalutaribus & paternis monitis adhuc convenire, ut vel tandem reſipiſcatis, antequam planè in vos conveniat, quod mox ſubdit Propheta: Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus projecit eos, & quid dicimus vobis, quàm quòd Galatis ſuis Paulus: O inſenſati, quis vos faſcinavit non obedire veritati? Currebatis bene. Interrogate patres veſtros, ac dicent vobis: Majores veſtros, & annunciabunt vobis, quòd ab ea ætate, qua uno eodémque tempore viverent Hadrianus Romanus

manus Pontifex, & Carolus ille M. Imperator Saxonicæ fidei plantatores, ad noſtra usque & chariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli tempora, avi & proavi veſtri, atque adeò Saxones omnes ſemper habiti eſtis, veluti pacis amatores, fidei propugnatores, & per omnia obedientiæ pacifici filii, taléſque, ut non immeritò Gregorius V. natione Saxo, olim Romanus Pontifex, Saxoniæ Ducem in Romani Imperii conſtituerit Electorem. Quomodo ergo tam citò mutatus eſt color optimus? Cur tam facile transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam Chriſti, in aliud Evangelium, quod non eſt aliud, niſi ſunt quidam, qui vos perturbant, & volunt pervertere Evangelium Chriſti. Quis vineam Domini Sabaoth tam pulchrè plantatam eſt demolitus? Certè exterminavit eam aper de ſylva, & ſingularis ferus depaſtus eſt eam. Interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona per quam ambulaverunt Patres noſtri, quam demonſtrâverunt tot myriades Martyrum, docuerúntq; tot millia Confeſſorum, ambula te in ea. *Hæc ille.* Eâdem ceciuit fiſtulâ auceps Romanus, cùm Majores aliquando noſtros revocare voluiſſet. Bullam Clementis VII. Tigurinis inſcriptam dedimus T. VI. p. 5.

Acer-

Acerbiùs idem, Electoribus & Principibus Imperii exprobravit modò memoratus Adrianus. *Omittimus* (ita loquitur apud *Bzov.* an. Chr. 1522. S 24.) *quod enormiſſimum eſt, tantam, támque religioſam nationem per unum fraterculum (qui à Catholica fide & religione Chriſtiana, quam ab ineunte ætate, non ſolùm profiteri & ſequi viſus eſt, ſed etiam multis annis prædicâſſe ac docuiſſe dicit, noviſſimè infeliciter apoſtatavit, ac Deo mentitus eſt) ſeduci ab ea via, quâ à Redemtore noſtro, & ejus Sanctiſſimis Apoſtolis demonſtrata., tot Martyres, tot præclari doctrina & ſanctitate viri, & Majores denique veſtri, omnes hactenus inceſſerunt, quaſi ſolùs Lutherus ſapiat & ſciat; Solus nunc primum (ut de ſe hæreticus Monachus gloriabatur) Spiritum S. acceperit, & Eccleſia ipſa, cum qua ſe futurum ad conſummationem Seculi benigniſſimus humani generis Redemtor pollicitus eſt, in tenebris ignorantiæ, & perditionis ambagibus ſemper erraverit., donec novo Lutheri lumine illuſtrârint.* Hoc nempe nigrum Apoſtaſiæ theta, noſtris ubique inurebatur. Vid. inſeqq. *exemplum Blaureri.*

IV. Fuit & hoc Eccleſiæ Romanæ ſolenne, ut blanditiis ageret, iiſque vel nutantes *a* in religione Pontificia confirmaret, vel eos, qui ex ca-

ſtris

ſtris Papiſticis *b* receſſerunt, revocaret.

a. Hac Methodo uſi fuerunt Pontifices præſertim cum Principibus Germaniæ, ut Reformationem vel ſuſceptam, vel ſuſcipiendam impedirent. Ita enim *Adrianus*, ad Ordines imperii *c*, ſcripſit: Multa ſe, cùm eſſet in Hiſpania *d*, de falſis Lutheri dogmatis audiſſe, & quanquam ſibi dòleret, malum illud in ea regione videri natum, unde genus ipſe duceret: duàbus tamen rebus animum ſe confirmâſſe: primum, quòd doctrinam illam adeò frivolam & impiam ſperaret à plerisque omnibus contemptum iri: deinde, quòd exiſtimaret, plantam illam peſtiferam, aliunde allatam, non eſſe radices acturam in ea regione, quæ ſemper procreâſſet hæreſium oppugnatores: Cùm autem longè diverſum acciderit, ſive juſto Dei judicio, ſive negligentia quadam, & eorum, qui maturè conſulere debèbant, incuria; providendum ipſis eſſe magnopere, ne, dum lentius adhuc & remiſſius agunt, videantur obliti eſſe priſtinæ virtutis, & hoc tantum facinus approbare: Vehementer autem eſſe indecorum, tam fortem & conſtantem populum ab ea religione, quam Chriſtus & Apoſtoli tradiderunt, quam tot Martyres,

ac præclari viri, quam etiam Majores noſtri tenuerunt, deficere, authore & impulſore fraterculo, qui & ipſe plurimis annis eam ſecutus ſit ac profeſſus; *Sleid.* l. III. pag. 32. Eadem ferè pag. 34 recurrunt. Ejusdem commatis eſt Epiſtola *Campegii Cardinalis* ad Saxonem, ubi inter alia: Etſi frequens admodùm ſit rumor, novis ipſum hæreſibus favere jam naſcentibus, tamen id neque Pontifici, neque ſibi poſſe adhuc perſuaderi: Nam à quo primum tempore noviſſet, multas in eo præclaras & eximias virtutes animadvertiſſe, inprimis autem, quòd religionis & Eccleſiæ Apoſtolicæ eſſet obſervantiſſimus: itaque non habiturum eſſe fidem aliorum judiciis, & veterem opinionem de ipſo non prius depoſiturum, quàm coràm ipſe rem cognoverit: Germaniam quidem paucis ab hinc annis eſſe quodammodo transformatam, & novos induiſſe ritus: Verùm, intelligere ſe ſatis, quantum vulgus à nobilitate differat, & à viris Principibus, legum Præfectis, in quibus ipſe primas facile partes obtineat, tum ſuo, tum ſuorum Majorum virtute atque merito, qui Romanam Eccleſiam valde ſemper cothoneſtârint. *Ib.* pag. 39. *Leo X.* ut Albertum Brandeburgicum, Archiepiſcopum Moguntinum, eundémque

démque Cardinalem, cui noverat Huttenum familiarem eſſe, in fide retineret, ſextâ Junii amicas ad illum dat literas, in quibus de ſua erga Albertum benevolentia præfatus, *quin etiam*, ſubjicit, *roſam auream, vetere inſtituto, prædeceſſorum noſtrorum, Romanorum Pontificum, Dominicâ Quadrageſimæ quartâ benedici ſolitam, à nobíſque ſolenni more benedictam, alicui ſecalari Principi mitti ſolitam, per Marinum Caracciolam ad circumſpectionem tuam donum miſimus, ut ad Principem quidem Electorem, verum tamen novo exemplo.* Sed omnia indicia benevolentiæ erga te noſtræ ſatis nobis juſta etiam ad innovandum aliquid videatur eſſe. *Sculz.* a. Ch. 1520. Huc etiam pertinet *Campegii* Legati ad Principes Germaniæ *inſtantia*, quâ ita ſubdolè loquitur, ut quidvis concedere velle videatur, modò ſalva ſemper Pontificis authoritate fieret. *Quantum*, inquit, *ad ipſorum poſtulata pertinet, an edita ſint, ut Romam deferantur, omnino ſe neſcire. Tria ſolùm exemplaria fuiſſe perlata Romam ad quosdam privatim: Pontifici autem & Cardinalium Senatui non poſſe perſuaderi, hac à Principibus ita fuiſſe decreta, ſed exiſtimare privatos homines odio Reipublicæ Romanæ in lucem emiſiſſe: nullum etiam ejus rei ſe mandatum habere: neque tamen hoc*

acci-

*accipiendum eſſe, quaſi de eo poteſtatem non habeat agendi: Sed in iis poſtulatis eſſe multa, quæ & Pontificis derogent authoritati, & hæreſin redoleant, & à ſe tractari non poſſint: Alia verò, quæ non adverſentur Pontifici, quæque nitantur æquitati, non ſe recuſare, quo minùs de iis & cognoſcat & agat: Sed tamen ſibi videri moderatius multò poſſe proponi, ſi quid erga Pontificem habeant. Sic nuper factum eſſe ab Hiſpanis, qui Romam miſſa legatione, quid requirerent, commoda ſatè ratione demonſtrârint: Quòd autem iſta ſint excuſa typis, & in vulgus edita, nimium hoc ſibi videri, neque tamen dubium eſſe, quin Germaniæ cauſa ſit quidvis facturus Pontifex, Id.pag.*40.

b. Cujus nobis rei inſigne reliquit teſtimonium *Ambroſius Blaurerus*, ex Monacho Alpersbacenſi Reformator Conſtantienſis. Rem ipſe enarrat prolixa, ſed eleganti ad Fratrem, Thomam Epiſtola, quæ quidem ita habet: De aliis aliâs, nunc id primò ſcriptum oportuit, quod me potiſſimum angit & enecat, quo tu mihi fraterno & Chriſtiano conſilio, velut præſens quoddam numen, in tempore adſis. Venit ad nos diebus paulò ſuperioribus Alpersbacenſium Abbas Uldricus, de reditus noſtri commoditate, quæ ſua eſt officioſitas, paternè diſpecturus: Ac primum quidem non

non admodùm imperiosè urgebat, ut hoc rerum ſtatu & ancipiti tumultu redirem, nimirum gliſcentibus adhuc vinculis, proſcriptionibus ac cædibus eorum, qui purum Chriſti Evangelium jam refloreſcens purè profitentur, aut etiam impenſius illi favebant: Adhæc nondum ſedatis animis Fratrum quōrundam, quos, ſi intempeſtiviter redirem, habiturus eſſem iniquiores, nec diſplicebat ſanè paternum Patris conſilium, quem equidem ſciebam nihil atro pectore, & per inſidias, ſed candidè mecum, apertéque agere omnia. Poſtridie verò quàm adveniſſet, invitatus à Præſu le, palatium conſcendit, ubi acto prandio, multa ſuper me, meàque defectione, ſecretis arbitris, Epiſcopus & Faber rogitabant, affirmantes, vicem meam ſe vehementer dolere, quòd tantâ & meâ, & meorum omnium ignominia, tanto dedecore hic agerem: Eſſe namque me publicum totius urbis offenſaculum, & peſſimè nunc audire ab omnibus, qui priùs in magna ſanctimoniæ & pietatis opinione feliciter vixiſſem. Proinde velut communibus Eccleſiæ noſtræ votis Abbatem per omnia ſacra adjurabant, ut quàm tenaciſſimis amicitiæ nexibus mihi jungeretur, & ſua nunc etiam authoritate plurimum apud me poſ-

 ſet,

ſet, reditum mihi, ceu rem omnino ſalutarem perſuaderet. Ubi cùm bonus Pater ſubſiſteret nonnihi, & ea quæ jam ſuperius commemoravi, cauſaretur, iſti rurſus multò vehementius inſtare, ſalva omnia promittere, & nullum non movere lapidem, ut hanc perſuadendi provinciam, quibus poſſet cunque rationibus ſibi deſumeret. Se enim effecturos apud Proceres Stutgarianos, ut per illos ſecurus in priſtina ſtudia incumbere, & quicquid luberet, ipſe legere, ſimul ac alios docere privatim, tamen, liberè poſſem: Deniq; ſi quis fortè ex Monachis obſtrepere mihi, & moleſtus eſſe pergeret, protinus in carcerem conjectus pœnas dare juberetur. Addebant id genus multa alia, quibus undique viam etiam ſe mihi comunituros pollicebantur. Abbas igitur tam magnificis promiſſis fractus, & nihil ſuſpicatus, inſidiarum; ſed ex ſua ſimplicitate iſtorum æſtimans doloſam vafriciem gratulabundus nos convenit, Antiſtitem & Fabrum, impendio mihi faventes exclamans, & res omnino plauſibilis videbatur, jámque, ut tantorum virorum præſidio fretus reditum maturarem, modis omnibus perſuadere incipiebat, & ita, ut tantùm non etiam mater & ſorores in illius ſententiam diſcederent.

Ego

Ego verò, qui & Fabri, & ex illo pendentis Epiſcopi, mores & ingenium probè noveram; & quòd non mihi, ſed ſuæ potiùs tyrannidi meo diſceſſu conſultum cupiebant, haud quaquam ſubſcribendum mihi exiſtimabam. Aureum hoc, (σπεῦδε βραδέως) illis occinens. Hic enim, ſi usquam alibi, nihil præcipitanter, nihil inconſideratè agendum aſſeverabam, donec communicato cum amicis conſilio, quid potiſſimùm facto opus eſſet, accuratiùs expenderetur. Suſpectos enim mihi eſſe Præſulis & vicarii conatus, quos hactenus inclementiores ſenſiſſem, atque eò magis, quod ſciam illos in eo eſſe, ut putent, falsò licèt, uni mihi deberi, quicquid hic in Evangelii negotio liberius vel dicitur, vel agitur: Me enim inſuſurrare Concionatoribus quod dicant, Senatoribus verò, ut illos confidentius dicentes, ſuo præſidio tutos reddant, & à Scribarum & Phariſæorum injuriis audacter vindicent, cùm tamen vix decimo quoq; die prodeam in publicũ, ac proinde rariſſimè cuiquam loquar, & illi ſuis ipſorum imò divini Numinis viribus inſtructi, opera noſtra vel nunquam, vel perrarò utantur: Simul & Senatus ſuopte ſtudio id ſedulò curet, ut ſine timore ſint apud nos, qui laborant in ver-

 bo,

bo, & opere Domini operantur. Deinde non fidendum eſſe huic, quantumvis in ſpeciem pulchro conjuncto, quo ſe mihi Primates Stutgardienſes propitios reddituros promitterent: Qui, etſi nunc fortè dicant, per ſe quidem integrum mihi futurum legere & docere, quod velim, cras tamen aut perendie Principem ſuum alia demandâſſe, dicere facile poſſent, cujus imperio, velint nolint, parere cogantur. Poſtremò, ut nihil eſſet aliud, tamen remigrare, invitis plerisque Monachis, prorſus inauſpicatum videri, quorum perſpectiſſima mihi indoles vix permittat, ut quicquam boni reditui meo ominer; ſed potiùs non ferenda mala præſagiat animus, quamlibet æquis conditionibus nunc propoſitis. Ferociores enim eſſe iſtorum mores, quàm ut ulla mea cura & officioſitate manſueſcere poſſint, præſertim cùm etiam ἀποσυνάγωγος & irregularis, ut vocant, illis videar, adeóque opus habeam Apoſtolica diſpenſatione, ſic enim loquuntur, cujus beneficio fidelium communioni reſtituar, quam tunc certè impetrare perrecturus ſum, ubi admiſſi facinoris me pœnituerit, hoc eſt, ubi veritas in mendacium, & Chriſtus in Cacodæmonem degeneraverit. Porrò dixi, me tuum quoque

que conſilium, ut optimi & chariſſimi fratris, omnino audire velle. Quam primum igitur certiores nos facies de tua ſententia, quam equidem ejusmodi hactenus dediſti, ſtrenuè ſuadens ne in hanc ſentinam redeam: omnino namque diſplicet triſte hoc & tetricum vitæ genus, quod ut tædii plenum, ita etiam omnis bonæ frugis vacuum cernitur, quippe quod perpetuis templi boatibus, & longa ceremoniarum confictarum ſerie, honeſta, veréque Chriſtiana ſtudia nimis pertinaciter remoratur, ut non tam vita, quàm vivi hominis ſepultura dici debeat: Nec enim ſe vivere ſentiunt, qui in hunc modum dormiunt verius, quàm vivunt. Ad ſummam, certum eſt, aut nunquam, aut alia Monachiſmi facie, me rediturum. Age, mi frater, ingenii vires intende, & quicquid potes dicendo, huc confer, ut apud illos impetres, ne vocatum me nunc in præputio rurſus circumcidi patiantur: quo nihil in vita moleſtius accidere poſſet, nihil infelicius, ut jam ſunt res Monachorum. Expertus ego novi, quid dulce, quidve amarum habeat Monachorum vita. Sed, en, mi frater! cùm jam literas iſtas ad calcem ferme deduxiſſem, rurſum adeſt Abbas noſter nonnihil habens negotiorum, quæ

apud Præſulem conficiat, qui illi de me eandem quidem cantilenam, ſed planiori quàm prius voce cantavit, palàm adfirmans, ita habere rumorem vulgi, authorem me eſſe omnium tragædiarum, quæ hic in Lutheri cauſâ moventur, proinde ſe diſceſſum meum modis omnibus cupere. Abbas verò nihil hic certi, niſi ſuum officium promittere, ſe poſſe, dicebat, nimirum me præfractius repugnanti, ſimul diſſuadentibus amicis, qui ubi ab Epiſcopo dimiſſus ad nos rediit, illius animum bona fide retegit, ſuadet, hortatur, blanditur, & quanta poteſt maxima arte, ut redeam, obteſtatur, ſalva omnia promittens. Ego contra in mea ſententia immobilis perſiſto. Soror autem M. ſecretius mihi de totius negotii ratione loquens, præter cætera ſubinde dicebat, rationem eſſe habendam pientiſſimæ matris, cui paſſim acerbi convitii loco in os jaceretur filius Apoſtata, *quæ res etiam immaturam illi mortem conciliatura videretur.* Tot ergo undique impetitus telis, Blaurerus domi quidem aliquandiu delituit, in cœnobium tamen reverti noluit. *Lubenter autem* (ita ad fratrem Thomam) *hoc quicquid eſt tædii, matris cauſa devorabo, quandoquidem & non paulò amænior hic erit carcer.*

quàm

quàm funeſtus ille ſpecus mecus, unde, propitio Chriſto, feliciter ſemel extractus, libertatem meam mordicus, favente DEO, tenebo. Sed & aliud acceſſit blanditiarum genus, prolixa veniæ promiſſio per Legatos liberaliſſimè jactata. Exemplum Campegii illuſtre eſt apud *Sleid.* l. IV. p. 40. *Ideo* inquit, *ſe miſſum eſſe, ut lapſos erigat, & reſipiſcentes, in gratiam recipiat, &c.*

V. Sequitur intolerabilis adverſariorum hypotheſis, quaſi reformatione omnium *a* malorum Ilias fuiſſet illata: Quòd ſentina illa eſſet *b* hæreſium, & *c* ſeditionum cloaca.

a. Cùm a. Ch. 1529. Petrus Fliſtedius, & Adolphus Clarebachus Coloniæ Agrippinæ, quòd de cœna, déque cæteris dogmatis diverſum à Pontificiis ſentirent, & à Magiſtratu, & ab Archiepiſcopi damnarentur Prætore, culpam ejus rei plerique contulerunt in Theologos concionatores, qui ſuppliciis impiorum placándam eſſe damnabant iram Dei, novo morbi genere hos verberantis, *Sculs.* pag. 259. *Sleid.* l. VI. pag. 73. Poſtquam converſi Vergeriorum fratrum, alterius Polæ, alterius

verò Juſtinopolis Epiſcopi, innotuiſſet, certo die, cùm in æde primaria populus admodùm frequens Juſtinopoli conveniſſet, Griſonius, qui tum conſultò muſſificabat, ſplendidè exornatus, inter alia, ut aculeum defigeret, hoc, inquit, tempore, & hiſce aliquot annis multæ vos premunt calamitates, quæ nunc oleas, nunc ſegetes, modò vineas, modò pecudes, aliáſque facultates graviter affligunt: His verò malis cauſam præbet Epiſcopus veſter, & hæreticorum turba reliqua: Nec eſt, quod levationem ullam ſperetis, niſi coherceantur; proximum autem eſt, ut impetu facto lapidentur. *Sleid* l. XXI. p. 268. Ita cùm *Northumbrius* in Anglia capite mulctaretur, in publicum productus, orationem ad populum habuit, eúmque, ut in religione illa, quam à Majoribus veluti per manus accepiſſet, permaneret, hortabatur: Omnem enim calamitatem, quæ jam olim, maximè verò poſt mortem Henrici Regis, Britanniam pervaſerit, unicam hanc ſibi videri cauſam, quod à reliquo Chriſtianiſmi corpore divortium fecerit, *Sleid* l. XXV. pag. 331. Ita verò hominem locutum ferunt, quòd ſpes ei quædam facta fuerat impunitatis. Et quanquam reliquo ſermone confecto, ſeſe ex animo loqui

qui dicebat, ſunt tamen qui pœnituiſſe eum facti confirmant, cùm circumſpiciens, nullum perfugium, & verba ſibi data eſſe videret. Idem accidit in *Dania*, Scult. an. Chr. 1526. pag. 72. In *Gallia* etiam Franciſco Regi perſuaſum fuit, omnia regni mala, à damnata Lutheranorum hæreſi oriri, *Id.* pag. 175.

b. Hæc elogia compendio exhibet *Cardinalis Antonius* Galliæ primas, in Concilio Provinciali an. Chr. 1528. ubi inter alia de Luthero: Is, inquit, non cum uno aut altero tantùm Hæreticorum priorum commercium habet; ſed cum omnibus & ſingulis. Cum Manichæo namque humanorum actuum tollit libertatem: cum Ærio nihil facit præcepta Eccleſiæ. Vigilantium ſecutus, Eccleſiaſticorum pudicitiam proſtituit, terrenis etiam poſſeſſionibus illos exuens &c. *Bzov.* a. Ch. 1528. S. 41.

c. Id quod adeò impudenter occaſione ſeditionis ruſticæ, ab adverſariis, factum eſt, ut varia in Germania paſſim prodierint Evangelicorum ſcripta, quibus clamores eorum retundebantur, qui motuum & ſeditionum cauſam in renati nuper Evangelii doctrinam conferebant. Inter alia, nihil novi eſſe, Evangelici docebant, doctrinæ puræ ad ſcribi, quod hominum

peccatis promeritum ſit. Romanos, temporibus Apoſtolicis univerſales calamitates ſibi immitti, propter religionem Chriſtianam, putâſſe: cùm tamen ipſi eſſent publicorum incommodorum rei, & malorum illices, apud quos Deus ſperneretur, ſtaturæ adorarentur, id quod ex Tertulliani Apologetico, ex Cypriano contra Demetrium, ex Auguſtino de Civitate Dei, ex Oroſio denique clarum ſit.

VI. Concordiam, Fœderatorûmque conjunctionem vel ſolutam planè, vel luxatam periculosè fuiſſe per religionis reformationem, tum alibi inculcatum ubique fuit, tum præſertim in *a* Helvetia. Et ut animorum abalienatio negari non poteſt; ita mutationem illam vel à reformatione demum ortam, vel eidem tribuendam, pridem *b* dilutum eſt.

a. Qua de re plurimæ extant querelæ, publico & privato nomine collectæ. Ex illis primaria ferè eſt, quæ in *Actis aurei*, ut vocatur, *Fœderis*, inter Cantones Pontificios a. Chr. 1586. d. 4. Octob. extat, p. 33.

b. Objectionem hanc prolixè hinc inde ſolvimus. Vid. *Meth. leg. Hiſt. Helvet p.* 189.

Viator.

Viator. pag. 120. 295. Reſponſum cumprimis conſulatur Ampliſſ. Procerum Helv. ad Cantones, aurei fœderis ſocios, pag. 1.

VII. Varia ſequuntur decreta, ſupplicia, proſcriptiones, excommunicationes, quibus optimos & conſtantiſſimos quosq; fatigare atque frangere Roma voluit. Neque verò clerus tantùm; ſed & Magiſtratus hinc inde Politicus ſervilem condixit operam, tam in expeditionibus ſæpe promtus, quàm clerus in accuſatione. Unde vix (*a*) locus eſt in Europa, cui, his artibus & technis, inſidiæ non fuerint ſtructæ: Diverſiſſimo tamen eventu, ita ut alibi creſcentibus ſuppliciis creverit veritatis amor; alibi tamen carnis infirmitas ſuccubuerit.

a. Ita, ut à *Gallia* initium faciamus, annus Ch. 1534. in proverbium abiit, & *annus*, publicè Pariſiis, *programmatum*, *affixionum*, & *inſcriptorum* nominatus fuit. Res verò ita habet. *Gerardus Rufus* Margaritæ Franciſci Galliæ Regis ſororis, Navarræ Reginæ auſpicio, & *Coraldus* & *Perthaudus*, alii-

aliique Clariſſimi viri, Lutetiæ Evangelium publicè & liberè profitebantur, idque in magna populi concurrentis frequentia. Uſſit hoc Sorboniſtas, itaque in eo laborârunt, ut Doctoribus iſtis omnibus concionibus interdiceretur. Illi tanta injuria Reipublicæ Chriſtianæ commoti, concionem in privatam & domeſticam docendi rationem, æquali ferè ſucceſſu profectúque convertunt. Sorboniſtæ igitur rurſum obtinent, ut Doctoribus Evangelicis etiam privata iſta docendi ratione interdiceretur. Præcipiti igitur quodam, animi impetu nonnulli Auditores Genevam mittunt, & programmata quædam in Miſſæ deliria, & rituum hujusmodi Papiſticarum ludibria characteribus excudi curant. Atque hæ inſcriptiones, prudentioribus improbantibus, imprudentioribus exoptantibus, Lutetiæ compitatim affixæ ſunt, in vulgus item ſparſæ, idque menſe octobri. Quod adeò indignè *Rex Franciſcus* tulit, ut atroci edicto omnes, qui in tenuiſſimam aliquam ſuſpicionem incidiſſent, comprehendi juſſerit. Hinc miſerabilis Eccleſiæ facies, & luctuoſæ multorum mortes ſunt ſubſecutæ. Et quanquam Galliarum Rex, Germanorum ſocietatem quæreret, de ſævitia tamen nihil

hil remiſit. Unde *Melanchthon*, ad Camerarium: τοὺς κέλτας πάνυ μαίνεσθαι ἀκούω. Sed quicquid erit, hoc me conſolatione ſuſtento, quòd ſcio, ὅτι δεῖ τὴν ἐκκλησίαν μιμεῖσθαι τοῦ Δεσπότου θλήψεις. Quo loco res an. Chr 1549. fuerint, ex eo patet, quòd Rex, Lutetiam ingreſſus, non modò non impediverit, quominus nonnulli ob Lutheraniſmum ad ſupplicia raperentur; ſed & quarta die Julii ſupplicationes fecerit ad Divorum templa. Poſtridie ſcriptum evulgavit, typis excuſum, cauſámque ſupplicationis fuiſſe dixit, ut Deo gratias ageret, pro tam multis in ſe collatis beneficiis, ut pro ſua ſuæque conjugis, & liberorum, & totius regni ſalute, próque republica Deum oraret, & piorum animas ei commendaret: Inprimis autem Galliæ Reges, Majores ſuos, & nuper defunctum parentem, cujus ad exemplum ſtatuiſſet omnino ſuſcipere fidei Catholicæ, religionis, authoritatis, & libertatis Apoſtolicæ, & Miniſtrorum Eccleſiæ patrocinium & tutelam: Inter cauſas hanc etiam eſſe præcipuam, ut publicè conſtaret, quantopere deteſtetur eos, qui contra præſcriptum Chriſti, contra formulam & traditiones Apoſtolorum, contra totius Antiquitatis conſenſum negant præſentiam corpo-

corporis & ſanguinis Chriſti, qui baptiſmo & pœnitentiæ, & bonis operibus, & Sacramentis vim omnem detrahunt, qui authoritatem Eccleſiaſticam & ordinem Hierarchicum planè contemnunt, qui cultum & venerationem, & reliquias Divorum rejiciunt. Deinde per eam ſupplicationem teſtificari ſe voluiſſe, quæ ſua ſit ſententia, quæ voluntas, nimirum quod exemplo Majorum, & imitatione quadam hæreditaria, de dogmatis omnibus ita ſentiat & credat, ſicut Eccleſia Catholica, Symbolum Apoſtolorum, Concilium I. Nicenum & alia multa Concilia Patrum: Item quòd hæreſes, jam olim damnatas, hoc verò tempore partim reſuſcitatas, partim inventas à Luthero, Carolſtadio, Zuinglio, Oecolampadio, Melanchthone, Bucero, Calvino, & id genus aliis Hæreſiarchis, hominibus monſtroſis & peſtiferis, planè decreverit è ſuis finibus exterminare, & in eos, qui meriti ſint, graviſſimè vindicare. Hoc ſcriptum, lingua populari compoſitum, per totam Galliam dimittit, & in facta ſupplicatione, ut populo denuncietur, mandat; *Sleid.* XXI. pag. 273. Sub Henrico iterum II. in Proteſtantes ferro & igni fuit ſævitum: Cætus Sacri turbati: Clades in via Jocobæa patrata: Contradi-

tradicentes Senatores carcere mulctati, inter quos erat Annas Burgæus, qui etiam, ſed poſt mortem Regis, ultulatus: Seriò prius judices monuerat, *jam tandem ignes veſtros & incendia reſtinguite, atque ad Deum, emendata priore vita, mentes convertite, ut peccata vobis condonentur.* Sub Franciſco II. & poſt unum & alterum Colloquium, hoſtes nihilo molliores, exacerbati fuerunt. Ad fanum Medardi in cætum impetus factus, multi miſerè tractati, locus incenſus, Johannes Malo Miniſter vix periculo ereptus. Subſecuta ſtrages Vaſſiacena à Guiſio patrata, frequentiſſimus ſacer cætus turbatus, ad 60. cæſi, 200. læſi, Leonhardus Morellus Paſtor captus, S. Biblia, & locus indigniſſimè tractatus. Et quia Antonius Navarrus injuriam cordi non habuit, monuit eum Beza, meminerit, Eccleſiam eam eſſe incudem, quæ multorum malleos hactenus retudiſſet, & attriviſſet. Hinc, patientia læſa, ortum bellum civile, in quo cumprimis Miniſtri verbi divini crudeliſſimè habiti. Meri Caſſobovius Paſtor ſubmerſus; Ligolii oculis effoſſis, lento igne exuſtus. Andegavi Carolus Alliacus occiſus. Cæſaroduni Johannes Turrius, ſenex ſeptuagenarius in flumen præcipitatus: Ad fanum Chriſtophori

phori decrepitus ſenecio jugulatus. Audomari ponte, poſtquam oculis & auribus privatus eſſet, ad patibulum per vicos tractus. Rhotomagi Auguſtinus Marloratus ſuſpenſus. Tanto autem odio ferebantur Itali, ut puero vivo ſecto ejus jecur evulſum calens adhuc tanquam pro cibo ederint. Secuta quidem paulò poſt pax, ſed quia Carolus IX. edicta in gratiam Proteſtantium lata non ſervavit, bello Civili anſam dedit. Proteſtantium Duces erant Condæus & Colinii fratres. Sed nihil trunculentius fuit & atrocius *matutinis* illis *Bartholomaanis* 1572. ut *Genebrardus* vocat. 2. *VValdenſium Eccleſiam* in eo regno perſecutionis procella quoque perculit. In Provincia Antonius Moventius Vir Nobilis, quod cætus ſacros domi ſuæ haberet, immaniter occiſus, exenterato ventre viſcera per vicos tracta, poſtremò in cloacam projecta, averſantibusque canibus, indignati qui præbuerunt, in canes, tanquam Lutheranos ſævierunt. In regionis Pedemontanæ Valles, Convallenſes, Angruniam & alias, Comes Trinitenſis copias duxit, atque inaudito crudelitatis genere in miſeros graſſatus. Miles quidam, inſtar canis rabidi, cujusdam fidelis dimidiatam aurem dentibus avellens,

lens, ex perditorum horum, inquit, Lutheranorum carnibus aliquid mecum in patriam deferens. Cæcus quidam ſenex 103. annorum in ſpelunca cum filia 18. annorum, quæ patrem aluit, repertus, obtruncatur. Puella dum vim pudicitiæ ſuæ libidinoſos ganeos velle inferre videret, è manibus eorum ſe proripiens, è rupibus præruptis præcipitem ſe dedit. Hominis ſexagenarii manibus, poſt tergum revinctis, ad ſcamnum alligati, umbilico ſcarabæum teſtâ tectum admoverunt, qui rodere nunquam deſiit, donec in alvum penetrâſſet, & miſerum horribili genere mortis necâſſet. Sangermani in valle Peruſiana paſtor rogo impoſitus, fæminæ duæ, quas antea docuerat, faces injicere ac dicere coactæ: Sume hoc, impie hæretice, quandoquidem nos malè docuiſti. Quibus ille: Heu miſeræ, haud quanquam vos malè docui, ſed malè profeciſtis. *Thuan.Il.*18.27.28. &c. *Comp.Lat.* pag. 575. &c.

3. In *Lotharingia*, Dux Antonius, facto 1524. decreto, quoniam doctrina Lutheri damnata ſit à Pontifice Romano, & à Cæſare, & à celeberrimis Academiis, mandavit ſuis, ne quis pro concione aliquid ejus generis doceret. Item, qui libros

haberent ullos à Luthero ſcriptos, intra certum diem exhiberent: iis, qui non parebant, pœnam conſtituit. 4. Ludovici *Hungariæ* & *Boemiæ* Regis, juvenis bonitate abutebantur Pragenſes in Bohemia, & Budenſes in Hungaria. Pragenſes, decretis carceribus & exiliis in Lutheranos & Fratres (quos Picardos vocant) an. Chr. 1524. ſæviebant. Et perſuaſus ab illis Rex Ludovicus Carolo Duci Munſterbergenſi, Georgii Podiebracii nepoti, Boëmiæ gubernatori mandabat, ut omnes Lutheranos, & Picardos in exilium ejiceret. Budenſes in Hungaria Georgium quendam, Bibliopolam, una cum libris Evangelicis exuſſerunt. *Scult.* 5 In *Scotia*, menſe Auguſto 1534. *acriter in Lutheranos fuit inquiſitum. Quidam coacti publicè recantare, nonnulli, quod citati non adeſſent, exules pronunciati, duo concremati*, Bzov. 1534. S. 93. 6. In *Germania*, Evangelici Camera excluduntur, *Sleid.* Comment. pag. 71. Ipſe Cæſar Lutherum d. 8. Maji 1521. proſcripſit; de qua proſcriptione varia erant, ut fieri ſolet, judicia, aliis Zelum Caroli laudantibus: aliis Propheticum illud identidem ingeminantibus: Væ terræ, cujus Rex puer eſt. Ducis Bavariæ tyrannidis meminit Lutherus: *In Bavaria*, inquit *mul-*

tum

rum regnat crux & perſecutio verbi, etiam non palàm ſeminati, Scult. an. Chr. 1524. Georgius Dux *Saxoniæ* a. Chr. 1533. mandavit, ut cives Ducatus Saganenſis in Sileſia, quem tum ille poſſidebat, qui ad audiendas conciones Evangelicas exirent, exilio mulctarentur. 7. In *Helvetia* Cantones Pontificii reformatam religionem publicis edictis & fœderibus in propriis ſuis territoriis proſcripſerunt, a. Chr. 1531. & 1586.

8. *Italia* cumprimis, ut principiis obſtaret, omnem hac in re movit lapidem. Nam initio ſtatim reformationis, Leo X. Thomæ Cajetano, Legato ſuo ſcripſit, quoniam Hieronymus. Epiſcopus Aſculanus, Auditor Cameræ, Martinum Lutherum ad perſonaliter comparendum coram eo citâſſet, & hic Pontificia benignitate abuſus, audacior effectus: Quare per prædictum auditorem Cameræ jam Hæreticus declaratus eſſet; & deberet Lutherus, invocato ad hoc Maximiliani Rom. Imperat. electi, & reliquorum Germaniæ Principum, communitatum, potentatuum tam Eccleſiaſticorum, quàm ſeculiarum brachio cogi, compelli, & in Legati poteſtatem redigi, ac ſub fideli cuſtodia retineri, donec Legatus à Pontifice aliud haberet in mandatis. Quod ſi in pertinacia

ſua perſeveraret, & ſeculare brachium contemneret, deberent in omnibus Germaniæ partibus Luthero adhærentes, per edicta publica, ad inſtar illorum, qui olim in Albo prætorio ſcribebantur, pro hæreticis excommunicatis, anathematiſati & maledictis publicari: Etiam Duces, Marchiones, Comites, Barones, & quæcunque communitates, Maximiliano Imperatore excepto. Inſuper Eccleſiaſtico interdictui oppida, terras & loca ſubjici, ad quæ prædictum Martinum declinare contigerit: Imò infames fieri ſeculares, & feudis prioris non obtemperantes Papæ; Romæ die 23. Aug. 1518. *Paraleip. Vrſp p.* 449.

9. Illud verò edictum, quo provinciis ſuis ipſe Imperator, Carolus V. Reformationem voluit eliminatam, omnium inſtar eſſe poterit, & quod an. Chr. 1550. editum ita habet: Quanquam, *inquit Cæſar*, id operam dedi ſemper, ut meos intra fines antiqua & vera religio ſervaretur, etſi totus in hoc ſemper fui, ut qui multis nunc annis per orbem Chriſtianum diſſeminati ſunt errores, hæreſes atque ſectæ, funditus tollerentur, licèt hoc nomine varia ſubinde propoſui edicta, graviſſimáſque pœnas, tamen magno cum animi dolore accepi, non meæ ſolùm ditionis homi-

homines, verùm exteros etiam, qui noſtris in provinciis habitant atque negotiantur, hujus mali contagionem, longè latéque in promiſcuam multitudinem diffundere, ſic ut planè opus ſit acrem aliquando adhibere medicinam, & inſontes diligenter inquirere, ut ea peſtis exſtirpetur radicitus, quemadmodum in poſtremis conventibus provinciarum præfectos & ordines admonui, ut pro ſe quisque diligenter in hanc curam incumberent, & in veteri atque Catholica religione permanerent, præſertim cùm ſit omnium oculis expoſitum, quas turbas atque ſeditiones in vicinis populis excitârit ea labes, ut interim de ſalutis & animarum diſpendio nihil dicam. Itaque de conſilio chariſſimæ ſororis germanæ, & reliquorum Procerum, novam hanc legem fero, & ſimul edico, primùm, ne quis omnium, quicunque ſit ille demum, habeat, emat, aut diſtribuat Lutheri, Oecolampadii, Zuinglii, Buceri, Calvini, & quoscunque tandem libros, editos annis ab hinc triginta, incertis authoribus, ut amplius in Theologorum Lovanienſium Catalogo continetur: Item, ne quis ullam habeat picturam, aut imaginem fictam in ludibrium atque contumeliam divæ virginis atque Sanctorum, neve diſ-

jiciat aut infringat ullam imaginem in honorem alicujus divi depictam : ne quis domum ſuam conventibus occultis aperiat, in quibus & diſſeminari ſolent errores, & homines rebaptizari, & conſpirationes in Eccleſiam atque rempublicam fieri: ne quis de S.Scriptura, maximè, de rebus dubiis atque difficilibus, privatim aut publicè diſputet, aut ejus interpretationem ſibi ſumat, niſi ſit Theologus, qui probatæ alicujus Academiæ teſtimonium habeat: qui ſecus fecerint, punientur ut ſeditioſi, & publicæ tranquillitatis perturbatores, ac viri quidem gladio ferientur, fœminæ autem in terra defodientur, ſiquidem ab errore deſiſtent: Si verò pertinaces erunt, exurentur, publicatis ipſorum bonis utrumque luant ſupplicium. Ad hæc teſtamenti faciendi poteſtatem nullam habebunt, & quicquid ejus rei fecerint, à quo primùm tempore legem hanc noſtram violare cæperunt, irritum eſſe jubeo. Præterea, ne quis hoſpitium præbeat, aut ulla re ſubveniat iis, quos de hæreſi novit ſuſpectos, mando: Verùm denunciet ſtatim Inquiſitori, vel loci præfecto, ſubiturus pœnam, niſi faciat. Qui non malitia, nec obſtinatione, ſed per infirmitatem lapſi fuerint in hæreſin & errorem,

neque

necue tamen in hanc noſtram Legem commiſerint, neque ſeditioſè quid fecerint, & ſponte redierint ad ſanitatem, & adjuratione facta recepti fuerint in gratiam, nullum poſthac ſermonem inter ſe conferant de rebus ad fidem atque religionem pertinentibus: Alioquin plectentur, ut in crimen relapſi. Qui, non convictus quidem, ſed admodum ſuſpectus de hæreſi, damnatus fuerit, ut vel abjuret, vel publicè ſatisfaciat, & idem poſt accuſetur hæreſis, mulctabitur ut in crimen relapſus. Iis, qui ſunt hæreſeos & id genus criminum macula polluti, licèt in gratiam recepti fuerint, nullus honos, nullum munus publicum, nulla dignitas communicabitur. Niſi teſtimonium quis adferat ab Eccleſiæ Miniſtro ejus loci, ubi poſtremo vixit, non permittatur ei domicilium vel habitatio: Nam ejuſmodi pro ſuſpectis haberi debent. Præfecti locorum, & reliqui noſtri beneficiarii per ſuam quisque Provinciam, diligènter inquirant in eos, qui legem hanc violabunt: Sed & Inquiſitoribus & judicibus Eccleſiaſticis opem ferant, ut in quibus culpa reſidèbit; comprehenſi pœnam luant juxta formulam, quam Inquiſitoribus præſcripſi: niſi faciant, arbitrio noſtro luent: Procurator etiam

judices in eo delinquent, non ferent impunè. Qui de hæreſi accuſati, & in jus vocati profugerunt, ac poſtea proſcripti ſunt, ubi de ſociis criminum jam mortuis acceperunt, ſupplicare ſolent, ut ad purgationem admittantur, quandoquidem probari crimen amplius non poſſe putant, eóque fit, ut reverſi falſam doctrinam & errores iterum diffundant: Id verò ne fiat, publicè intereſt. Itaque mando ne locus ullus detur ipſorum poſtulatis, verum ut omnes, qui citati non comparuerunt, ſed fuga ſalutem quæſiverunt, habeantur pro convictis atque damnatis. Qui pro ſuſpectis, & fugitivis & proſcriptis, & Anabaptiſtis intercedunt, habeantur pro fautoribus Hæreticorum. Judices autem atque Præfecti neminem ex illis in gratiam recipiant, niſi vel meo, vel ſororis germanæ permiſſu, qui ſecus agent, iis abrogabitur Præfectura. Librarii nihil excudant nihil divendant ac diſtrahant rei ſacræ, niſi de voluntate & conſenſu eorũ, quibus hæc erit demandata cura: Si quid etiam ipſorũ operæ deliquerint, ipſi præſtabunt. Et quia Catalogus extat librorum, quos Academia Lovanienſis rejecit, librarii ſuis in tabernis habeant ſuſpenſum, & ob oculos poſitum, ne poſt ignorantiam obducant vel

 ipſi.

ipſi vel emtores: Deinde alterum habeant omnium ſuorum librorum Catalogum. Qui non parebit, centum aureis mulctetur. Pueros etiam erudiendos nemo ſuſcipiat, niſi permiſſu Magiſtratus, & præcipui Eccleſiæ Miniſtri, nihil autem doceat, aut juventuti proponat, niſi juxta formulam à Theologis Lovanienſibus conſcriptam.

VII. Miraculorum *a* etiam & apparitionum *b* figmenta impudenter multi Reformationi auſi fuerunt opponere.

a. Hoc tibicine ſuperſtitionem ſuffultam voluit, *Bzov.* a. Chr. 1525. S. 72. Miniſtri hæreticorum meminit, qui Berolini pro concione St. Paulum mendacii arguens, ſubito in ſuggeſtu apoplexia fuerit extinctus. Sed Monachum fuiſſe, *Buchholzerus* rectiùs monet.

b. Cujuſmodi eſt funeſtus ille Monachorum Aurelianenſium in Gallia ludus, de quo *Sleid.* Comment. lib. IX. pag. 99. & nos ſup. T. V. pag 462.

VIII. Quin & fraudes inſubſidium ſunt vocatæ, ut Reformationi multi obicem ponerent.

Hujus-

Hujuſmodi ſunt, 1. *Larvati* quidam *emiſſarii*. An. Ch. 1525. Francofurtum ad Moenum, ab Archiepiſcopo Moguntino Theodoricus quidam Urſellanus mittebatur, qui ſub larva Lutheranici Concionatoris Papiſmum debebat defendere, contra Ibachium, Evangelii præconem. Olfecit hoc Dionyſius Melander, Monachus Franciſcanus, & hoc anno ipſi publicè, ejúſque ſucceſſori Joanni Schallio contradixit. Melandro ſe Johannes Bernhardi ab Algeſtein, Monachus Dominicanus conjunxit. Orta in urbe ſeditione paulò ante Paſcha cives Miſſam & omnes abuſus Pontificios tolli volunt. Senatus igitur Melandrum & Johannem ordinarios Evangelii Doctores renunciat. *Scult.* 2. *Conducti incendiarii & venefici.* Ita circa a. Ch. 1546. m. Auguſto, Proteſtantes, ſcripto edito, dixerunt, à fide dignis ad ſe deferri, Pontificem, Antichriſtum Romanum, organum Sathanæ, qui ſuperioribus aliquot annis per incendiarios conductos, igni Saxoniam graviter afflixerit, nunc veneficos emiſiſſe, qui puteos & aquas ſtagnantes corrumperent, ut quod ferro ſupereſſet & armis, hoc iſti veneno perderent. Monent itaque in univerſum omnes, præſertim ſuæ ditionis homin[illegible] [illegible]ent operam, ut

ut emiſſarii illi comprehendantur, & ſubjecti tormentis, cum de ſcelere conſtabit, pœnas luant. Aliquot deinde poſt diebus, Electoris filius, Johannes Guilelmus, evulgatis literis, monet ſuos, ut ſibi diligenter caveant: Nuper enim non procul à Vinaria, oppido Thuringiæ, comprehenſum eſſe quendam, ex ſuſpicione, Italum, qui ſibi & nonnullis aliis Romæ datam eſſe pecuniam fateatur nomine Pontificis, ut incendiis atque veneno, quantum omnino poſſent, per Germaniam damni darent, *Sleid.* lib. XVIII. pag. 222.

X. De hoſtium furore ex Martyrum actis judicandum eſt. In Gallia, *a* Anglia, Hiſpania &c. ita in fideles fuit ſævitum, ut continua ſupplicia nec ſexui parcerent, nec ætati nec ſanguini, nec meritis: Quin humanitatis ſenſum atrociſſimi tortores exuiſſe videbantur. Et quanquam ſævitiæ nonnullos ita puduerit, ut Apologiis purgari *b* voluerint; cæteri tamen, ferociores indies facti, Inquiſitione, contra infideles *d* antea inſtituta, Chriſtianiſmo reformato jugulum avidè petierunt, non

fine

ſine aliorum, fidei etiam conſcraneorum, *e* cordolio. Inquiſitorum cumprimis quæſtiones vel *f* impiæ erant, vel ſuperſtitioſæ, ipsaque diſſentiendi libertas adeò rigidè inhibita, ut ſingula ferè capita controverſa ſingulis Martyriis, improbantibus *g* moderatioribus, fuerint illuſtrata.

a. In *Gallia*, v.g. cum chartæ quædam affigerentur, in quibus de religione, déque Miſſa cumprimis, multa erant perſcripta, mox inquiri cæptum eſt, ac inveſtigari, & per indicium nonnulli, quidam verò per ſuſpicionem comprehenſi, habita quæſtione, vivi cremabantur, horribili ſanè ſpectaculo. Nam ad machinam alligati, & in altum ſublati, deinde in ignem è ſublimi demiſſi, & rurſus adducti, carnifice demum abſcindente funem, in ſubjectam flammam corruebant, iis etiam, qui paulò videbantur eruditiores, antequam producerentur, lingua reſecta fuit, ne vel ſupplicii cauſam, vel doctrinæ ſuæ ſummam ad populum explicarent. *Sleid.* lib. IX. pag. 102. In *Anglia* duobus annis (1555. & 1556.) propter religionem ſupra 800.

800. hominum capita variis ſuppliciorum generibus interierunt. Sunt,qui referunt, defuiſſe carceres hominum capaces, & templa, captivis incluſis, fuiſſe pro carceribus. Exulti ſunt multi Theologi, inter quos præcipui fuerunt, Nicolaus Ridleus Epiſcopus Londinenſis, Hugo Latimerus octogenarius Epiſcopus Wolceſtrenſis, d. 6. Oct. Johannes Hopperus, Epiſc Gloceſtrenſis 14. Feb. *Hiſpania*, Martyrû æram ab anno 1559. deducere non malè potuiſſet. Eo enim anno de Satana & morte glorioſiſſimè triumphârunt Auguſtinus Cacalla, quem in Germania Carolus V. concionatorem habuerat. Johannes Ægidius, poſt mortem crematus. Varquias, in ipſo Inquiſitorum certamine mortuus. Conſtantinus Pontius, trium linguarum egregiè peritus, Confeſſor Caroli V. In urbe Valdolidi, menſe Majo, Chriſti nomine comburebantur, Franciſcus Biverus, Cacallæ frater, antea Sacrificus, Antonius Pereſius, Valentiæ antea Sacrificus. Chriſtophorus Delcampius, Zamorencis. Chriſtophorus Padilla, Zamorencis. Anton. Heſuellus, Torrenſis. Leonoræ Biveræ, pientiſſimæ mulieris, Cacallæ & Franciſci Biverorum matris, cadaver, Conſtanti & Leonora Biveræ, eorundem ſorores

res, Catharina Romana, Iſabella à Strada, Johanna Vaſqua, Pedrozenſes, Catharina Ortegna Valdolidenſis. Siviliæ verò eodem anno d. 14. cremabantur, Johannes Pontius, ex nobiliſſima Comitum Bailenſium familia. Johannes Conſalvus, Sivilienſis Concionator, Ferdinandus Santivanus, Ludimagiſter; Morzelius, S. Iſidori Monachus. Julianus Ferdinandus, Chriſtophorus Avellanus, S. Iſidori Monachus, Iſabella Vaënia, cujus domus, quæ piis omnibus patuit, funditus fuit everſa; Maria Viricza, Cornelia, Maria Bohorthia, Franciſca Chaveza, fæminæ nobiles.

b. Id quod factum eſt per Legatum Gallicum in conventu Smalcaldico, *Sleid.* lib. c. pag. 106 108.

c. Anno enim 1528. Pontifex Romanus Inquiſitori Brixienſi ſcripſit, ut quia Communitas Brixienſis decreto quodam conſtitueret, ut tres viri deligerentur, qui hæreſes extirparent, acciperetur pecúnia ex publico ærario, pro decreti ejus executione. Exemplar Bullæ habet *Bzov.* a. Chr. 1528. S. 39. Conferatur etiam Bulla Adriani, an. Chr. 1523. S. 11. Sed & Imperator prolixo eodem collimavit edicto, an. Chr. 1550. evulgato. De Paulo IV. refert

fert *author. Hiſt. Concil. Trident.* lib. V. Eum *adeò rebus bellicis non fuiſſe intentum, ut Inquiſitionis curam abjiceret, quam & præci*puum nervum & arcanum Pontificatus nuncupabat; pag. 454.

d. Id quod alibi prolixius oſtendimus. Compendioſè *Sleidan.* lib. XIX. pag. 242. *Inquiſitio Hiſpanica*, inquit, *quæ tum eſt hodie celebris, inſtituta fuit olim iis locis, à Ferdinando & Eliſabetha, Regibus, in Iudæos, qui poſt Baptiſmum ſuos ritus atque leges retinerent. Nunc autem, quando Lutheri nomen eſt vulgatum, in omnes promiſcuè qui vel minimum ſuſpecti ſunt, exercetur, & aſperè atque ſubitò.* Sleid. l. XIX. pag. 242. Ita, cùm Vergerii fratres Chriſto in reformata religione dediſſent nomen, mutuo ſibi gratulantes populum erudire cœperunt per Iſtriam, & Chriſti beneficium humano generi collatum diligenter inculcârunt, & cujusmodi opera Deus à nobis requirat, oſtenderunt, ut ad purum cultum homines revocarent. Sed exorti ſunt adverſarii multi, Monachi præſertim hi, qui dicuntur obſervantes, qui rem ad Inquiſitores deferebant, in quibus facilè primus erat Annibal Griſonius, & huic adjunctus, Hieronymus Mutius. Griſonius ubi Polam ac Juſtinopolin veniſſet, in civium ædes irruit, & ſi quos habe-

haberent libros prohibitos inveſtigabat: deinde, cùm pro concione multa dixiſſet, Pontificium fulmen emiſit in eos, qui de Lutheraniſmo ſuſpectos non accuſarent: iis tamen, qui redirent ad ſanitatem & ultro veniam ab ipſo peterent, leviorem pœnam promittebat: qui verò non ſponte patefacto crimine, poſt ab aliis accuſarentur, in eos igni ſeſe vindicaturum affirmabat, & ſingulas domos ingreſſus, territabat omnes. Itaque reperti ſunt nonnulli, qui ſe accuſarent ipſi, ac pleni formidinis nihil detrectarent: Ex iis, qui lautiores erant, privatim, humiliores, autem publicè ſunt coacti errorem ſuum teſtificari: qui Novum Teſtamentum lingua populari ſcriptum, ab ſe lectum fatebantur, eos graviſſimis verbis, ut in poſterum abſtinerent, deterrebat: deinde promiſcua multitudo, timore perculſis animis, deferebant quoſque certatim, nulla neque propinquitatis, neque neceſſitudinis aut beneficiorum habita ratione: non parenti filius, non uxor marito, non cliens patrono parcebat. Delationes autem erant pleræque de rebus frivolis, ut quiſque fortè aliquid ob ſuperſtitionem in aliquo reprehenderat. *Id. pag.* 268.

aut alio commigrandum. Imò, clauſis tabernis multi cogitabant abire vitandi periculi cauſa. Senatus etiam Antverpianus, & privati cives, qui maximo & incredibili ſuo diſpendio futurum hoc eſſe viderunt, magnis erant in anguſtiis: Et quum eò veniſſent qui Inquiſitionem inſtituerent, omni ſtudio & contentione repugnabant, & ad Mariam reginam profecti, quanti non ipſorum modò, ſed totius quoque regionis interſit, ne fiat, demonſtrant. Itaque res, ea quidem in Civitate, cujus cauſa præcipuè factum erat decretum, ob diverſas ibi rationes atque populos, tunc conquievit. *Sleid.* lib. XXII. pag. 280.

f. Diverſæ extant Inſtructionis formulæ. *Quæſtiones* (ita Sleid. l. XXII.) *ad formulam Caroli V. ad religionem pertinentes, de quibus interrogabantur delati vel ſuſpecti, numero erant ad triginta octo*, & in his, an credant Sacrificium altaris, Miſſam prodeſſe mortuis, ut è pœnis purgatorii liberentur, an credant D. Petrum fuiſſe Principem Apoſtolorum, Chriſtique vicarium, & Eccleſiæ Romanæ ſumum Pontificem, & pro talibus etiam habendos, qui legitimè ſuccedunt in ejus Cathedram: an à Pontificis obedientia diſcedi poſſe credant, mo-

dò ne ſit Hæreticus, aut ſchiſmaticus: an matrimonium occultè contractum, credant eſſe legitimum; an Lutheranos, Buceranos, & id genus alios credant eſſe Eccleſiam. Ignatii Lojolæ (qui bis in carcerem erat conjectus, ſemel Compluti, deinde Salmanticæ, quò, relicto Compluto conceſſerat, & ab Inquiſitoribus, de doctrina & novo quodam vitæ genere ſuſpectus, examinabatur) Inquiſitio, 29. abſolvebatur interrogationibus. 1. *Vtrum credat, Sacram Scripturam eſſe doctrinam imperfectam, mutilam, mancam, quæ non contineat omnia ad ſalutem, fidem, mores piè vivendi pertinentia?* Affirmavit Ignatius. 2. *Vtrum credat, defectum illum ſarciendum eſſe aſſumendo traditiones?* Affir. Igna. 3. *Vtrum credat S. Sc. in illis, quæ continet & proponit eſſe velut naſum cereum, non præbentem certam aliquam & immotam ſententiam, ſed quæ in quamvis interpretationem flecti poſſit?* Affir. Ignat. 4. *Vtrum rectè fiat, quòd in univerſum lectione ſacrarum literarum arceantur?* Affir. Ignat. 5. *Vtrum lectio S. Scripturæ non tantùm non ſit utilis, ſed multis modis pernicioſa?* Affirm. Ignat. 6. *Vtrùm credat, quòd poſt ſuſceptum Baptiſmum peccatum in renatis nullum remaneat, ſive quod apertum ſit, ſive quod tegatur vel operitur?* Affirma. Ignatius.

7. *Vtrùm*

7. *Vtrùm credat, quòd concupiſcentia, quæ reliqua eſt in renatis, etſi repugnet Legi DEI, tamen non ſit propriè, verè, in ſe vel ex ſe, & ſua natura peccatum?* Affir. Jeſuita 8. *Vtrum credat, falſum eſſe, quod peccatum ſit, quicquid legi DEI repugnet?* Affirm. Ignat. 9. *Vtrùm gravius peccent homines violantes Eccleſiæ præcepta, quàm committentes ea, quæ legi DEI repugnant?* Affir. Jeſuita. 10. *Vtrum renati in hac vita poſſint ſuis operibus Legis perfectionem conſequi?* Affir. Ign. 11. *Vtrum doctrina Evangelii propriè ſit; Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata?* Affir. Ignat. 12. *Vtrum in rebus ad ſalutem pertinentibus, liberum arbitrium tantum valeat, ut nihil homo agere poſſit quicquam ipſomet non annuente, & ad divinæ gratiæ ſuſceptionem non parato & prompto?* Affir. Ignat. 13. *Vtrùm fides ſit firmiſſima aſſenſio non tantùm eorum, quæ in Scriptura patefacta ſunt, verùm etiam illorum, quæ ſine in ſcripto in manus tradita ſunt?* Affir. Jeſuita. 14. *Vtrùm credat, quòd juſtus ex fide vivens, non habeat illud in Chriſto, ſed ex operationibus ſuis?* Affir. Jeſ. 15 *Vtrùm credat, quòd fides juſtificans illam formam ſeu vim non habeat ex Chriſto, quem apprehendit & poſſidet, ſed ex charitate?* Affir. Jeſ. 16. *Vtrùm credat, juſtificationem nihil aliud eſſe, quàm juſtitiæ acquiſitionem, vel, ſi Philoſophicè*

loquendum ſit, motum ad juſtitiam? Affir. Ign. 17. *Utrum credat, quòd miſericordia DEI in Chriſto, in qua ſalus noſtra conſiſtit, hæc ſit, quòd DEUS rectè operantibus, hoc eſt, legem implentibus vitam æternam promiſerit?* Affir. Ignat. 18. *Utrum homo poſſit ſatisfacere pro peccatis DEO, ſecundum menſuram proportionis, etiamſi offenſio ſit infinita, & ſatisfactio noſtra finita?* Affir. Jeſuit. 19. *Utrùm Sancti invocandi ſint, ut pro nobis apud Deum intercedant?* Affir. Ignat. 2. *Utrùm invocatio Sanctorum recipienda & concedenda, etiamſi nuſquam de ea Scriptura docet?* Affir. Jeſ. 20. *Utrum traditiones Eccleſiæ, etſi ex Scriptura probari non poſſunt, parem tamen authoritatem habeant, & eadem fide ſint credenda, ſicut illa, quæ manifeſta habent in Scriptura teſtimonia?* Affir. Ign. 22. *Utrùm rectè adorentur imagines?* Affirm. Jeſuit. 23. *Utrùm matrimonii doctrina impudicitiæ januam aperiat, ac animis libidinis faces ſubminiſtret?* Affir. Ignat. 24. *Utrùm eorum, qui voverint cœlibatum, & ſe continere non poſſint, legitimæ nuptiæ appellandæ ſint, an contra fornicatio, inceſtus, ſummum nefas ac adulterium?* Affir. Ignat. 25. *Utrum credat Purgatorium?* Affirm. Jeſ. 26. *Utrum credat Pontificum Romanorum perpetuam ſucceſſionem apertum indicium eſſe Catholicæ Eccleſiæ, & fidei Apoſtolicæ?* Affir. Ign. 27. *Utrum credat,*

penes

penes Eccleſiam eſſe quadam, etiam in ſacris literis expreſſa commutandi authoritatem, nonnulla inſtituendi parem facultatem, ideóque non minorem illi, quàm expreſſo DEI verbo vindicandam eſſe authoritatem? Affir. Jeſ. 28. *Vtrum credat, panem Cœnæ in verum Chriſti corpus tranſſubſtantiari vi conſecrationis?* Affirm. Jeſuita. 29. *Vtrum tota quantitas dimenſiva corporis Chriſti ſit in Sacramento?* Affirm. Jeſuita. Hoc examine Ignatius inſolito, & planè impio & à ſuſpicione & carcere liberare ſe potuit.

g. Alii enim Martyrii coronam ſunt adepti propter *dirutas ſtatuas*, Idola &c. In Anglia tres juvenes ſuſpendio ſublati, propter dirutum Idolum in oppido Dovercurt Eſſexiæ, proditore & accuſatore Jacobo Darmello Juriſconſulto, Scult. A. Ch. 1523. Johañes Clericus Meldenſis Gallus, Eccleſiæ Metenſis initia ſanguine ſuo jecit. Cùm propter deturbata Idola crudeliter excarnificaretur, & inter tormenta ipſi crudelitati inſultans altiſſima voce illud Davidis recitaret: Idola gentium ſunt argentum & aurum, opus manuum. *Bez.* Icon. Alii *propter liberum carnis eſum.* A. Ch. 1531. ſeniculus quidam Buckingamenſis ob porcinas per quadrageſimã deguſtatas ad ignis ſupplicium vocatus eſt. *Fox.* A. Ch. 1538. ſub Id. April.

April. Toloſanus quidam adoleſcens, nobilis, & literarum ſtudioſus, viginti circiter annorum Lutetiæ fuit combuſtus propter eſum carnis. Conſimili erant in periculo tres quidam Germani Belgæ propter eandem cauſam. *Sleid. pag.* 137. Alii pro *teſtimonio*, *reverentia Conjugii exhibito*. An. Chr. 1528. Henricus Flander, ordinis Auguſtinianorum Monachus, propter verbum Dei, in civitate Cortracenſi, oppido Flandriæ captus, & inde Tornacum deductus eſt, cúmque illi oblata eſſet conditio per officialem Epiſcopi Tornacenſis, ut, ſi vellet confiteri eam, quam uxorem duxerat, eſſe meretricem ſuam, vita ei conſervaretur: Renuit ille, & in fidei confeſſione firmus perſtitit, ignis ſupplicio poſtea addictus. *Act. Martyr.* Alii ſententiam, *in rem eſſe pietatis, ut ſacri libri in linguam vulgatam tranſlata legerentur à populo*, flammis debebant expiare. Id quod de Ludovico Perquino refert *Eraſmus* libr. 24. Epiſt. 4. & *Scult.* an. Chr. 1529. In Galliis enim non extabat vulgò lingua populari Scriptura: neque ſuſpicione caret, ſi quis fortè N. T. aut ſimile quid Gallicè legat, ajt *Sleid.* lib. XII. p. 138. Alii propter *negatum Sacrificium Miſſaticum* ultima quæque experiebantur. Dionyſius de Ryeux, inter

ter primos in Gallia palàm aſſeruit, Miſſam certiſſimam eſſe abrogationem mortis & paſſionis Jeſu Chriſti, vivus uſtulatus fuit, m. Jul. 1528. Eadem ratio eſt reliquorum articulorum pro quorum aſſertione capita ſua ſanctiſſima Martyres offerebant. Plures ſæpe articuli connectebantur, omnes tamen ita comparati, ut eorum Confeſſionem & Scriptura exigeret, & primitivæ Eccleſiæ Praxis. *Leonhardus*, cognomento *Cæſar*, in Bavaria ab Epiſcopo Paſſavienſi captus, & pro hæretico damnatus atque crematus eſt, quod defenderet, 1. Solam fidem juſtificare. 2. Duo tantum eſſe Sacramenta, Baptiſmum & Cœnam Domini. 3. Miſſam non eſſe Sacrificium, neque prodeſſe vivis & mortuis. 4. Confeſſionem delictorum eſſe conſilii, non præcepti. 5. Solum Chriſtum ſatisfacere pro præceptis. 6. Votum caſtitatis non obligare. 7. Scripturas non loqui de Purgatorio. 8. Nullum eſſe diſcrimen dierum. 9. Mortuos non eſſe Interceſſores. 10. In rebus divinis non eſſe liberum hominis arbitrium. *Scult.* 1527. Ita *Georgius Carpentarius* Monachii Bavarorum octava Februarii 1527. igni fuit addictus, quòd non crederet, 1. Sacrificum poſſe hominis peccata remittere in auri Confeſſio-

ne. 2. Hominem poſſe Deum cœlo evocare. 3. Deum incluſum eſſe in pane altaris. 4. Baptiſmum poſſe per ſe hominem ſalvare.

h. Audiamus judicium *Eraſmi Roterodami*, ex lib.21. Epiſt.7. in Martyrium Henrici & Johannis Auguſtinianorum Bruxellis combuſtorum. *Sit ſanè*, inquit, *conjiciendus in ignem, qui pugnat adverſus articulos fidei, aut ſi quid aliud magno Eccleſiæ conſenſu receptum eſt, ut cum illis parem habeat authoritatem. At æquum non eſt, ut quivis error igni puniatur, niſi accedat ſeditio, aut aliud crimen, quod leges capite puniunt. Neque enim hic valere debet Evangelii prætextus, ut impune peccatur; ſed ne omnino peccetur, etiam ſi per leges liceret impune. De poteſtate Pontificis in multis articulis Theologi Pariſienſes diſſentiunt ab Italis, & alteram partem errare neceſſe eſt. Neutra tamen alteram ad ignem vocat. In multis diſſentiunt, qui Thomam ſequuntur, ab his qui adhærent Scoto, & utrosque fert eadem Schola. Nunc magnopere vereor, ne vulgaribus iſtis remediis, hoc eſt, palinodiis, carceribus, & incendiis malum exaſperetur.*

XI. Sed & variæ clades, a quibus hinc inde Reformati erant affecti, & adverſarios in errore confirmâ-

firmârunt, & infirmorum progreſſus ſufflaminârunt.

a. Quod factum eſt per univerſum fermè orbem Europæum. Cladibus nonnunquam Reformatos atteri voluit Deus, ne humanis tribueretur viribus, quod ſolius Dei eſt. Hinc tamen cauſam Evangelii moram paſſam & eclipſin, cur diffiteamur? In Helvetia nota eſt clades Cappellana. De Flandria Genebrarduſi: *Hæreticis certum eſt Flandrorum terra ſepulchrum*; *pag.* 776.

In *Gallia* an. Chr. 1557. graviſſima perſecutio contra Evangelicos excitata, expugnato vico Jacobæo. Italia alimenta ſubminiſtrabat, jam enim circa an. Chr. 1545. perſcriptum Româ fuit, Pontificem, etſi Concilium indicarat, ſuòsque jam Tridentum miſerat Legatos, adeò tamen belli Lutherani fuiſſe cupidum, ut auxilia promitteret, peditum millia duodecim, equites 500. *Sleid.* lib. XVI. p. 193. Unicum enim ſiſtendi curſum Evangelii eſſe medium, ſi bellis Reformati attererentur, Georgius Saxoniæ Dux affirmavit, l. X. p. 118.

XII. Exemplum & authoritas Magnatum, quæ vim ſemper ſuadendi magnam habuit, Reformationis progreſſibus multum interceſſit.

ceſſit. Pro Papatu enim acriter dimicârunt,

a. Imperatores. Carolus V. jam a.Ch.1521. dira edicta contra ſectas, quas ſic vocant, omnes & ſingulas edidit, & quot annis renovavit, quorum vi, imperante Carolo, in ſolo Belgio capite truncata, ſubmerſa, ſuſpenſa, defoſſa, exuſta, in aliisque mortis generibus extincta, ultra quinquaginta hominum millia ſcribuntur: primò pluriмis ob leves admodùm cauſas (nempe vel carnium eſum diebus certis vetitum: vel ſervatos aut lectos libellos, quorum tamen doctrinam non probarent,) Sacerdotibus quoque & Monachis, ob ductas, fornicationis cauſâ, uxores, vita privatis. *Scult.* Eodem anno, cùm, ætatis annum viceſimum exceſſiſſet Cæſar, publico decreto Lutherum octavo die Maji proſcripſit. Exordium à ſua perſona deduxit: Sui nimirum eſſe officii non modò ſtabilire Imperium & amplificare, ſed providere etiam, ne qua labes aut hæreſis intra fines Imperii naſcatur: Et majores quidem ſuos in hanc curam diligenter incubuiſſe: Multò igitur eſſe æquiores, ut ipſe, cui tantam, tamque latè patentem ditionem Deus conceſſit, illorum veſtigiis inſiſtat: Nam ſi re-

ſi recens in Germania natas hæreſes non cohercat, fore, ut & conſcientiam ipſe ſuam lædat, & in hoc regni ſui primordio maximam nominis indignitatem ſibi conciliet: Notum eſſe, dubio procul, omnibus, quàm impia dogmata Lutherus nunc aliquot annis divulgârit: Ea re per motum Pontificem maximum Leonem X. ad quem ejusmodi cognitio propriè pertineat, nihil non tentâſſe, ut ad ſaniorem mentem illum revocaret. Et principio quidem leniſſimis uſum fuiſſe remediis, verùm, ubi nihil profecit, ad eas rationes, quæ legibus, & majorum decretis continentur, veniſſe, certúmque denunciâſſe tempus, intra quod errorem deponeret, gravi conſtituta pœna, niſi pareret: Illum verò non ſolùm obtemperâſſe, verùm etiam atrociores edidiſſe libros: Cùm autem graviter ipſe à Pontifice urgeretur, ut Eccleſiæ præſtaret officium, ac hominem nocentem cohiberet, decretum illud evulgâſſe Pontificis: Verùm ne ita quidem illum eſſe factum meliorem, imò tunc primum cæpiſſe furere, & editis libris indignè ac contumeliosè multa ſcripſiſſe, nec aliud in ipſius libris, quàm ſeditiones, bella, diſcordias, incendia, cædes atque rapinas contineri: Patrum atque Conciliorum ab eo conte-
mni

ni authoritatem, & Conſtantienſi Concilio magnam inprimis fieri contumeliam, quæ quidem non ſolum ad ejus ætatis viros ſanctiſſimos, verùm ad Sigismundum quoque Cæſarem, & Senatum Principum pertineat. Immanitatem ipſius atque rabiem nullius oratione ſatis explicari poſſe. Non eſſe hominem, qui ſic agat, ſed dæmonem potiùs humana ſpecie. His ergo de rebus cogitantem ſe magnopere perturbari atque dolere, pro ſuo erga Rempublicam & dignitatem Pontificiam affectu: Ideòque ne vel Majorum ſuorum virtute, vel ſuo ſplendore atque munere aliquid admittat indignum, congregationem feciſſe omnium Imperii Principum ac ordinum & communicato conſilio, rem omnem graviter ac diligenter expendiſſe: Et quanquam legibus cautum ſit, ne manifeſtus hæreticus, toties damnatus ab Eccleſiæ communione ſemotus audiatur, tamen, ne quis illi calumniæ locus eſſe poſſet, datis literis & miſſo caduceatore ac publica interpoſita fide, illum accerſiviſſe, ut coràm ſui facti rationem explicaret. *Sleid.* l. III. pag. 28. Unde & ſocii fœderis Smalcaldici exprobrârunt Cæſari Doceri poteſt literis (ita Saxo & Landgravius bellum Cæſari denunciantes) Pontificis

nuper

nuper miſſis ad Helvetios, quibus valde queritur de multis per Germaniam, qui Concilii dignitatem projiciant, & hanc dicit eſſe cauſam, cur armis rem experiri velit, & quoniam eadem de cauſa tu quoque belligerari conſtituiſſes, per opportunè ſibi dicit hoc accidiſſe, atque ideo velle tum ſuas, tum Eccleſiæ Romanæ vires omnes atque facultates omnes huc impendere. Cùm ergo propoſitum illud tuum, quod alia quæſita ſpecie tegere volebas, Pontifex patefecerit, quis amplius dubitet, religionem peti. Quid verò hoc rei eſt, dimiſſo Turca, belli furorem omnem in nos convertere, quaſi multo ſimus illo deteriores? *Id* l. XVII. pag. 220. Cùmque poſtea multi exiſtimarent, armis ſuis religionem Imperatorem non oppugnaturum, monuit Landgravius, ex Italis, qui fortè caperentur, omnes hoc affirmare, ideo ſe miſſos, ut bellum Lutheranis facerent: deinde ſocios religionis valde crudeliter hoc bello præ cæteris affligi direptionibus, incendiis, latrociniis: fœminas atque virgines nefariè conſtuprari puer ipſis & infantibus reſecari manus atque pedes, nimirum odio doctrinæ; *Ib.* pag. 227. Sed & *Maximilianus* anteceſſor, an. Chr. 1518. poſtrema Auguſtæ celebravit comitia, qui-

bus

bus univerſi Electores interfuerunt, & in his primum agi cæptum eſt, de Lutheri negotio, déque eo Cæſar. 5. Auguſt. ad Pontificem Romanum ſcripſit, ut naſcenti malo medicinam faceret, priusquam longiùs evagaretur, ac ſerperet: Moræ conjunctum eſſe periculum: Quicquid ipſe decreverit, hoc ſe laudaturum, & ut per Imperii provincias locum habeat, curaturum eſſe. *Id.*

2. *Varii Imperii Principes* *Ferdinandus*, Auſtriæ Princeps, latam adverſus Lutherum an 1521. ſententiam vehementer urgebat, & in Ducatu Wirtembergenſi, quem tunc tenebat, graviſſimum propoſuit edictum d. 26. Novembris, ac præmium delatoribus conſtituit, ac paſſim in ſuis provinciis graviter in eos, qui Pontificiis legibus non parerent, animadvertit. Ita *Henricus*, junior, *Dux Brunſuicenſis*, *Georgius Dux Saxoniæ*, *Philippus Epiſcopus Friſingenſis*, *& Nauburgenſis* contra Lutherum & ejus libros publicis programmatibus a.Chr.1522. fulminârunt. Hoc verò Principum exemplum quid, potuerit *Thomas Blaurerus* exemplo Lipſiæ condocefecit. Ita autem ad fratrem *Ambroſium* XV Cal. Mart. 1521. *Moſellanus Lipſiæ eſt. Profitetur Græcas literas ingenioſus homuncio, apud quem nuper Lipſiæ cana-*

cœnabam, una cum Philippo. Fovet & ille partes Lutheri: Rara profectò avis Lipſia, ut quæ urbs magis obtemperat Principi ſuo, quàm Principi Chriſtianorum Chriſto.

3. *Reges.* In *Anglia* Henricus VIII. ipſum Lutherum ſcripto oppugnavit, & primò quidem judicium illius de Indulgentiis convulſit, & Pontificatum defendit: Pòſt, omnem illam diſputationem de Sacramentis Eccleſiæ reprehendit, ſumto ſcribendi argumento ex libro de captivitate Babylonica. *Sleid.* lib. III. pag. 29. Maria verò Angliæ regina ita ſæviit in Orthodoxos ſuppliciis, exiliis &c. ut Pontificiam hac ratione religionem ſtabilituram ſe ſperaret. *Contin. Sleid.* l. 26. pag. 345. 348. Sub eadem Legati & duo Epiſcopi omnes artium & diſciplinarum Magiſtros & Profeſſores ad Pontificiorum ſuſcipiendos ordines adegerunt, ne eorum religio paulatim deficeret, lib. 27. pag. 351. Pro *Gallia* Tridenti locutus eſt Petrus Daneſius, Galliæ Regis Legatus, atque de Galliæ Regum in Eccleſiam Romanam meritis ac pietate multa dixit, inde à Clodoveo Rege ducto initio, Franciſcum Regem ab his Majoribus profectum, nullo genere officii inferiorem illis eſſe docet: qui perpetua quadam amicitia conjunctus fuerit Leo-

ni, Adriano, Clementi, & jam Paulo III. qui in iſta religionis jactatione atque tempeſtate diligenter caverit, ne qua fieret ſuos intra fines mutatio, propterea quòd penès Eccleſiam, totius rei judicium eſſe vellet. Etenim, etſi natura ſit clementiſſimus, tamen graviſſimas pœnas iis denunciâſſe, qui privata quadam temeritate, ſtatum auderent Eccleſiæ convellere: qua quidem diligentia & ſeveritate ſit hoc conſecutus, ut Galliam totam ipſis jam tradat pacatam: Nihil enim in ea novum eſſe, nihil alienum, nihil, quod non ex veteri more ac diſciplina ſit introductum, &c. *Sleid.* l. XVII pag. 210. A. Chr. 1533. Clemens Papa Legatos in *Scotiam* miſit ad Jacobum Regem, qui rogarent, ne Angli exemplo, ab Eccleſia Romana deficeret. Rex Pontifici gratificaturus ordines Edinburgum XVI. Cal. Junii congregari juſſit, ubi frequentiſſimo Senatu ſententiam de religione ſuam hunc in modum dixit: Cùm Majores noſtri (ſubditi mihi longè chariſſimi) primi, aut à primis non ita disjuncti recenſeantur, qui religionem Catholicam amplexati ſint, illámque tam ſanctè, tam piè, tam ſincerè, ſemper coluerint, ut Pontificiæ auctoritatis ſanctitatem, nullo unquam tempore, ne tantillum quidem infre-

infregerint: *Ego profectò cenſeo, ut quoque in tanto Eccleſiæ turbine, ac hæreticorum ubique graſſantium inſidiis illam fidem DEO, Eccleſiæ, Pontifici integram ſervemus. Statuendum etiam eſt, non minorem in religione retinenda, quàm Majores noſtros in conſtituenda laudem adepturos. Cùm contrà, ſi religionis poſſeſſionem à parentibus noſtris nobis relictam, quorundam leviſſimorum vaſanis conſiliis excuti nobis patiamur, eo profectò nos graviori ſcelere, quàm reliqui obſtringemur, quo illorum parentibus noſtri fuerunt in religione conſtituenda priores, ac defendenda acriores.* Annuerunt omnes, communique conſenſione ſanxerunt, ne quid de honoribus, qui Romanæ Eccleſiæ à Majoribus habiti fuerunt, imminuatur; verùm, potiùs fides, obedientia, defenſio acrior Eccleſiæ jam aliquorum inſidiis impetitæ, meritò adhibeantur; *Leslæus* de reb. geſt. Scot. lib. 9. Bzov. a. c. S. 52.

Respublica: In *Helvetia* Cantones VII. ſeriò Tigurinos dehortantur à Reformatione, an. Chr. 1525. *Bull.* Mſc. pag. 178. Succeſſerunt Bernenſes menſe Novembri. Id. pag. 181. Iisdem Tigurinis, Baſileenſibus, Sangallenſibus fœdera jurare cæteri negant, *Id.* p. 113. Diſputationem Bernenſem impedire tentantes, *Id.* pag. 228.

b. Unde Principes in decreto ſuo contra Proteſtantes id maximè urgent, ut reputent ſecum atque ſtatuant, num in iis dogmatis, quæ reliqua ſunt, idem quod Pontifex, quod Cæſar, quod univerſus denique orbis Chriſtianus profiteri velint, *Sleid* l.VII.pag.80. Cumque breve poſtea Apologeticum decreto huic oppoſuiſſent Proteſtantes, retulit per Brandeburgicum Cæſar: Quod adeò confidenter affirment, ſuam doctrinam eſſe piam atque ſinceram, non ſe mirari ſatis poſſe, cùm non ſolùm confutata jam ſit authoritate Scripturæ, verùm etiam ſuperioribus omnibus Conciliis, & ante multam ætatem condemnata; quo magis etiam mirari, quod ſibi reliquíſque Principibus errorem, & falſam religionem attribuant. Etenim ſi vera ſint quæ dicant, jam & ſuos, & reliquorum etiam Principum, & ipſiusmet Saxonis parentes atque Majores, qui religionem illam ſervarint & propagârint, habendos eſſe pro hæreticis: Itaque ſibi perſuaderi non poſſe, nec etiam fateri ſe quod dicant, ipſorum videlicet doctrinam inſiſtere teſtimonio verbi divini; *Ib.*

XVII. Inconſtantiâ nonnulli ſuâ & Apoſtaſiâ *a* curſum Evange-

lii impediviſſe, haud obſcurè obſervamus. Quanquam nonnullos inſtituti poſtea ſui pœnituerit.

In *Germania* Philippus, Marchio Badenſis aliquot annos liberam Evangelii prædicationem in Marchionatu ſuo; non ſolùm tulerat; ſed etiam Paſtoribus demandârat. Qua de re illi Johannes Suebelius publico ſcripto gratulabatur, hortatus eum, ne reſpiceret Ægyptum: Diabolum non feriari. Sed, quod metuit Suebelius, idem a. Ch. 1532. accidit. Marchio enim deſerto Evangelio ad Papatum rediit, Miniſtros verbi ejecit, quorum aliqui venerunt Argentinam. Unde Bucerus ad Suebelium: *Veniunt jam nobis novi exules, viri docti ſatis & pii ex Marchionis ditione. Iterum enim exigit hic Princeps ceremonias Papiſticas. Quidam Cæſaris præſentiam cauſam putant. Ego autem vereor, ut ſtatuerit ſe & ſuos ſenſim omni Evangelio exonerare.* Genebrard. ad a. Chr. 1566. *Comes ab Helfenſtein Vlricus ad Catholicam rediit, abactis è ſua ditione Hæreticis. Sic Gablerus Medicus, qui, Pauli Vergerii* morti præſens, multa vidiſſet mira. An. Chr. 1576. *Matthæum Launeum, & Henricum Penneterin, Miniſtros Calviniſmum ejuraſſe, ac flagitia ejus ſcriptis detexiſſe*, mentitur. Idem an. Ch. 1584. *Tuſanus Giboult, Luna Paſchatis*

Rhotomagi in S. Audoeni, Calvini hæreſin & Miniſterium ejurat præſentibus & audientibus multis hominum millibus, ſicque Eccleſiæ, manibus Cardinalis Borbonii, conciliatur. Triſte cumprimis fuit exemplum *Henrici IV.* Initio quidem *Henricus III.* ſpe ſucceſſionis in regno, ad Apoſtaſiam ſolicitari eum voluit: Is verò reſpondit: *Quod de ſua ſolicitus ſit ſalute, ſe gratias agere, ac ipſum obſecrare, ut pro prudentia ſua & æquitate videat, an dignum juſtumve ſit, ut ab ea religione, in qua educatus ſit, & in qua nullum errorem agnoverit, vel, metu, vel ſpe temerè diſcedat; ſibi primam conſcientiæ ac ſalutis æternæ ſemper ac præcipuam curam fuiſſe, eique omnes honores,* dignitates, regnorúmque acceſſiones poſthabere; *Thuan.* l. 81. Rex poſthæc à ſiccario Monacho interfectus regnum Navarro, præcepta ſalubria Proceribus reliquit. Differentiam in religione ad Conventum ſtatuum regni rejicite, & diſcite meo exemplo, quòd pietas ſive vera religio ſit hominis obligatio coram Deo, in quam brachium ſeculare nihil habet potentiæ. Henricus primò conſtantiſſimum ſe geſſit, quippe proteſtatus palàm: Mallem mihi hunc diem ſupremum illuceſcere, quàm committere ut in fide nutâſſe, aut in religione, quam hactenus profeſſus ſum, antequam

tequam per Concilium legitimum, cujus authoritati me ſubmitto, inſtructus fuero, renunciâſſe dici poſſem. Poſt tamen, anno 1593. ab Epiſcopis inſtrui voluit, atque pro inſtitutione gratias egit, teſtatus, ſe velle in religione Catholica, Apoſtolica Romana vivere & mori; *Id* lib. 107. Cardinalem tamen Borbonium informatorem rejecerat adjiciens per ludibrium: Si res inter ipſos duos diſceptanda eſſet, fore ut ipſe, quanquam Theologicis ſtudiis minimè innutritus, cum illo, licèt Cardinali, commiſſus, ex certamine victoriam reportaret.

XIV. Ut Reformatorum conatus adverſarii impedirent, ſcripta illorum & libros vel *a* combuſſerunt, vel legere *b* prohibuerunt, graviſſimis, *c* quòd fulmina Pontificia ea in re parùm *d* valerent, in delinquentes ſtatutis ſuppliciis.

a. An. Chr. 1520. Lovanienſes & Colonienſes Theologi multos Lutheri libros dignos flammis judicârunt, qui in Germania mandato Cæſaris & Papæ combuſti ſunt; *Genebr.* An. Chr. 1521. die 13. m. Julii libri Lutheri Antverpiæ combuſti, præſente Carolo Auguſto, per Aleandrum &

lectorem. Adſtitit Egmonda & alii. Ferunt, Prætorem Antverpianum ſubridendo, cum Aleander & Egmonda illum alloquerentur, dixiſſe: Conſilium impiorum non adjuves. Plebejus quidam interrogavit, quid opus eſſet accenſa tæda & carnifice, cùm alioquin ignis adeſſet? Reſpondit quidam: Iſtum honorem haberi, quia verba Domini comburerentur. *Paral. Vrſp. pag.* 457. Budenſes in Hungaria Georgium quendam Bibliopolam, una cum libris Evangelicis exuſſerunt; *Sculr.* 1524. *Bulling.* ad Ambroſ. Blaurer, a. Ch. 1557. *Exurit libros Roma Paulus IV. & quidem Eraſmi Roterodami omnes. Nunc & Cyprianus, Hieronymus, Auguſtinus comburuntur, eo quòd Scholiis Eraſmi ſint (ut os feculentum ajt) coinquinati. Carolus Ionvillaus* Gualthero, an. Chr. 1559. Ante quindecim dies librarius quidam, cujus uxor & liberi ſunt hic apud nos, vivus fuit uſtulatus Lutetiæ una cum plurimis libris, quos hinc aſportaverat.

b. A. Chr. 1520. novum incendium ex concione Lutheri de Euchariſtia oritur, in qua ſcripſerat: *Bonum ſibi videri, ſi utraque ſpecies in Cœna communicantibus exhibeatur:* Hunc verò ſermonem Lutheri Euchariſticum Epiſcopus Miſnenſis edita ſchedula ſupprimit,

ſupprimit. *Scult.* Eodem año d. 12. Julii miſſis ad Albertum literis, cordolium ſuum ipſi aperit, Huttenum in ſedem ſanctam contumelias effudiſſe: Eſſe autem illum Archiepiſcopo familiarem: & impreſſos eſſe libros ejus in civitate Alberti Moguntia. Hortatur igitur Albertum, authoritatem ſuam interponat, & ea in maledicos indicia ſuæ ſeveritatis edat, quæ & ipſos & alios poſſint à tanta petulantia cohercere. Albertus igitur emtione & lectione ſcriptorum Hutteni omnibus ſub excommunicationis ſententia interdicit. *Id.* Cùm an. Chr. 1521. lectioni librorum rigidum Cæſaris opponeretur edictum, avidè illud ab imperito clero fuit arreptum: Refert *Iohannes Botzhemus*, Epiſt. ad Blaur. Schlupfium Uberlingenſem tum ſacrificulum occaſione mandati Cæſarei ſummis conatum efficere viribus, ut libri Lutherani, quot quot Uberlingæ eſſent reperti, publicè exurerentur, die 14. Sept. 1521. In *Anglia*, Regis & Cardinalis authoritate cautum fuit, ne N. T. in *Germania* Anglicè impreſſum, inferretur, venum exponeretur, legeretur, vel retineretur; *Bzov.* 1526. S. 31. *Antonius* Lotharingiæ Dux, mandavit ſuis, ut qui libros haberent à Luthero ſcriptos intra certum diem exhiberent.

rent; *iis*, qui non parerent, pœnam conſtituit, *Sleid.* lib. IV. pag. 44.

c. Exemplum in *Caſparo* quodam *Taubero*, ſupplicio Viennæ affecto occurrit, qui ad palinodiam primùm adactus erat, poſtea redactus in cinerem. Formula palinodiæ talis erat: *Cùm igitur ego Caſparus Tauber aliquos libros, à damnato hæretico Martino Luthero editos, contra Imperiale edictum, & contra Clementiſſimum Principis mei D Ferdinandi mandatum retinuerim, atque etiam proprios ipſe tractatus ſcripſerim &c. voveo & promitto me de cætero, quo ad vixero, ejusmodi damnatos libros, ſeu magnos, ſeu parvos nunquam lecturum &c. Si verò iſta transgreſſus fuero, tunc juxta formam juris, ego à ſeculari poteſtate, tanquam convictus hæreticus puniar.* Vidit Caſparus pejus ſervari, quod malè erat promiſſum. Rediit igitur ad lectionem librorum adeò utilium; quam tamen libertatem adeò non tulit impune, ut igni propterea addiceretur. *Bzov. an. Chr.* 1524. *S.* 20.

d. Ita enim *Oſvvaldus Myconius*, Lucernâ ad Zuinglium an. Chr. 1520. *Nunc aliam cantilenam canto, quæ animum omnem perculit, dum his diebus ad me perveniret, non autem eodem modo, quo ſuperior de abitione ab amiciſſimo. Scis & longè præclarius, quam ego,*

ego, quid proximo Helvetiorum Concilio in Baden nebulo ille Romanus, qui apud nos eſt de Lutheranis libris comburendis propoſuerit, imò mandaverit ſub excommunicationis pœna. Primum ſcire volumus tuam de hac re ſententia, an ſit obſequendum nec ne, poſtquam res fuerit in publicum pronunciata? Deinde quid Tigurini tui ſtatuant. Dicam ego nunc breviter, quid mihi videatur: Excommunicationem planè contemnendam quòd res iniquior ſit, quàm ut ullus obſcundet. Clamatur hic per totam civitatem, Lutherum comburendum & Ludimagiſtrum &c.

XV. Corrupti porrò Reformatorum mores multis ſpem progreſſuum minuerunt.

Qua de re ipſe in primordiis Reformationis conqueſtus eſt *Lutherus*. Reverſus enim Wittebergam, etſi à Friderico Principe non revocatus, literis ad eum datis inſtituti ſui reddidit rationem. Ubi ita inter alia: Valde ſe metuere, ac quodammodo prævidere futuram in Germania longè maximam tempeſtatem, quæ præſens hoc beneficium tam ſecurè contemnat; pleroſque magno quidem ſtudio complecti veram doctrinam, ſed vita moribúſque vehementer eam deformare, & quæ

quæ Spiritus eſſe debebat libertas, eam ad ſuas transferre cupiditates, ut quidvis ſibi licere putent. *Sleid.*lib. III. pag. 30. Unde & temerarium Eraſmi effatum, quo nullum ſe noviſſe ex Reformatis edixit, qui non ſe ipſo videatur factus deterior, *Id.* pag. 74. Quanquam ne noſtri quidem diſſimulârint, non ſatis Evangelicè vivere, qui Evangelici cluent. *VVilhelmus VVitackerus*, cùm diſſolutos mores ordinum in Anglia conſiderâſſet, exclamavit aliquando concione ad clerum: *Aut hoc non eſt Evangelium, aut nos non ſumus Evangelici.*

XVI. Concordia etiam hoſtium, in excidium Evangelii & Evangelicorum, expreſſis formulis concepta, extrema reformatis minari poterat.

Ita, e. g. die 14. Januarii 1526. pax inter Cæſarem & Gallum facta fuit, in qua, inter alia commemorabatur, Cæſarem atque Regem eo potiſſimum ſpectare, ut & Chriſtianæ religionis hoſtes, & ſectæ Lutheranæ extirpentur hæreſes. *Sleid.* l. IV. pag 61. Eodem ſcopo in Helvetia an. Ch. 1586. die Franciſci inter Cantones Helvetios *fœdus*, quod vocant *aureum*, fuit initum.

XVII. Te-

XVII. Tepor inſuper religionis variè *a* ſe prodidit, non ſine optimæ cauſæ detrimento.

a. Mediam enim paulatim admiſerunt multi vel quæſiverunt religionem. Nota eſt formula *Interimiſtica*, de qua prolixè *Sleid.* lib. XX. pag. 258. &c. Agebat & *Eraſmus* de Concordia Evangelicorum & Pontificiorum libello, in Pſalm. 84. ubi non diſſimulat, multa ſe deſiderare, tam in Lutheranis, quàm Pontificiis. Theologi Argentinenſes in Germanicam tranſtulerunt linguam, non ſine bonorum dolore, quem expectoravit *Muſculus* ad Bucerum, Epiſtola familiari, apud *Scult.* an. Ch. 1533. pag. 413. Rudolfum etiam Moshan, Decanum Patavienſem utramque combinare voluiſſe religionem, ex Oſiandro refert *Geneb.* ad an. Chr. 1552.

XVIII. Perfidia, & fraudes compenſare debebant, quod aperta vis efficere non poterat.

Unde *Chriſtophorus Faber*, Johanni Hallero, Lugduno Bernam: *Nusquam nobis magis timendum & vigilandum fuit, quam nunc: Hactenus enim aperto Marte infeliciſſimè pugnârunt, infelicius ſucceſſerunt eorum conſpirationes, cruentiſſimique conatus, & quod ſic effi-*

cere

cere non valuerunt. pacis prætextu, Scariotico (mira quidem vafricie) involvitur oſculo, an. Chr. 1563. Quid in Anglia, poſtquam Petrus Martyr & alii ſpe vana diſputationis diu ſatis eſſent lactati, contigerit, recitat *Sleid.* lib. XXV. pag. 331. De reliquis vide ſupra.

XIX. Synodorum ſive Conciliorum ſplendor adeò multorum præſtrinxit oculos, ut Tridentina ſæpe decreta invito ſummo Magiſtratu fuerint obtruſa.

Sit exemplo Eccleſia Gallicana, de qua luculentiſſimum extat *Laurentii Bochelli*, hominis Pontificii judicium, *Præfat. ad Decret. Eccleſ. Gallic.* quod quia nuper demum *Diſput. Apolog.* in Hoſ. c. 14. verſ. 9. S. 17. inſeruimus, repetere hoc loco nihil attinet.

XX. Eccleſiæ uſurpata authoritas doctiſſimorum in reformando operam tardavit.

Edidit an. Chr. 1525. *Oecolampadius* libellum de Cœna Domini, quem & Suevis dedicavit, quòd præcipui inter illos, inſtitutione ejus in Academia Heidelbergenſi fuerint uſi. Sed cùm, à Magiſtratu Baſileenſi judicium dare *Eraſmus* juberetur, hiſce

hiſce verbis vir, cætera magnus, reſpondit: *S. P. Magnifici Domini, Celſitudinis veſtræ hortatu perlegi librum Iohannis Oecolampadii de verbis Cœnæ Domini, mea ſententiâ doctum, diſertum, & elaboratum, adderem etiam pium, ſi quid pium eſſe poſſet quod pugnat cum ſententia, conſensúque Eccleſiæ, à qua diſſentire periculoſum eſſe judico.* Sed & *Pellicanus* noſter ſæpe teſtatus eſt, antequam Zuinglius & Lutherus docere cæpiſſent, ſe legiſſe ac obſervâſſe perſpicuam ejus controverſiæ, quæ nunc ſit, explicationem, quòd videlicet Sacramenta ſint ſigna, quæ accipiant nomen rerum ſignatarum: atque ita panem eſſe & nominari corpus Chriſti, nempe in Sacramento: Colloquutum etiam eſſe ea de re cum doctiſſimo viro, D. Wolfgango Capitone; ſed tamen ita falſo titulo authoritatis Eccleſiæ occæcatum, ut non auderet tum temporis de his rebus cogitare. *Hoſp.* Hiſt. Sac. P. II, p. 42.

XXI. Majorum denique, quàm Apoſtolorum exemplum ſequi plures maluerunt.

Hoc maximè ariete pugnabant illi Helvetiæ Cantones, qui Illuſtr. Bernenſium Rempublicam ab inſtituta diſputatione volebant dehortari. Commonefecerunt eos

eos initi fœderis atque pacti; repetierunt quoque Diſputationem Badenſem, cujus ipſi fuerint inprimis & authores ac laudatores: Neque licere ulli populo, dicebant, aut provinciæ formam religionis atque doctrinæ mutare: ſed hoc ad totius orbis pertinere Concilium: Orârunt, ne tantum in ſe facinus ſuſciperent, nec à paucis aliquot externis, in errorem abduci ſe paterentur, ſed in ea religione permanerent, quam ipſi, quam ipſorum parentes atque Majores obſervârint, in qua tantam nominis gloriam adepti eſſent &c. *Hoſp.* ad an.Chr.1528.Hiſt.Sac.P.II.

CAPUT III.

De

Tribus Reformationis impedimentis primariis in ſpecie.

Nempe 1. variis hæreſibus. 2. Schiſmate Sacramentario, & 3. Concilio Tridentino.

I. Quemadmodum ſuâ ſemper aſtutiâ effecit Diabolus, ut, ubicunque DEUS erexit Eccleſiam, Sacella & fana ille ſua ſtrueret profana; ita

ita dolendum maximè fuit, maleferiatorum inſaniâ hominum omnia religionis Chriſtianæ capita vel convulſa *a* planè fuiſſe, vel periculoſiſſimè labefactata.

a. Ad quam Claſſem pertinent pernicioſiſſimi Sociniani, qui, ſub ſpecioſo Chriſtianiſmi nomine, Chriſtum & Chriſtianiſmum de ponte præcipitare, conantur: De hac hæreſeos peſtilentiſſimæ lerna ex profeſſo jàm non agemus. Id tamen monere operæ pretium erit, adeò abſurdorum dogmatum ſentinam eſſe Socinianiſmum, ut ipſos ejus primos puduerit authores. Sunt eam in rem ad manus monumenta nonnulla authentica tum magni Theologi cujuſdam, tum ipſius *Lælii Socini* ſcripta, ex quibus manifeſtum eſt 1. Lælium Socinum veluti veteratorem diu, quod tandem peperit, parturiiſſe. 2. Monitum, Socinum ſe ab intentata Heterodoxia ita purgâſſe, ut ſuſpicionum tamen reliquerit aculeos. 3. Extrahendum proinde ex latebra, clarius & diſtinctius loqui & ſcribere juſſum fuiſſe. Illud manifeſtum eſt ex ſequenti Epiſtola.

S. P. Scio equidem apud te, Frater, & apud alios nonnullos, Lælium Socinum Senenſem, quandiu in noſtra Schola dili-

gens fuit auditor, ſuſpicione gravi laborare, quaſi Arrio, vel Serveto, aut Anabaptiſtis favens adorandam Dei Trinitatem non agnoſcat, nequeſincerè fateatur, Chriſtum Dominum juxta divinitatem patri eſſe coæqualem, juxta humanitatem verò nobis conſubſtantialem. Nam ea de cauſa me hortabaris, ut pro officio meo gregi Dominico mihi invigilarem, ne per illum peſtifero aliquo afflaretur veneno. Ego verò cùm Lælio diu uſus ſim per quàm familiariter, nec tamen hujus vel tantillum ex ejus ſermonibus intellexerim, admiratus ſum illa tua legens, ne tamen fratris admonitionem, pro qua me tibi gratias debere fateor, contemnere viderer; & rurſus ne Lælium non auditum & ipſe gravi ſuſpicione premere inciperem, voco hominem. Is verò, quâ præditus erat humanitate, libenter & protinus adeſt. Recito illi, præterito tamen tuo & aliorũ quorundam nomine, quid mihi de ipſo nõnulli fratres ſignificent, adhortans, ut liberè & clarè ſuam apud me de his fidem profiteatur.

Quid multis? quæritur Lælius, *indigniſſimè ſecum agi & quorundam ſe indigniſſimis* premi odiis quos, ipſe mallet liberè & palàm, cur ita de ipſo ſentiant, proferre, quàm ita de ipſo ſuſpicari, & per pravas illas

illas ſuſpiciones ingerere. Ego, inquit, ignoro, ſi quid unquam dixerim, cujus gratia haberi debeam pro Servetano aut Anabaptiſta, niſi id fortè ſit, quòd Genevæ agens, dixi, mihi non placere, quod Servetus derepente ſit extinctus. Cæterum id non dixi, quòd nolim prorſus coërceri hæreticos, & homines blaſphemos, aut quòd doctrinæ Servetanæ faveam, quam velim extinctam: ſed potiùs cùm improbem pravam illius doctrinam, hac ipſum liberari, quàm in ipſo concremari maluiſſem. Alioqui de Trinitate, & Unitate Dei æterni, de Chriſto Jeſu Domini noſtri divinitate & humanitate, denique de myſterio redemptionis noſtræ, de ſalute animarum, earundémque immortalitate, corporum item noſtrorum reſurrectione glorioſa, & vita æterna, per omnem modum ita credo, ſentio, & profiteor ſicut docet Scriptura Canonica, compendioque comprehenſum eſt in Symbolo Apoſtolico.

Ego verò adjiciebam: Conſentis ergo cū Symbolo Niceno & Conſtantinopolitano? Abhorres ab autem omnibus hæreſibus Praxeæ vel Sabellii, Arii, vel Serveti, Macedonii, Neſtorii, Eutychis & Anabaptiſtarū? Excipiebat ille: conſentio doctrinæ, quæ ſemper in Catholica Eccleſia Orthodoxa

 fuit

fuit & hodie ſimpliciter & concorditer docetur in Eccleſia Tigurina. Ideo n. communico vobiſcum in myſtica Chriſti Domini cœna: ideò, vobiſcum habito: nuſquam diverticula quæro, aut ullos in ullis erroribus inſtituo: ſed quietè vivo. Ac cupio mihi jam diſertè indicari, quid me oporteat præterea facere: ſi videlicet hæc non ſatisfaciunt? Ego verò reſpondebam: Si toto corde ita credis, Læli, nihil eſt quod à te requiram amplius, Dominum oro, ut te in hac fide confirmet. Unum tamen à te poſtulo, frater, ut, poſtquam hæc quæ nunc inter nos peracta ſunt, in chartam conſignavero, (conſignabo enim) tu non graveris tuam addere manum. Non quòd non bene de te ſentiam, aut tibi non plenè fidam: ſed quòd propter alios hoc teſtimonii habere cupiam, apud quos deinde audentius omnia teſtari poſſim & pacem atque reconciliationem quærere. Annuit verò Lælius, & huic ſuæ ſententiæ ſuam mihi manum adjecit.

Hæc, cum te cumprimis ſcire oporteat, paucis exponere volui, ut & tu melius ſentias de Lælio, & aliis eum, ſi neceſſe ſit, de meliore nota commendes. Eſt ſanè illi curioſum ingenium & multiplicibus implicitum quæſtionibus. Eas cum aliquoties

pro-

propoſuit, diſcendi & experiundi causâ, viſus eſt, nondum aſſuetis ejus ingenio, peſtiferas fovere opiniones, quin & illas ſerere & propagare velle. Eadem tamen ille præditus eſt modeſtia, ut cùm ex me aliisquè, quos amat ſincerè, intelligit, ex talibus quæſtionibus vel diſputationibus, tales contra ipſum exoriri in multorum animis ſuſpiciones, adde & offenſiones, inde & ſibi ab eis eſſe abſtinendum. Id quod & facturum ſe promiſit.

Proinde hortor te, colende mi Domine & frater chariſſime, ut Lælium noſtrum apud te non tantùm à prava ſuſpicione purgatum habeas, ſed & apud alios, malè de ejus fide ſuſpicantes, fraterne excuſes. Fratres enim ſumus, qui mutuam invicem charitatem debemus. Suſpicationes a. numerat Apoſtolus Paulus inter opera carnis. Pacem & charitatem unicè commendavit nobis Dominus & Salvator noſter. Tu hoc æternùm vale: & ora pro nobis ſemper Dominum. *Ad hæc ſcribebat in chartam quadam Lælius, quæ ita habent:*

Ego Lælius Socinus, à pueris unum Symbolum didici, & nunc ſcio & agnoſco, quod Apoſtolorum dicitur, eſſe antiquiſſimum, omnibus temporibus in Eccleſia receptum, tametſi variè ſcriptũ. Sed nuper legi etiam

 alia,

alia, & honorem tribuo, quem poſſum, & debeo Symbolis vetuſtiſſimis Niceno & Conſtantinopolitano. Præterea quod ignari homines pertinaciter inficiantur, ego Trinitatis, Perſonarum, ὑποςάσεως, conſubſtantialitatis, unionis, diſtinctionis, & alias ſimiles voces agnoſco non recens excogitatas, ſed à mille 300 annis, inde uſque à temporibus Juſtini Martyris, in toto ferè Chriſtiano orbe fuiſſe uſitatas, & quidem maximis graviſſimisque de cauſis. Veruntamen liberè dicam, quod ſentio ego, modis omnibus probarem, ſi adhuc verbis Chriſti, Apoſtolorum & Evangeliſtarum Chriſtiana, Apoſtolica & Evangelica fides nobis explicaretur, nec ideò illa vocabula nego Patribus neceſſaria fuiſſe ad ea ſplendidiùs efferenda, quæ jam Catholicè nobis traduntur, ac ſanè tanta cum veneratione ab Eccleſiis recipiuntur, multò minùs indubium verto Chriſtianæ religionis fundamenta, quæ ſingulis Orthodoxis certiſſima debent eſſe, ac utinam mihi reddantur certiora, quia non contendo, Patrem eſſe eundem qui Filius, & S. Sp. Non imaginor tres Jehova, Deos noſtros coeſſentiales, non diſcindo in Chriſtos duos, unam Chriſti perſonam, vel naturarum confuſionem ullam admitto, ſed in-

gen-

geniorum laſciviam & petulantiam valde metuo, proinde caveo ſemper ab hujus modi lethiferis paradoxis, nec non & Catabaptiſtarum errores omnes fugio, Serveti dogmata, Arianiſmum totum execror horreóque. Reliquorum verò, quos tu aſcripſiſti, Hæreticorum phantaſias prorſus ignoro, nec expeto novum Doctrinæ genus, ſed ea tantùm, quæ ſunt ad æternam ſalutem neceſſaria, ſummoque Theologorum omnium conſenſu docentur, ego vera eſſe indíes magis oſtendi cupio & mihi firmiùs perſuaderi, ut amore poſſim Deo meo vehementiùs ad hærere, & lites verborum, concertationes opinionum, ſpinoſas quæſtiones, Labirinthos inextricabiles deſerendo acquieſcere in ipſa veritate Dei ſimpliciſſima. Quoniam fateor ingenuè, me curioſiorem fuiſſe quàm potuerint ferre nimis Zelotypi quidam Pythagorici, ſed erga me tanta nunc extitit Patris cœleſtis benignitas, ut planè confidam me poſthac longè dexterius verſaturum eſſe in congreſſibus hominum ſanctiſſimis. Ego n. phantaſticorum ſpeculationibus omiſſis ineptis, argutiis fallacibus ratiunculis Sophiſtarum jam valedictis, quod maximum, quod excellentiſſimum Dei beneficium è terræ pulveribus me omnino exci-

tandum ſpero: Nam qui mihi fidem habebit, dixit ille, qui nunquam mentitur, etiamſi mortuus fuerit, reviviſcet, hoc autem promiſſo quid nobis contingere poſſet feliciùs? Gentes profanæ ſunt, quæ ſpem non habent, & his ſermonibus non conſolantur. Quapropter ago tibi gratias, Pater cœli terræque Domine, quòd in ſempiternam vitam mea conſervetur anima, & ipſam corpore interfecto nulla vis humana interficere queat, ſed amplius te ſupplex oro, ut ſi qua in animo meo ſuſpicio vel nimia ſurrexerit tanquam illa de re ſit, quæ ſit naturæ diſſentanea, & omnium noſtrûm excedat intellectum, velis eam continuo eximere, & in clariſſima luce poſitum me beatum facere per Jeſum Chriſtum unigenam tuum, qui à te legatus unicus fuit, ut ab exitio præter omne meritum conſervet, & reparet ei fidentes. Ita tamen ut nihil non reſpondeat vaticinio Ezech.34. Quocirca eſt omnipotens Deus, Judex, Liberator Dominus & Rex noſter æternus, ad cujus nomen omne ſe genu flectat cœleſtium & terreſtrium & ſubterraneorum, qua ſibi ſubjicere poteſt omnia. Itaque ex animo communico vobiſcum, N. N. mei clariſſimi, nihil enim quod attinet ad ea, quæ Sacri

Sacri & divini ſpiritus egent teſtimonio, ſuaſum hactenus habui, quod vos hîc omnes pariter habendum eſſe non doceatis, & quod plus eſt; ego vobiſcum non dubito, monſtrificam horribilémque patefacere illam belluam, quæ tandem comprehendetur unâ cum falſo vate, qui in ejus conſpectu facit oſtenta, quibus decipit eos, qui Beſtiæ notam accipiunt: quique ejus venerantur imaginem. Duo illi vivi conjicientur in ſtagnum ignis ardens ſulphure. Reliqui gladio necabuntur, ſedentis in equo, qui gladius ex ejus ore procedit eorúmque carnibus ſatiabuntur omnes alites: hic cernitur infeliciſſimus exitus ipſorum, & gladius acutiſſimus, quo profligandi ſunt omnes Agno rebelles. Cur igitur nos alio quàm Chriſtiano & Apoſtolico jure atque ferro animadverteremus in eos, qui ſolum propria Chriſti & Apoſtolorum jura, ac enunciata violant? Quod autem reſtat, mi Domine N. N. ſatis intelligo opus eſſe quadam ſingulari moderatione, ut omnia ad utilitatem fiant, quin & reddendam nobis eſſe cujuſcunque mali verbi rationem in die judicii. At multa delinquimus omnes, ſiquis in verbis non delinquit, is perfectus homo eſt. Deus ergo omnis veræ ſapientiæ lar-

gitor meam quoque linguam regat atque gubernet, ita ut ex eodem ore laudatio, & execratio non prodeat. Sed interim nunquam ſinam me hac ſanƈta libertate privari à majoribus quærendi & diſputandi modeſtè ac reverenter ad amplificandam rerum divinarum agnitionem, quandoquidem Scripturæ loci ſunt non pauci, quibus interpretandis ac evolvendis, ut minime ſatisfaciant Doƈtores & perpetua obſervantia colendi, ita ego non adeò ſum infans, ut ipſa quoque mea infantia me lateat, & quanta mihi deſunt non ſciam. Tu igitur aſſiduè mecum orabis Deum omnis favoris, ut in Lælio tuo rem bonam, quam inchoavit, abſolvat, ne ſit amplius puer, qui omni vento fluƈtuet, ac circumferatur, ſed verum tenendo cum charitate perficiat omnino, quæ ſunt à tergo obliviſcens, & ad anteriora ſe intendens ad ſcopum, contendat ad palmam, ad quam ſupernè vocatus eſt divinitus per Chriſtum Jeſum. Utinam illuc ſpeƈtent omnia mea vota, ſi qua ad mortuorum reſurreƈtionem perveniam, ut in nubibus raptus obviam Domino in aërem cum eo laudibus æternis Deum patrémque noſtrum celebrando ſemper vivam. Dabam 15. Julii 1555.

1555. Idem Lælius manu propria. Cui Epiſtolæ N. N. ita reſpondit:

Legi tuas, dilecte mi Læli, paulò diligentiùs, cùm licuit per otium: nec ægrè geres, ſi poſtulavero quædam à te exponi planius: Sumus enim fratres, & filii lucis. Agnoſcis voces Trinitatis, Unitatis, conſubſtantialitatis, unionis & Diſtinctionis uſurpata eſſe annis mille trecentis, ſed addis, magis te probaturum, ſi verbis adhuc Chriſti Apoſtolorum fides mea explicaretur. Ex quibus quidem verbis quis poterat colligere, voces iſtas te non agnoſcere pro Evangelicis & Apoſtolicis; l. Certè ſi de verbis ipſis, ut Latinè ſonant, loquaris, fateor & ego, illa non inveniri in libris Apoſtolorum. Nam hi ſcripſerunt Græcè: voces verò illæ ſunt Latinæ. Sed ſi de re loquaris, quæ verbis illis Latinis exprimitur, absque omni controverſia eſt, eam utique tradi, & diſertè quidem in libris Apoſtolorum. At id te prorſus agnoſcere, ſat ſcio. Ego olim contra Cochlæum demonſtravi, ipſas res Scripturis diſertè doceri, & æquipollentes in iis inveniri. Cùm ergo convenit viris bonis de re aliqua, ſanè de vocibus quales illæ ſint, nihil altercantur. Satis potuiſſet nobis eſſe Symbolum Apoſtolorum vel hodie: neque

que opus fuiſſet vel Niceno, vel Conſtantinopolitano veteribus, niſi fuiſſent parum candidi homines, præterea & lubrici, qui rem parum ſincerè traderent & docerent, videri tamen volebant rectè ſentire, ideoque calliðiſſimè docendo tergiverſabantur: oportuit ergo rectis & maximè ſignificantibus vocibus tergiverſatorum excludi improbitatem. Hujusmodi conſtat eſſe Trinitatis vocabulum (inter Latinos ab Apoſtolorum tempore uſurpatum) contra Praxeam, Sabellium, & omnes Patripaſſianos receptum. Nam contendebant, eundem eſſe Patrem, qui Filius eſt, eundem & Spiritum S. Patrem itaque incarnatum, & crucifixum, & miſſum in Apoſtolos. Hujusmodi eſt & Unitatis vocabulum, propter eos uſurpari cæptum, qui propter perſonarum Diſtantiam, & proprietatem manentem, imaginabantur tres Deos. His evenit, quod dici ſolet: Incidit inſcyllam, cupiens vitare charybdin: Dum vitant ſtulti vitia, in contraria currunt.

Hujusmodi eſt & conſubſtantialitatis vox, contra Arium recepta. Is enim fatebatur, Jeſum Chriſtum Dei eſſe filium, ſed intelligebat Patre nihilominus eſſe minorem & eſſentiâ inæqualem, & eſſe tempus quan-

quando non erat. Hujuſmodi item eſt vocabulum Unionis, propter Neſtorium Eccleſiis commendatum, nam propter proprietatem naturarũ in Chriſto manentem divellebat perſonæ unitatem, unum extremum diſcindens in duo. Hujuſmodi denique eſt & vocabulum Diſtinctionis, vel proprietatis naturarum, inventum ad Timotheanos, & Eutychianos excludendos. Nam ita inter ſe commiſcebant Chriſti naturas divinam & humanam, ut hanc in illam converſam, atque ita neutram quaſi retinerent, & Chriſtum demum amitterent. Quoniam verò illa te ignorare, & in hiſce rebus Eccleſiaſticis te hactenus non verſatum, & exercitatum eſſe, fateris ingenuè, dedi tibi, chare Læli, libellum, ex quo ita omnia plenius & tamen in compendio diſcas: quæ ſanè uſum & fructum ſuum habere opinor non aſpernandum. Jam verò ſi agnoſcis, veteres illis uſos eſſe vocabulis ſanctè & Orthodoxè juſtiſque de cauſis, omittenda videntur mihi eſſe à te verba illa tua, *ego modis omnibus probarem*, & reliqua; quibus metuis laſciviam & petulantiam ingeniorum. Id nomen ſic poſitum videtur, ut referri poſſit ad eorum ſanctorum ingenia, quæ voces illas uſurpârunt: Ergo quod

mox

mox ſequitur, *proinde caveo ab illis ſemper*, ſic illuſtrandum fuerit, ne anceps vel ambiguum ſit, quos caveas, ſed appareat, te tibi ipſi potius cavere ab Hæreticis illis, non à Catholicis. Quod quidem, ut te ſentire puto prorſus, ita cupio exprimas verbis etiam claris, & ſenſu expedito.

Circumſpectius & illud videtur ponendum, *quod à Deo cupis ſervari per hominem Ieſum Chriſtum, Filium ejus unigenitum; qui à Deo habeat naturam, ſapientiam & potentiam univerſam*: Scis enim in Chriſto conſiderandam eſſe utramque naturam, divinam & humanam, juxta illam Patri eſſe conſubſtantialem. Ergo juxta divinam naturam Patri eſt per omnia coæqualis; juxta humanam minor eſt Patre, & legitur accepiſſe potentiam & reliquas, ſed non naturam. Fateor ipſum Dominum dixiſſe: Sicut pater habeat vitam in ſemet ipſo, ſic dedit Filio. Vide autem quàm probè contextum ſervârit Cyrillus, rectéque dixerit: Qua propter cauſam, quare hæc ſibi à Patre data dixerit ilicò, ſubjecit, dicens: Quia filius hominis eſt: ut intelligamus, omnia ſibi data fuiſſe, ut filio hominis; qui cum creatura ſit, nihil habet à ſe ipſo: Unigenitus verò Filius, non vitæ particeps, ſed vita naturaliter, ut Pater, eſt. Congruunt

cum hac expoſitione etiam plures alii loci, Evangelici, ut cum legimus: Verbum eſſe Deum, eſſe vitam, eſſe lucem, eſſe æquale Deo: & quod ipſe Deus dixit: Amen dico vobis, antequam Abraham eſſet, ego fui: Ego & Pater unum ſumus: Creditis in Deum, & in me credite. Credite mihi quod ego in Patre ſum, & Pater in me: & nunc glorifica tu me Pater, apud temetipſum gloria, quam habui priusquam eſſet hic mundus apud te. Quò imprimis facit locus Apoſtoli Phil. 2. & Heb. 1. & alii. Sed ſcio iſta apud te non verti in dubium; in hunc duntaxat finem ea confero, ut intelligas, quod ego exiſtimem, tua illa circumſpectius eſſe collocanda. Et certè poteras expeditius (boni conſulas oro, quod etiam verba tibi ſuppedito: Nam te amo, & ſcio te lucem amare) ſic loqui aut ſcribere, per Jeſum Chriſtum, Filium tuum unigenitum, mediatorem noſtrum unicum, & ideo verum Deum & hominem, in quo tu mihi &c.

Porrò ſentio etiam ego ſpirituali gladio abſcindendos eſſe homines Hæreticos, cumprimis eos, qui blaſphemias expuunt contra Majeſtatem divinam, modiſque omnibus fugiendos. Cæterum ſi abundè admoniti, & errorum convicti modum nullum

gens fuit auditor, ſuſpicione gravi laborare, quaſi Arrio, vel Serveto, aut Anabaptiſtis favens adorandam Dei Trinitatem non agnoſcat, neque ſincere fateatur, Chriſtum Dominum juxta divinitatem patri eſſe coæqualem, juxta humanitatem verò nobis conſubſtantialem. Nam ea de cauſa me hortabaris, ut pro officio meo gregi Dominico mihi invigilarem, ne per illum peſtifero aliquo afflaretur veneno. Ego verò cùm Lælio diu uſus ſim perquàm familiariter, nec tamen hujus vel tantillum ex ejus ſermonibus intellexerim, admiratus ſum illa tua legens, ne tamen fratris admonitionem, pro qua me tibi gratias debere fateor, contemnere viderer; & rurſus ne Lælium non auditum & ipſe gravi ſuſpicione premere inciperem, voco hominem. Is verò, quâ præditus erat humanitate, libenter & protinus adeſt. Recito illi, præterito tamen tuo & aliorũ quorundam nomine, quid mihi de ipſo nonnulli fratres ſignificent, adhortans, ut liberè & clarè ſuam apud me de his fidem profiteatur.

Quid multis? quæritur Lælius, *indigniſſimè ſecum agi & quorundam ſe indigniſſimis* premi odiis quos, ipſe mallet liberè & palàm, cur ita de ipſo ſentiant, proferre, quàm ita de ipſo ſuſpicari, & per pravas illas

illas ſuſpiciones ingerere. Ego, inquit, ignoro, ſi quid unquam dixerim, cujus gratia haberi debeam pro Servetano aut Anabaptiſta, niſi id fortè ſit, quòd Genevæ agens, dixi, mihi non placere, quod Servetus derepente ſit extinctus. Cæterum id non dixi, quòd nolim prorſus coërceri hæreticos, & homines blaſphemos, aut quòd doctrinæ Servetanæ faveam, quam velim extinctam: ſed potiùs cùm improbem pravam illius doctrinam, hac ipſum liberari, quàm in ipſo concremari maluiſſem. Alioqui de Trinitate, & Unitate Dei æterni, de Chriſto Jeſu Domini noſtri divinitate & humanitate, denique de myſterio redemptionis noſtræ, de ſalute animarum, earundémque immortalitate, corporum item noſtrorum reſurrectione glorioſa, & vita æterna, per omnem modum ita credo, ſentio, & profiteor ſicut docet Scriptura Canonica, compendioque comprehenſum eſt Symbolo Apoſtolico.

Ego verò adjiciebam: Conſentis ergo Symbolo Niceno & Conſtantinopolitano? Abhorres ab autem omnibus hæreſibus Praxeæ vel Sabellii, Arii, vel Serveti, Macedonii, Neſtorii, Eutychis & Anabaptiſtarũ? Excipiebat ille: conſentio doctrinæ, quæ ſemper in Catholica Eccleſia Orthodoxa

fuit & hodie ſimpliciter & concorditer docetur in Eccleſia Tigurina. Ideo n. communico vobiſcum in myſtica Chriſti Domini cœna: ideò, vobiſcum habito: nunquam diverticula quæro, aut ullos in ullis erroribus inſtituo: ſed quietè vivo. Ac cupio mihi jam diſertè indicari, quid me oporteat præterea facere: ſi videlicet hæc non ſatisfaciunt? Ego verò reſpondebam: Si toto corde ita credis, Læli, nihil eſt quod à te requiram amplius, Dominum oro, ut te in hac fide confirmet. Unum tamen à te poſtulo, frater, ut, poſtquam hæc quæ nunc inter nos peracta ſunt, in chartam conſignavero, (conſignabo enim) tu non graveris tuam addere manum. Non quod non bene de te ſentiam, aut tibi non plenè fidam: ſed quòd propter alios hoc teſtimonii habere cupiam, apud quos deinde audentiùs omnia teſtari poſſim & pacem atque reconciliationem quærere. Annuit verò Lælius, & huic ſuæ ſententiæ ſuam mihi manum adjecit.

Hæc, cùm te cumprimis ſcire oporteat, paucis exponere volui, ut & tu melius ſentias de Lælio, & aliis eum, ſi neceſſe ſit, de meliore nota commendes. Eſt ſanè illi curioſum ingenium & multiplicibus implicitum quæſtionibus. Eas cum aliquoties pro-

propoſuit, diſcendi & experiundi causâ, viſus eſt, nondum aſſuetis ejus ingenio, peſtiferas ſovere opiniones, quin & illas ſerere & propagare velle. Eadem tamen ille præditus eſt modeſtia, ut cùm ex me aliiſquè, quos amat ſincerè, intelligit, ex talibus quæſtionibus vel diſputationibus, tales contra ipſum exoriri in multorum animis ſuſpiciones, adde & offenſiones, inde & ſibi ab eis eſſe abſtinendum. Id quod & facturum ſe promiſit.

Proinde hortor te, colende mi Domine & frater chariſſime, ut Lælium noſtrum apud te non tantùm à prava ſuſpicione purgatum habeas, ſed & apud alios, malè de ejus fide ſuſpicantes, fraterne excuſes. Fratres enim ſumus, qui mutuam invicem charitatem debemus. Suſpicationes a. numerat Apoſtolus Paulus inter opera carnis. Pacem & charitatem unicè commendàvit nobis Dominus & Salvator noſter. Tu hoc æternùm vale: & ora pro nobis ſemper. Dominum. *Ad hæc ſcribebat in chartam quadam Lælius, quæ ita habent:*

Ego Lælius Socinus, à pueris unum Symbolum didici, & nunc ſcio & agnoſco, quod Apoſtolorum dicitur, eſſe antiquiſſimum, omnibus temporibus in Eccleſia receptum, tametſi variè ſcriptū. Sed nuper legi etiam

 alia,

alia, & honorem tribuo, quem poſſum, & debeo Symbolis vetuſtiſſimis Niceno & Conſtantinopolitano. Præterea quod ignari homines pertinaciter inficiantur, ego Trinitatis, Perſonarum, ὑποστάσεως, conſubſtantialitatis, unionis, diſtinctionis, & alias ſimiles voces agnoſco non recens excogitatas, ſed à mille 300 annis, inde uſque à temporibus Juſtini Martyris, in toto ferè Chriſtiano orbe fuiſſe uſitatas, & quidem maximis graviſſimisque de cauſis. Veruntamen liberè dicam, quod ſentio ego, modis omnibus probarem, ſi adhuc verbis Chriſti, Apoſtolorum & Evangeliſtarum Chriſtiana, Apoſtolica & Evangelica fides nobis explicaretur, nec ideò illa vocabula nego Patribus neceſſaria fuiſſe ad ea ſplendidiùs efferenda, quæ jam Catholicè nobis traduntur, ac ſanè tanta cum veneratione ab Eccleſiis recipiuntur, multò minùs indubium verto Chriſtianæ religionis fundamenta, quæ ſingulis Orthodoxis certiſſima debent eſſe, at utinam mihi reddantur certiora, quia non contendo, Patrem eſſe eundem qui Filius & S. Sp. Non imaginor tres Jehovas, Deos noſtros coeſſentiales, non diſcindo in Chriſtos duos, unam Chriſti perſonam, voluntatarum confuſionem ullam admitto, ſed hu-

genis

geniorum laſciviam & petulantiam valde metuo, proinde caveo ſemper ab hujus modi lethiferis paradoxis, nec non & Catabaptiſtarum errores omnes fugio, Serveti dogmata, Arianiſmum totum execror horreóque. Reliquorum verò, quos tu aſcripſiſti, Hæreticorum phantaſias prorſus ignoro, nec expeto novum Doctrinæ genus, ſed ea tantùm, quæ ſunt ad æternam ſalutem neceſſaria, ſummoque Theologorum omnium conſenſu docentur, ego vera eſſe indies magis oſtendi cupio & mihi firmiùs perſuaderi, ut amore poſſim Deo meo vehementiùs ad hærere, & lites verborum, concertationes opinionum, ſpinoſas quæſtiones, Labirinthos inextricabiles deſerendo acquieſcere in ipſa veritate Dei ſimpliciſſima. Quoniam fateor ingenuè, me curioſiorem fuiſſe quàm potuerint ferre nimis Zelotypi quidam Pythagorici, ſed erga me tanta nunc extitit Patris cœleſtis benignitas, ut planè confidam me poſthac longè dexterius verſaturum eſſe in congreſſibus hominum ſanctiſſimis. Ego n. phantaſticorum ſpeculationibus omiſſis ineptis, argutiis fallacibus ratiunculis Sophiſtarum jam valedictis, quod maximum, quod excellentiſſimum Dei beneficium è terræ pulveribus me omnino exci-

Sacri & divini ſpiritus egent teſtimonio, ſuaſum hactenus habui, quod vos hîc omnes pariter habendum eſſe non doceatis, & quod plus eſt; ego vobiſcum non dubito, monſtrificam horribilémque patefacere illam belluam, quæ tandem comprehendetur unâ cum falſo vate, qui in ejus conſpectu facit oſtenta, quibus decipit eos, qui Beſtiæ notam accipiunt: quique ejus venerantur imaginem. Duo illi vivi conjicientur in ſtagnum ignis ardens ſulphure. Reliqui gladio necabuntur, ſedentis in equo, qui gladius ex ejus ore procedit eorúmque carnibus ſatiabuntur omnes alites: hic cernitur infeliciſſimus exitus ipſorum, & gladius acutiſſimus, quo profligandi ſunt omnes Agno rebelles. Cur igitur nos alio quàm Chriſtiano & Apoſtolico jure atque ferro animadverteremus in eos, qui ſolum propria Chriſti & Apoſtolorum jura, ac enunciata violant? Quod autem reſtat, mi Domine N. N. ſatis intelligo opus eſſe quadam ſingulari moderatione, ut omnia ad utilitatem fiant, quin & reddendam nobis eſſe cujuſcunque mali verbi rationem in die judicii. At multa delinquimus omnes, ſiquis in verbis non delinquit, is perfectus homo eſt. Deus ergo omnis veræ ſapientiæ lar-

 gitor

gitor meam quoque linguam regat atque gubernet, ita ut ex eodem ore laudatio, & execratio non prodeat. Sed interim nunquam ſinam me hac ſanċta libertate privari à majoribus quærendi & diſputandi modeſtè ac reverenter ad amplificandam rerum divinarum agnitionem, quandoquidem Scripturæ loci ſunt non pauci, quibus interpretandis ac evolvendis, ut minime ſatisfaciant Doċtores & perpetua obſervantia colendi, ita ego non adeò ſum infans, ut ipſa quoque mea infantia me lateat, & quanta mihi deſunt non ſciam. Tu igitur aſſiduè mecum orabis Deum omnis favoris, ut in Lælio tuo rem bonam, quam inchoavit, abſolvat, ne ſit amplius puer, qui omni vento fluċtuet, ac circumferatur, ſed verum tenendo cum charitate perficiat omnino, quæ ſunt à tergo obliviſcens, & ad anteriora ſe intendens ad ſcopum, contendat ad palmam, ad quam ſupernè vocatus eſt divinitus per Chriſtum Jeſum. Utinam illuc ſpeċtent omnia mea vota, ſi qua ad mortuorum reſurreċtionem perveniam, ut in nubibus raptus obviam Domino in aërem cum eo laudibus æternis Deum patrémque noſtrum celebrando ſemper vivam. Dabam 15. Julii 1555.

1555. Idem Lælius manu propria. Cui Epiſtolæ N. N. ita reſpondit:

Legi tuas, dilecte mi Læli, paulò diligentiùs, cùm licuit per otium: nec ægrè geres, ſi poſtulavero quædam à te exponi planius: Sumus enim fratres, & filii lucis. Agnoſcis voces Trinitatis, Unitatis, conſubſtantialitatis, unionis & Diſtinctionis uſurpata eſſe annis mille trecentis, ſed addis, magis te probaturum, ſi verbis adhuc Chriſti Apoſtolorum fides mea explicaretur. Ex quibus quidem verbis quis poterat colligere, voces iſtas te non agnoſcere pro Evangelicis & Apoſtolicis; I. Certè ſi de verbis ipſis, ut Latinè ſonant, loquaris, fateor & ego, illa non inveniri in libris Apoſtolorum. Nam hi ſcripſerunt Græcè: voces verò illæ ſunt Latinæ. Sed ſi de re loquaris, quæ verbis illis Latinis exprimitur, absque omni controverſia eſt, eam utique tradi, & diſertè quidem in libris Apoſtolorum. At id te prorſus agnoſcere, ſat ſcio. Ego olim contra Cochlæum demonſtravi, ipſas res Scripturis diſertè doceri, & æquipollentes in iis inveniri. Cùm ergo convenit viris bonis de re aliqua, ſanè de vocibus quales illæ ſint, nihil altercantur. Satis potuiſſet nobis eſſe Symbolum Apoſtolorum vel hodie: neque

que opus fuiſſet vel Niceno, vel Conſtantinopolitano veteribus, niſi fuiſſent parum candidi homines, præterea & lubrici, qui rem parum ſincerè traderent & docerent, videri tamen volebant rectè ſentire, ideoque callidiſſimè docendo tergiverſabantur: oportuit ergo rectis & maximè ſignificantibus vocibus tergiverſatorum excludi improbitatem. Hujusmodi conſtat eſſe Trinitatis vocabulum (inter Latinos ab Apoſtolorum tempore uſurpatum) contra Praxeam, Sabellium, & omnes Patripaſſianos receptum. Nam contendebant, eundem eſſe Patrem, qui Filius eſt, eundem & Spiritum S. Patrem itaque incarnatum, & crucifixum, & miſſum in Apoſtolos. Hujusmodi eſt & Unitatis vocabulum, propter eos uſurpari cæptum, qui propter perſonarum diſtantiam, & proprietatem manentem, imaginabantur tres Deos. His evenit, quod dici ſolet: Incidit inſcyllam, cupiens vitare charybdin: Dum vitant ſtulti vitia, in contraria currunt.

Hujusmodi eſt & conſubſtantialitatis vox, contra Arium recepta. Is enim fatebatur, Jeſum Chriſtum Dei eſſe filium, ſed intelligebat Patre nihilominus eſſe minorem & eſſentiâ inæqualem, & eſſe tempus

quan-

quando non erat. Hujusmodi item eſt vocabulum Unionis, propter Neſtorium Eccleſiis commendatum, nam propter proprietatem naturarū in Chriſto manentem divellebat perſonæ unitatem, unum extremum diſcindens in duo. Hujusmodi denique eſt & vocabulum Diſtinctionis, vel proprietatis naturarum, inventum ad Timotheanos, & Eutychianos excludendos. Nam ita inter ſe commiſcebant Chriſti naturas divinam & humanam, ut hanc in illam converſam, atque ita neutram quaſi retinerent, & Chriſtum demum amitterent. Quoniam verò illa te ignorare, & in hiſce rebus Eccleſiaſticis te hactenus non verſatum, & exercitatum eſſe, fateris ingenuè, dedi tibi, chare Læli, libellum, ex quo ita omnia plenius & tamen in compendio diſcas: quæ ſanè uſum & fructum ſuum habere opinor non aſpernandum. Jam verò ſi agnoſcis, veteres illis uſos eſſe vocabulis ſanctè & Orthodoxè juſtisque de cauſis, omittenda videntur mihi eſſe à te verba illa tua, *ego modus omnibus probarem*, & reliqua; quibus metuis laſciviam & petulantiam ingeniorum. Id nomen ſic poſitum videtur, ut referri poſſit ad eorum ſanctorum ingenia, quæ voces illas uſurpârunt: Ergo quod mox

mox ſequitur, *proinde caveo ab illis ſemper*, ſic illuſtrandum fuerit, ne anceps vel ambiguum ſit, quos caveas, ſed appareat, te tibi ipſi potius cavere ab Hæreticis illis, non à Catholicis. Quod quidem, ut te ſentire puto prorſus, ita cupio exprimas verbis etiam claris, & ſenſu expedito.

Circumſpectius & illud videtur ponendum, *quod à Deo cupis ſervari per hominem Ieſum Chriſtum, Filium ejus unigenitum; qui à Deo habeat naturam, ſapientiam & potentiam univerſam*: Scis enim in Chriſto conſiderandam eſſe utramque naturam, divinam & humanam, juxta illam Patri eſſe conſubſtantialem. Ergo juxta divinam naturam Patri eſt per omnia coæqualis; juxta humanam minor eſt Patre, & legitur accepiſſe potentiam & reliquas, ſed non naturam. Fateor ipſum Dominum dixiſſe: Sicut pater habeat vitam in ſemet ipſo, ſic dedit Filio. Vide autem quàm probè contextum ſervârit Cyrillus, rectéque dixerit: Qua propter cauſam, quare hæc ſibi à Patre data dixerit ilicò, ſubjecit, dicens: Quia filius hominis eſt: ut intelligamus, omnia ſibi data fuiſſe, ut filio hominis; qui cum creatura ſit, nihil habet à ſe ipſo: Unigenitus verò Filius, non vitæ particeps, ſed vita naturaliter, ut Pater, eſt. Congruunt cum

cum hac expoſitione etiam plures alii loci, Evangelici, ut cum legimus: Verbum eſſe Deum, eſſe vitam, eſſe lucem, eſſe æquale Deo: & quod ipſe Deus dixit: Amen dico vobis, antequam Abraham eſſet, ego fui: Ego & Pater unum ſumus: Creditis in Deum, & in me credite. Credite mihi quod ego in Patre ſum, & Pater in me: & nunc glorifica tu me Pater, apud temetipſum gloria, quam habui priusquam eſſet hic mundus apud te. Quò imprimis facit locus Apoſtoli Phil.2.& Heb.1. & alii. Sed ſcio iſta apud te non verti in dubium; in hunc duntaxat finem ea confero, ut intelligas, quod ego exiſtimem, tua illa circumſpectius eſſe collocanda. Et certè poteras expeditius (boni conſulas oro, quod etiam verba tibi ſuppedito: Nam te amo, & ſcio te lucem amare) ſic loqui aut ſcribere, per Jeſum Chriſtum, Filium tuum unigenitum, mediatorem noſtrum unicum, & ideo verum Deum & hominem, in quo tu mihi &c.

Porrò ſentio etiam ego ſpirituali gladio abſcindendos eſſe homines Hæreticos, cumprimis eos, qui blaſphemias expuunt contra Majeſtatem divinam, modiſque omnibus fugiendos. Cæterum ſi abundè admoniti, & errorum convicti modum nullum

lum faciant, ſed inſuper turbare pergant pios, motùſque excitare, nec ſe jam duntaxat perdere, ſed unà ſecum totas catervas ad interitum abripere, hìc addo, ſancti Magiſtratus eſſe hujuſmodi peſtiferos homines coërcere, nec illis, quod cœperunt, permittere; addo præterea, tales puniri & poſſe debere; maximè verò propter blaſphemiam, idque pro ratione delicti & circumſtantiarum, cum moderatione & juſta clementia. Quia video hoc uſurpatum eſſe & receptum omnibus temporibus, ab omnibus in orbe ſanctis de qua re nunc diſputationem non inſtituo, cùm abunde ea de re veteribus & neotericis ſit diſputatum. Ego in Epiſtola mea, cui tu ſcriptum tuum adjunxiſti, duntaxat cõmemorare volui, quæ tu nunc mecum conferebas, nec puto te in mea narratione quidpiam fidei deſiderare. Nihil enim finxi. Interim verò ſi tu cum aliis multis nondum vides Magiſtratum punire Hæreticos poſſe, videbis fortaſſis aliquando. Iniquum videbatur aliquando Auguſtino vi, & non ſolo verbo Dei cohercere Hæreticos, tandem verò variis exercitatus caſibus, reipſa didicit ſalubriter vim adhiberi. Non viderunt ipſi Lutherani aliquando coërcendos & puniendos eſſe

ſecta-

ſectarios, ſed poſt cladem Monaſterienſem & occiſa multa miſerorum, ſeductorumque hominum, adde & rectè credentium hominum millia, coacti ſunt fateri, prudentiùs & meliùs ſentire illos, qui non tantùm jubent Magiſtratum petulantium coërcere ingenia, ſed etiam unius aut alterius commerito ſupplicio multis conſulere hominum millibus. De qua re teſtati ſunt Miniſtri Eccleſiarum Luneburgicarum per D.D. Urbanum Regium, edito libello Germanico.

Expoſui tibi olim, chare Læli, ſcriptâ ad te Epiſtolâ, quatenus liceat ſcrutari Scripturas, & quærere, in religionis negotio: nec aliter hodie ſentio. Nemo verò eripit tibi libertatem modeſtè quærendi diſcendique: Nemo rurſus probat aut probare poteſt, ſi tu vel alius cogitationes aut tentationes potius ſuas, & pravas & offenſione plenas efferat ubivis temerè, non obſervato delectu temporis, locorum & perſonarum, imò has tueatur ad clamores uſque & rixas. Corrumpunt, inquit Apoſtolus, mores bonos colloquia prava. Idem, omnis ſermo ſpurcus, ajt; ex ore veſtro non procedat, ſed ſi quis eſt bonus ad ædificationem, quoties opus eſt, ut det gratiam audientibus, & ne contriſtetis San-

ctum Spiritum Dei, per quem obſignati eſt is in diem redemptionis. Quis verò ignoret, ſermones de religione intempeſtivos, & offenſione plenos ſpurcis illis & obscœnis eſſe perniciosiores? Jam verò accenſa etiam ſimpliciorum corda, pravis illis opinionibus, & illa vexari incipiunt, & neſcio quid ſuſpicari didicerunt, de quibus antea nihil cogitârunt. Certè metuendum erat hic Dei judicium clamantis, ſatius eſſe in mari demergi, ſupplicio infami, quàm offendere unum ex puſillis. Proinde meliùs exiſtimo eſſe hujusmodi cogitationes & æſtus animi ſaucii apud eos duntaxat proferre, qui mederi queant: dein & his, junctis ſimul precibus ad Deum piis, obſequi bene monentibus, & non perpetuò in eodem hærere luto, & eaſdem ſemper volvere atque revolvere quæſtiones.

In explicandis Scripturis præſcripta eſt nobis regula fidei & charitatis, ad quam omnes noſtras referamus expoſitiones. Præſcribit & optimum canonem Apoſtolus, dicens: Dico per gratiam, quæ data eſt mihi, cuilibet verſanti inter vos, ne quis arroganter de ſe ſentiat, ut modeſtus ſit, & ſobrius, ut cuique Deus partitus eſt menſuram fidei, & reliqua, ad Rom. 12.

Hæc

Hæc omnia, mi Læli, non in hoc ſcribo, ut novam tecum ineam diſputationem de puniendis Hæreticis, de quæſtionibus neceſſariis aut noxiis, & de exponendis Scripturis (amicè hæc monere & in ſalutem tuam tecum conferre volui) ſed ut tibi oſtendam, quid cupiam clariùs ſcribi, in tua illa confeſſione ad meam ad modulata, olim verbis à te coram me facta, nunc autem ſcriptis meis conſignata; & per te manu tua confirmanda.

Libenter autem cauſam tuam, ut promiſi, apud quoſdam agam, ne illi pergant malè de te ſuſpicari, ſed ut ſolida potius coëat pax & amemus mutuum. Beati pacifici, inquit, Dominus; quia filii DEI vocabuntur. Nunquam non ante oculos meos illa Beati Jacobi verba verſantur, quæ omnibus doctis & indoctis in pectora inſcripta eſſe cuperem: Quis ſapiens & ſcientiâ præditus inter vos? Oſtendat ex bona converſatione opera ſua, cum manſuetudine ſapientiæ. Quod ſi æmulationem amaram habetis & contentionem in corde veſtro, nolite gloriari & mendaces eſſe contrà veritatem. Non eſt enim ſapientia illa à ſupernis deſcendens, & terrena, animalis dæmoniaca, & reliqua; quæ noſti ex cap. 3.

Noli autem dubitare, mi Læli, te mihi in precibus & charitate commendatiſſimum eſſe, viciſſim & diligi à te in Chriſto & tuis cupio commendari precibus Deo, ut rectà currentes aſſequamur præmium vitæ æternæ; per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum: in quo te valere opto.

Hoc, unde magnus Theologus, habuerit de Socino judicium, ipſe quidem literis ſuis non expreſſit. Scripſit die 6. Septemb. 1554. *Vergerius* ad eundem Tubingæ, ubi inter alia: *Lælium ſe continere non potuiſſe, quin aperuerit ſe, & bene multa dixerit contra noſtra dogmata, utinam non ita ſit. Audio vviſſe N. Si ita eſt, quærit ſuos: At profectò integraſcit malum.* Sed domi nata erat hæc de homine luculentiſſimè ex Italia commendato ſuſpicio. Dico, *luculentiſſimè commendato.* Primus enim, quod ſciam, Lælium Helveticis Eccleſiis commendavit *Nicolaus Majer,* qui nomine Principis Wirtenbergenſis in Italiam ablegatus, an. Ch. 1548. Bononiæ ſubſtitit. *Verba* (verbatim) *ſunt: Si nondum adeſt, brevi tamen ad vos venturum credo juvenem valde pium & doctum quendam, Italum Senenſem, Patricium, & qui propter fidem in Chriſtum peregrinatur, quemadmodum is dubio procul, retulit, relaturusve eſt. Filius eſt Mariani Socini, patris, qui inter Juriſconſul-*

tos, juris peritiam hic docentes, primus, & propter ſummam ſuam doctrinam Juriſperitiæ Europa noſtra notiſſimus, & idem pius &c. Quem propter fidem in Chriſtum patriæ ſolum vertiſſe credebant, ideo Italiam deſeruiſſe, ut deſultorio ſuo ſatisfaceret ingenio, compertum poſtea fuit. Minabatur quidem jam a. Chr. 1551. reditum in patriam. Ita enim *Erhardus à Kunheim*, Witebergâ ad Henricum Bullingerum: *Lælius Socinus hinc profectus eſt ad perluſtrandam Poloniam, & inde conſtituit recta redire in patriam.* Sed mora longior interceſſit, maturéque poſt reditum ex Polonia abortus ſuos fovere cæpiſſe, documento ſunt duæ Epiſtolæ, Viri in rebus Theologicis verſati ad eundem ſcriptæ. Prior ita habet: *Si quemadmodum ipſe quoque ſentio, rectè & præclarè eſt à Seneca dictum*, bis dari quod citò detur, *non dubium eſt Læli, quin hæc mea in tam longum tempus protractare ſponſio, multam apud te gratiam amiſerit. Sed etſi moræ ejus cauſa multæ ſint & variæ, tamen abs re non erit, ſi idem mihi putes*, quod Simonidi fertur accidiſſe, qui quid Deus eſſet ab Hierone tyranno Syracuſano conſultus, fertur aliquot dies ad cogitandum poſtulâſſe, iisque tranſactis tantò plures deinceps duplo ſubinde dierum numerum auxiſſe: Id

cur faceret tyranno roganti dixiſſe: Quoniam quo magis quæro, hoc minus invenio. Ego enim in hujus quæſtionis explicandæ ſtudium neque vehementer auſus ſum, neque ſat bene potui totus incumbere: partim quia mihi, licèt cupienti & optanti nunquam daretur ocii ſatis ad eam pertractandam: partim quia dubitarem, utrùm difficilius eſſet negare tibi id tantopere flagitanti, an quod rogares, efficere. Sive enim tibi, quem & jure amicitiæ & doctrinæ cauſa, facio maximi, tam juſta petenti negarem, amicitiam videbar neglexiſſe: ſive ſuſciperem tantam rem, quantam non modò verbis efferre, ſed etiam mente complecti difficile eſt, vix arbitrabrar me ſat dignè vereri doctrinam tuam atque judicium. Quamobrem cùm & invitus tibi iſthæc poſtulanti negem, & ne non præſtem quod requiris verear: ipſe me vides Læli, opus hoc aggredi non majore ſpe perficiundi, quàm periculum faciendi voluntate. In quo me conſolatur hoc unicè, quod cùm te cogente neceſſe habeam & quod aſſequi nequeo curſu perſequi, & ſubire periculum exiſtimationis apud te meæ: malim, cùm tuis precibus ſim obſecutus, meam tibi inſcitiam prodere, quàm ſi id non fecerim deſidera-

r

ri meam erga te benévolentiam. Sed tamen hanc meam ſcriptionem ſic inſtituo, ut primum tibi meam de Sacroſanctâ Trinitate profitear ſententiam, ac deinceps ad quæſtiones tuas paucis reſpondeam.

Igitur in DEUM Unum & Trinum, hoc eſt, eum, qui ſuapte natura ac ſubſtantia quidem unus, perſonis autem ſit trinus, credo. Quod quale ſit, *Divini Auguſtini*, quàm meis ipſius verbis explicare malo. Is verò Ep. 102. ad *Evodium Epiſcopum*, ſic ſcribit. *Proinde* (inquit) *in unum Deum Patrem & Filium & Sp S. firmâ pietate credamus: ita ut nec filius credatur eſſe qui Pater eſt, nec Pater qui Filius eſt, nec Pater, nec Filius qui utriusque Spiritus eſt. Nihil putetur in hac Trinitate temporibus locisve diſtare, ſed hæc tria æqualia eſſe & coæterna & omninò eſſe unâ naturâ: non à Patre aliam, & à Filio aliam & à Sp. S. aliam conditam Creaturam, ſed omnia & ſingula quæ creata ſunt, vel creantur, Trinitate creante ſubſiſtere, nec quenquam liberari à Patre ſine Filio & Sp. S. aut à Filio ſine Patre & Sp. S. aut à Sp. S. ſine Patre & Filio: Sed à Patre & Filio, & Sp. S. uno verâ veréque immortali, i. e. omnimodè incommunicabili ſolo Deo.* Atque hanc quidem *Divi Auguſtini* expreſſam de S. S. Trinitate ſive Confeſſionem ſive ſententiam licet almus ille

rerum conditor adorari magis, quàm inquiri velit: tamen animis omnium hominum ſic credi & comprehendi voluit, ut ejus veritatem & *Scriptura* S. teſtimoniis expreſſerit, & *rerum creatione* repræſentârit, tum etiam *Baptiſmo* atque *articulis Chriſtianæ* fidei propoſuerit, denique etiam *omnium penè Gentium* conſenſu comprobârit. Ac quanquam hoc ipſum ſive *Trinitatis* ſive *Triadis* nomen in S. Literis nusquam expreſſum eſt; extant tamen in iis ipſis complures loci, quibus in natura ſeu eſſentia Dei *Trias* hæc aſſeritur.

Eorum aliquos referam. *Pſalmo* 34. ſcribitur: *Verbo Domini cæli facti ſunt, & Spiritu oris ejus omnis exercitus eorum.* En tibi verbis illis expreſſam *Triadem*, quando *Dominus* dicitur cœlum creâſſe per *Verbum*, ipsúmque *Spiritu* ſuo deinceps ornâſſe. Qui locus à *Baſilio* perpulchrè & ſermone peculiari videlicet exponitur. Extat etiam *Eſajæ* eadem de re locus, quem *Luc.* 4. Nazarethana in Schola pro concione publica Dominus explicavit. Introducit enim *Eſajas* c. 61. *Chriſtum* ſic loquentem: *Spiritus Domini ſuper me, eò quod unxit me ad Evangelizandum pauperibus miſit me.* In quibus Prophetæ verbis Dominum Deum Patrem, Filium & Spiritum S. habes. Et *Luc.* 3. in verbis

verbis Gabrielis ad B. Virginem habemus expreſſas Patris Altiſſimi, Sp.S. ſupervenientis, & Filii naſcentis perſonas. Locos Apoſtolicos, ut *Rom. I. Gal. IV. Tit. III. Act. X.* prætereo. Cæterum *ſi creationem* rerum omnium inſpicias, ac quemadmodum eſt & à Pſalte, & à Divo Baſilio conſiderata, atque expoſita, ſic piè & prudenter reputes; perſpicuum erit, Dominum Patrem ſine Filio & Sp.S. nihil procreâſſe. Nam, quòd Moſes dicit, *Spiritum Domini aquis incubâſſe*, id Divus Baſilius in *Homiliâ*, in opus hexaëmeron, ſecundâ, de Sp. S. res creatas omnes inſtar avis in pullos ſuos incubantis fovente & vivificante, dici monſtrat. Quod verò Deum idem introducit de creatione hominis conſultantem & dicentem: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*: deinceps autem ſubdit: *Et fecit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam*: ex eo *Baſilius* etiam homiliâ in opus hexaëmeron, nonâ, Trinitatem verè & rectè colligit. Quemadmodum autem *hominis creatio* Trinitatis myſterium patefacit, ſic id ipſum etiam hominis regeneratio, quæ Baptiſmo ſignificatur, & repræſentat, & omninò credi poſtulat: Nam emiſſis in univerſum orbem Apoſtolis, *Matth.* 28. ſic dicit Dominus: *Data eſt mi-*

hi omnis poteſtas in cœlo & in terra: euntes ergo docete omnes Gentes baptizantes eos in nomen Patris, & Filii & Sp.S. In quo Tertullianum adverſus Praxeam ſcribens obſervat, non in unum nomen nos tingi, cùm non ſemel ſed ter ad ſingula nomina, in perſonas ſingulas tingamur. Jam, ſi in nomen Dei trini baptizamur, quis neget in trinum quoque eſſe credendum? Etenim ſi fides noſtra ad Baptiſmum eſt accommodanda, ac rurſus ſecundum fidem ſuſcipienda, ſimul ac ſervanda numinis adoratio: ſanè quum in nomen Dei Patris, & Filii, & Sp.S. baptizati ſimus, eundem etiam Deum Patrem & Filium & Sp.S. adoremus neceſſe eſt. Sic enim Divus *Baſilius* in libro de Sp. S. c. 12. ait: *πίστις μὲν γὰρ* (inquit) *τελειοῦται διὰ βαπτίσματος· βάπτισμα δὲ θεμελιοῦται διὰ τῆς πίστεως. Καὶ διὰ τῶν αὐτῶν ὀνομάτων ἑκάτερα πληροῦται. ὡς γὰρ πιστεύομεν εἰς πατέρα, καὶ υἱὸν, καὶ ἅγιον πνεῦμα· οὕτω καὶ βαπτιζόμεθα εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος.* En, ut fidem conjungat cum Baptiſmate, propterea, quod uti in nomen Patris, Filii Sp.S. credimus, ſic in nomen Patris, Filii & Sp.S. baptizamur. Et *idem* ille in 3. contra Eunomium libro, docet baptiſmum eſſe ſigillum fidei, fidem autem confeſſionem divinitatis: nempe ut monſtret in

in eundem credendum nobis eſſe, in quem baptiſati ſumus. Alibi *idem* Argumentum meliùs exponit in hunc modum. Δεῖ γὰρ, inquit, *ἡμᾶς βαπτίζεσθαι μὲν ὡς παρελάβομεν, πιστεύειν δ᾽ ὡς βαπτιζόμεθα, δοξάζειν δ᾽ ὡς πεπιστεύκαμεν πατέρα, καὶ υἱὸν, καὶ ἅγιον πνεῦμα.*[a] En iterum dicitur Baptiſmum debere eſſe conformem mandato ſeu inſtituto Chriſti, fidem Baptiſmo, fidei verò doctrinam, nempe, ut ſtatuamus eſſe DEUM Patrem, & Filium & Sp. S. Quam ad rem pertinet etiam quod in ipſo Chriſti baptiſmate S. S. Trinitatis myſterium eſt editum, quando & Sp. S. in ſpecie columbæ, & vox Patris cæleſtis Filium confeſſa Chriſti ſtanti in aquis Jordanis affuère. Apoſtolis hoc etiam adeò perſuaſum fuit, ut Symbolum ſuum quo ſummam Chriſtianæ comprehendunt & in eam formam & ſententiam componendum arbitrati ſint. Nam ipſum & tribus partibus ſecundùm tres perſonas diſtribuerunt, & quæ cuique propria eſſent perſonæ tribuerunt; ut primi Articuli Patrem Creatorem, medii Filium Redemtorem, tertii Sp. omnia foventem & vivificantem reſpiciant. Quamobrem ſi ſymbolum Articulorum Chriſtianæ fidei, quod ab ipſis Sp. DEI inſtrumentis compoſitum atque editum eſt Apoſtolis, ſalvum eſſe debeat;

beat: hæc noſtra de Trinitate fides & confeſſio retinenda eſt. Neque verò ſilentio prætereundum eſt, quòd Deus hanc de eſſentia ſua doctrinam, cum verbi ſui clariſſimis teſtimoniis expreſſam, tum etiam in *natura atque in animis omnium penè Gentium* impreſſam eſſe voluerit. Nam ſi quæ paſſim apud priſcos extant Philoſophos, ſuo pondere & momento metiamur; profectò facilè erit intelligere, Deum illis ipſis hanc ſuæ Trinitatis notitiam haud ſecus ac naturæ Jus inſcripſiſſe. Ac *Suidas* quidem, Mercurium Triſmegiſtum ex eo nomen hoc adeptum author eſt, quòd de divina Trinitate quædam arcana, afflatu Dei, prodiderit.

Qui Suidæ locus, quia habet etiam quædam Mercurii verba, non abs re huc referendus eſſe cenſetur. Ἐκέκλητο δὲ (inquit) τρισμέγιστος, διότι περὶ τριάδος ἐφθέγξατο εἰπὼν ἐν τριάδι μίαν εἶναι θεότητα οὕτως ἦν φῶς νοερὸν πρὸ φωτὸς νοεροῦ, καὶ ἦν ἀεὶ νοῦς νοὸς φωτεινὸς, καὶ οὐδὲν ἕτερον ἦν ἢ τούτου ἑνότης. Καὶ πνεῦμα πάντα περιέχων, ἐκτὸς τούτου οὐ θεὸς, οὐκ ἄγγελος, οὐκ οὐσία τις ἄλλη. Πάντων γὰρ κύριος καὶ πατὴρ, καὶ θεὸς, καὶ πάντα ὑπ' αὐτὸν καὶ ἐν αὐτῷ ἐστιν. Ὁ γὰρ λόγος αὐτοῦ παντέλειος ὢν καὶ γόνιμος καὶ δημιουργὸς ἐν γονίμῳ φύσει παῖς ὢν καὶ γονίμῳ ὕδατι ἔγκυον τὸ ὕδωρ ἐποίησε. Καὶ ταῦτα εἰρη-

κὼς, ηὔξατο λέγων, ὁρκίζω σε οὐρανὸς θεοῦ μεγάλου σοφὸν ἔργον, ὁρκίζω σε φωνὴν πατρὸς, ἣν ἐφθέγξατο πρώτην ἡνίκα, τὸν πάντα κόσμον ἐστηρίξατο, ὁρκίζω σε κατὰ τοῦ μονογενοῦς λόγου καὶ τοῦ πατρὸς τοῦ περιέχοντος πάντα: ἵλεως ἵλεως ἔσο. En tibi in verbis Mercurii tres perſonas in una ſubſtantia! Plato verò in quadam ad Dionyſium Epiſtola, de natura DEI, ſic ſcribit, περὶ τὸν πάντων βασιλέα πάντα ἐστὶ καὶ ἐκείνου ἕνεκα, πάντα, καὶ ἐκεῖνο αἴτιον ἁπάντων τῶν καλῶν, δεύτερον δὲ περὶ τὰ δεύτερα, καὶ τρίτον περὶ τὰ τρίτα: Hæc *Platonis* verba, à Porphyrio explicata Divus Cyrillus adverſus Julianum ſcribens adducit. Ea ſunt ἄχρι τριῶν ὑποστάσεων τὴν θείου προελθεῖν οὐσίαν, εἶναι δὲ τὸν μὲν ἀνωτάτω θεὸν τὸ ἀγαθὸν μὲν αὐτὸν καὶ δεύτερον τὸν δημιουργὸν, τρίτην δὲ καὶ τὴν τοῦ κόσμου ψυχὴν ἄχρι γὰρ ψυχῆς τὴν θεότητα προελθεῖν. En tibi nomen ὑποστάσεων priſcis Theologis ſubinde uſurpatum, in tres illas perſonas, τὸ ἀγαθὸν, τὸν δημιουργὸν τὴν τοῦ κόσμου ψυχὴν. Eodem pertinet quod Proclus celebris Platonis interpres, in ſuo de Theologia Platonica libro ſcripſit. Is enim cùm multa de tribus principibus diſputâſſet, eáq; primum τὸ ἀγαθὸν, τὸν νοῦν, τὴν ψυχὴν, deinceps autem, τὸ ἓν, τὸ ὂν, καὶ σχέσιν ἀμφοῖν retuliſſet: tandem, τελὰς, inquit, ἣν αὕτη πρώτη νοητὴ τὸ ἓν, τὸ ὂν καὶ σχέσις ἀμφοῖν διὰ

ἣν

ἦν καὶ τὸ ἓν τοῦ ὄντος ἐστιν, καὶ τὸ ὂν τοῦ ἑνός. Quibus deinceps hoc addit, *πάνυ θαυμαστῶς καὶ διὰ τοῦτο ἐνδεικνυμένου τοῦ Πλάτωνος, ὅτι καὶ ὁ πατὴρ τοῦ νοῦ πατήρ ἐστι. Καὶ ὁ νοῦς τοῦ πατρὸς, καὶ ὡς ἡ δύναμις κέκρυπται μεταξὺ τῶν ἄκρων.* Quæ verba tam clara ſunt, ut expoſitione longiore minimè egeant. Et ſunt in eam ſententiam permulta à Platonicis, itemque Pythagora atque à Philoſophis aliis transmiſſa ad poſteritatis memoriam, quorum magna pars in Beſſarionis Cardinalis eo, quem vir ille in calumniatorem Platonis ſcripſit libro, deſcripta ſunt; quæ dedita operâ prætereo. Sed extat aliud apud *Suidam* perpulchrum teſtimonium, quod ego tibi credo cum ob ſuam perſpicuitatem, tum ob vetuſtatem quoque, pergratum perque jucundum fore. Is author eſt, *Thulim* potentiſſimum Ægypti Regem elatum & ſuarum ſplendore virtutum & longa lætáque donatione Serapidis Oraculum conſuluiſſe, num quis unquam fuiſſet aut futurus eſſet ipſo potentior: tum Oraculo reſponſum acceptum in hæc verba.

> Πρῶτα θεὸς, μετέπειτα λόγος, καὶ πνεῦμα σὺν
> αὐτοῖς.
> Σύμφυτα δὲ τρία πάντα καὶ εἰς ἓν ἰόντα
> Οὗ κράτος αἰώνιον. ὠκέσι ποσὶ βάδιζε θνητὲ
> ἄδηλον διανύων βίον.

Qui-

Quibus Suidas addit, eum egreſſum ſacrario dein à ſuis in Africa trucidatum eſſe. Quo Serapidis oraculo mihi quidem de re tanta videtur extra Chriſti Scholam nihil quicquam potuiſſe dici plenius ac melius. Nam *primo* gradu, Deum, puta Patrem: *ſecundo* Verbum, quo nomine Chriſtum etiam divus Johannes in Evangelii ſui principio notat: *tertiò*, Spiritum Sanctum videlicet, quem Chriſtus ipſe quandoque Spiritum ac non etiam ſanctum dicit, collocatum habet. Memorandum eſt etiam, quod Spiritum Sanctum, utrique, Patri ſcilicet cum Filio communem, hoc ipſo facit, quod *σὺν αὐτοῖς* dicens, eum Deo & Verbo pariter conjungit: quod perinde eſt ac ſi diceret, eum ex utroque procedere. Poſtremò, ut neque plures, hâc de trinitate doctrinâ adductus, Deos conſtitui diceret, reſpondit, hæc *πρόσωπα* eſſe *σύμφυτα*, hoc eſt, ejusmodi, ut in unam naturam atque ſubſtantiam omnes jam inde ab æterno quaſi coaluerint, & *εἰς ἓν ἰόντα* & in unam eſſentiam coierint. Quod ipſum nihil eſt aliud, quàm quod nos ſecundùm Scripturam Deum, unum & trinum dicimus. Ex quibus omnibus multiſque aliis, quæ referre nimis longum eſſet, Gentilium hominum teſtimoniis perſpicuum eſt veri-

veritatis lucem ſemper eandem tantam eſſe, ut eam illi etiam, ſi non totam, aliquantam tamen perceperint: ac quemadmodum ea, quæ Romanis quondam & Gallis, ſeu peſte & bello, ſeu annonæ caritate, ſeu alio quocunque calamitatis genere afflictis, ad expianda peccata & placandos Deos uſitata fuêre καθάρματα & περιψήματα, videntur doctrinæ de Christo priſcis proditæ fuiſſe reliquiæ: ſic dubium non eſt, quin & ex Moſe Ægyptii & ab illis rurſus alii Philoſophi ſuam illam de Triade Theologiam ſuxerint. Quamobrem, cum vetus hæc & divini de Trinitate Confeſſio Scripturæ Sacræ teſtimoniis & ipſa rerum creatione & Baptiſmo, & quaſi quodam naturæ ductu fulciatur: non opus eſt pluribus ad roborandam eam argumentis, ac præſtat, ut ipſi veritati pie & ſimpliciter aſſentiamur.

Hac ita percepta, & animo pio comprehenſa veritatis ſive Confeſſione ſive ſententia, non difficilis inventa fuerit ad quæſtiones ſuas reſponſio: præſertim cum omnes eò tendant, maximè ut recta ac plana ſit perſonarum inter ſe diſtinctio. Nam quod quæris, *an Spiritûs appellatio*, quæ perſonæ tertiæ tribuitur, alia ſit ab ea, quæ in definitione Dei tribus perſonis ex

æquo

æquo tribuitur: quod rogas, *quid Spiritus à Patre & Filio diverſum ſignificet*, & quæ ſunt reliqua, eadem ſunt prorſus omnia: & videntur cùm diſtinctionem perſonarum quærere, tum de divinitate Spiritûs Sancti certum quiddam deſiderare: denique etiam de earum ipſarum ὑποστάσεων omnium inter ſe mutua relatione, quid vero ſit conſentaneum, poſtulare. Igitur de *perſonarum diſtinctione* Sacræ literæ ſic ſtatuunt. *Patri* principium agendi, rerum omnium fons & origo tribuitur: *Filio* ſapientia, conſilium, ipſa rerum gerendarum ratio: *Spiritui Sancto* efficacia & virtus actionis. Quæ res ex ea Petri concione quæ extat *Act.*2. ſcripta perſpici poteſt. Sic enim eo loco Petrus ajt: *Ieſum excitavit Deus exaltavitque ad dextram, ac promiſſione Spiritûs Sancti accepta à Patre effudit hoc quod vos jam cernitis & auditis.* En hic ſalutis initium Patri, Filium excitanti, & exaltanti: conſilium ſeu rationem ejus Filiô exaltato, & ad dextram ſedenti: Spiritui verò, quòd proceſſerit à Patre & Filio, diſcipulos inſtruxerit, atque ad officium ſuum accinxerit attributum. Sic Paulus *Rom.* 1. mentionem facit Patris mittentis, Filii incarnati, & per potentiam DEI declarati, & Spiritûs ſanctificantis. Idem in

Epiſtola ad *Titum* cap. 3. ſalutis humanæ cauſam efficientem Patri miſerenti & mittenti Filium: ſalutis reparatæ formam ipſi Filio: renovationem Spiritui Sancto tribuit: Atque hæ tres Perſonæ, quoniam in Deo neque prius neque poſterius quicquam eſt, eandem omnes & eſſentiam & æternitatem habent. Sed tum ordo qui naturæ conſentaneus eſt, minimè fuerit de ea de cauſa negligendus. Sic enim cujusque mens eſt comparata, ut primùm Deum, dein emergentem ex eo ſapientiam, poſtremò eam, qua decreta perficiat, virtutem conſideret. Unde ut à Patre exiſtit Filius, ſic ab utroque Spiritus Sanctus. Jam hæc diſtinctio non poteſt unitatem impedire, quando Filius propterea unus eſt cum Patre Deus, quia habet unum eundémque cum Patre Spiritum: ac rurſus Spiritus à neutro eſt alius, cùm utriusque ſit communis, atque ab utroque procedat.

Qua de re *Baſilius* perpulchre tradidit in quadam περὶ διαφορᾶς οὐσίας καὶ ὑποστάσεως ad Gregorium fratrem Epiſtola. Eam, ſi libeat, ipſe potes legere. Porrò de Spiritus Sancti divinitate nemini poteſt eſſe dubium, qui, quod illi Sacræ literæ tribuunt ſuo pondere metiatur. Nam quia is ubique

bique diffuſus eſt, & quæ in cœlo, terráque, & mari ſunt omnia ſuſtinet, vegetat, vivificat; aliud quàm Deus eſſe non poteſt Primùm enim nullis finibus circumſcribitur, ſed ſuum ipſe vigorem, in omnia transfundit: eſſentiam, vitam, motionem, omnibus rebus aſpirat: quod opus planè divinum eſt. Quia verò etiam noſtræ in vitam incorruptam regenerationis, quæ vegetatione eſt omni ſuperior, ſolus eum ex ſe vigorem habens author eſt: creatura nequaquam eſſe poteſt. Quod præterea Sacræ literæ, & diviniſſima quæque tribuunt officia; ut arcana Dei myſteria ſcrutari, eloquentiæ facultate imbuere, juſtificare & his ſimilia; id argumento eſt optimo, Deum eſſe. Sed ſunt complures aliæ ſacris literis comprehenſæ rationes, quibus hoc evinci poteſt. Nam quia Paulus ex eo, quo Spiritus Dei in nos habitet, colligit, nos eſſe templa Dei, quis non videat, illum hoc ipſo divinitatem Spiritui Sancto aſſignare? Quod Divus Petrus Ananiam Spiritui Sancto mentitum, non hominibus, ſed Deo mentitum dicit: Quis non videat, hoc ipſo divinitati Spiritûs Sancti perhibitum eſſe teſtimonium? Qua de re peculiarem librum ſcripſit Divus *Baſilius* adversùs Eunomium: eo potius te remitto.

mitto, quàm mihi plura huc afferenda putem. Porrò de *relatione* ſeu *comparatione Perſonarum* inter ſe mutua Divus *Auguſtinus* in 5. de Trinitate libro cap. 11 12. 13. 14. multa præclarè ſcripſit, quæ cum ipſe poſſis legere, ſupervacuum eſſet huc afferre. Cæterùm, de toto hoc negotio, & de rebus ad quæſtiones tuas ſpectantibus multa cum piè, tum ſubtiliter à Divo *Gregorio Nazianzeno* ſcripta ſunt, in iis quos de Filio, de Spiritu Sancto, de divinitate habuit ſermonibus. Et in ea, quam de Baptiſmo habuit, oratione, ſummam ac caput hujus rei paucis verbis complexus ſic ajt: Οὐ φθάνω τὸ ἓν νοῆσαι, καὶ τοῖς τρισὶ περιλάμπομαι· οὐ φθάνω τὰ τρία διελεῖν καὶ εἰς τὸ ἓν ἀναφέρομαι. Quibus ego tam piis tamque ſimplicibus explicationibus contentus eſſe ſoleo, quòd exiſtimem, in his tam profundis atque abditis myſteriis verſandum eſſe piè & ſobriè: ne vel malignis calumniarum, vel rudibus errorum occaſionem præbeamus. Nam cum Deus, ut in eadem oratione dicit Gregorius, eum in illis quæ mente percipiuntur rebus, habeat locum, quem in iis, quas ſenſu percipimus Sol obtinet; conſequens eſt, nobis, ſi in illam maximam lucem noſtræ mentis aciem intendamus, idem obvenire quod Soli ſplen-

ſplendorem intuentibus accidit, ut viſus ipſis, quoniam præ imbecillitate ſua lucem tantam non ſit ferendo, totus caliget & hebeſcat: Quis enim eſt, qui, ſi DEI naturam penitùs velit intueri, non ſentiat, aciem mentis obtundi, & tanto fulgore perſtringi magis ut cæcutiat quàm cernat? Præclarè enim in eâdem oratione dicit: θεὸς μέν ἐστι φῶς τὸ ἀκρόπτον καὶ ἀπρόσιτον, καὶ ἄῤῥητον, οὔτε νῷ καταληπτὸν οὔτε λόγῳ ῥητόν. Qua de cauſa Divus Apoſtolus nonmodo ſuum Timotheum à quæſtionum inutilium & veſanarum diſputationum uſu dehortatus eſt, ac plus in illis periculi quàm utilitatis eſſe docuit: verùm etiam ipſe, licèt in tertium cœlum raptus, multa abſtruſa ac recondita viderit, tamen ab adverſariis ad profunda quædam Domini judicia propulſus explicanda, maluit is hic gradum ſiſtere & exclamare: *O profunditatem divitiarum, & ſapientiæ, & cognitionis Dei: quàm inſcrutabilia ſunt, judicia ejus, & imperveſtigabiles viæ ejus!* quàm tanta de re temerè diſceptare. Itaque ſic ego ab ineunte ætate affectus fui, ut iis in rebus ingenium exercere mallem, in quibus minus eſſet periculi, atque in quibus errare poſſem ſine crimine blaſphemiæ atque extra periculum: at de natura DEI, déque iis quæ

ſupra nos ſunt rebus, plura atque altiora, quàm quæ ſacris literis eſſent prodita, nunquam volui perſcrutari. Habes meam de S. Trinitate & de tuis quæſtionibus ſententiam; quam aut ſequeris, ſi ſatisfecerit: aut ex iis, quos dixi, Patribus, cognoſces pleniùs, ſi libeat. Tu verò velim ſibi, quæ ſcripſi, minùs quàm tanta res poſtulet graviter & dignè eſſe propoſita atque explicata, videbuntur; ut aut majorem tractationem inſtitutuam putes quàm effici potuerit: aut dum tibi quod rogabas negare veritus ſim, me ipſum mihi temeritatis ſuſceptæ ſcriptionis notam inuſſiſſe. Vale, IV. Id. Auguſt. 1555.

Prima hæc eſt ad *Lælium* Epiſtola; altera de reliquis ab eo in controverſiam vocatis ſequitur capitibus, hunc in modum: Occupationibus factum eſt meis, ornatiſſime Læli, quò minus poſſim ad Epiſtolam tuam, quemadmodum volebam & cupiebam, ſic maturè & diligenter reſpondere. Verùm, tu pro tua bonitate, cum moram hanc quantamcunque, tum parùm elaboratam reſponſionem æquo animo accipies. At quanquam excuſatione longiore præterea uti nolim: ne videar, quod nefas eſſet, majore ſtudio meam exiſtimationem, quàm confeſſionis hujus veritatem propugna-

pugnare: tamen ſi mihi de tua bonitate dubium eſſet, ut excuſatum me haberes, pluribus verbis contenderem. Tibi verò, ſat ſcio, gratius eſt ad id, quod inſtituimus, me quàm primùm accedere. Igitur, *quòd Sacramenta ſigilla divinis promiſſionibus appenſa, & gratia Dei teſtimonia dicimus*: quòd ea videntur nobis hoc nomine potiſſimùm inſtituta, quo ſenſus noſtros afficiant meliùs: quò cognitione rerum ſacrarum, nos plenius imbuant: quò Chriſti beneficia in memoriam revocent, quò noſtram nobis fidem augeant ac roborent: id tu non conſtanter pernegas quidem Læli, ſed tamen exiſtimas poſſe videri dubium, & omnino quæri, *quibus rationibus hæc ſententia ſtabiliatur?* Ego verò, à quo tibi id demonſtrari poſtulas, etſi meæ me inſcitiæ conſcientia ſubinde à propoſito revocet; tamen quoniam hæc ſeorſim & inter nos ſolos quæri & diſceptari cogito: non potui illud amicitiæ noſtræ & voluntati tuæ negare, ut ad argumenta abs te contra poſita paucis reſponderem.

Ac primùm, ut prætercam axioma de Sacramentorum fine tuum, & quemadmodum dixi, contraria argumenta ponderem, dicis, te neſcire, *quomodo Sacramentis ceu ſigillis divinæ promiſſiones nobis deſignentur?* Ego

 verò

verò miror hoc quæri poſſe, cùm ipſæ etiam promiſſiones hoc habeant, ut ſeſe mutuum confirment, & quaſi quodam modo obſignent. Etſi enim unicuique promiſſioni Dei firmiter credamus: tamen quò plures eadem de re habemus, quæ ſeſe ipſæ perſpicuitate ſuâ ſubinde ſuperent, hoc noſtra fides roboratur ac ſtabilitur magis. Igitur, ut earum ipſarum clariſſima atque apertiſſima quæque eſt ad faciendam fidem, aptiſſima: ſic etiam Sacramenta quoniam & promiſſiones ſibi conjunctas habent, & eas ipſas quaſi in tabula depingendo clariores reddunt, rectè promiſſionum obſignationes appellantur. Quis enim eſt, qui, ſi videat viſibilibus iſtis rebus divinas ſibi res quaſi εἰκονικῶς depingi; non rectà præclaris illis, quos ipſe non ignoras analogiæ gradibus ad cœleſtium rerum obtutum queat aſcendere? Qua de re quoniam præclarè eſt in quadam ad eos qui *Auguſtæ* convenerant Germanos Principes, Epiſtolâ, ſcriptum à Zuinglio, præſtat te, ſi libeat, ex illis fontibus dulcem liquorem illum, quàm ex meis lacunis bibere.

Quòd deinceps Scripturas requiris, quibus oſtendatur, *ſigilli nomen Sacramentis verè & propriè tributum eſſe.* Paulinum tibi quem

quem ipſe adduxiſti locum, profero. Paulus enim Romanis affirmaturus, circumciſionem Abrahæ non fuiſſe injuſtitiam, ſed promiſſionis illius obſignationem, cujus ipſe fiducia fuerat jam ante juſtificatus, circumciſionem ipſam σφραγῖδα nominat. Neque verò obſtat, quod teſtimonium requiras aliud, quo ſit expreſſum Euchariſtiæ quoque nomen hoc tribuendum eſſe. Nam cùm circumciſio, Paſcha, Baptiſmus, Euchariſtia ſint ejusdem generis actiones, eadémque ſit eorum omnium cauſa efficiens, & idem omnium finis; iniquum pariter & abſurdum foret, unum idemque nomen aliis dare, aliis negare. Et ne tantum ratione dialecticâ putes fieri, ut hæc eodem comprehendam genere: En alias etiam ex ſacris literis rationes dabo. Eccleſia vetus eodem DEI verbo & eodem ſpiritu nobiſcum collecta eſt, eaſdemque de Chriſto promiſſiones habet: quo fit ut in Sacramentis illis, quæ paulò ante recenſuimus, præter formam & materiam non poſſis diverſum quicquam imaginari: Unde Paulus eadem docet eſſe vetera, quæ ſunt noſtra: quando illis noſtra, ac rurſus noſtris illorum nomina tribuit: ut nobis circumciſionem & Paſcha, Baptiſmum & cibum ſpiritualem illis. Et *Divus*

Auguſtinus, Tractat: in Joh. XXVI. veterum Sacramenta, quoad ſigna, fuiſſe à noſtris diverſa: quo ad ſignificata, fuiſſe paria. Ex quibus perſpicuum eſt, σφραγίδος nomen perinde ad reliqua Sacramenta, atque ad circumciſionem referri poſſe.

Quòd rogas, *ubi noſtris actionibus ſuas nobis promiſſiones Deus unquam confirmârit*, id ejusmodi argumenti formam habet. Deus actionibus noſtris promiſſiones ſuas non obſignat: at Sacramenta ſunt actiones noſtræ: ergo promiſſiones Dei non obſignant. Ejus ratiocinationis minorem propoſitionem ego nego: neque enim concedo, Sacramenta *meras noſtras actiones* rectè dici, cùm ſint inſtituta divinitùs: at ſi humanæ eſſent, vim nullam obtinerent. Et Paulus dicens per unum Spiritum nos omnes in unum corpus baptizatos eſſe, hoc ipſo quod Spiritum hujus unionis authorem indicat, Sacramenta non hominum, ſed Spiritûs Chriſti actiones eſſe aſſeverat. Quamobrem cùm Sacramenta ab hominibus ſicut alia cœleſtia munera, juſſo inſtitutóque in eum quem diximus finem, uſurpentur: illorum efficaciæ, exiſtimationi, dignitati noſtra nihil derogat infirmitas.

Dicis, te, *ea peragentem, beneficiorum Chri-* *ſti*

ſti memoriam non renovare, ſed celebrare & oſtendere. Age concedam tibi, Læli, tantam vim memoriæ, ut quidquid agas, cures, cogites: tamen animum tuum Chriſti nunquam obruat oblivio; proptereaque & ipſius Domini, & illius in te beneficiorum ſemper queas meminiſſe: ac tantum modò ejus memoriæ celebrandæ & teſtandæ gratiâ, tute Euchariſtiam celebres: quo pacto, quæſo, tuam hanc memoriam teſtaberis, ſi quemadmodum ipſe ſtatuis, Euchariſtia refricandæ ejus rei memoriæ non ſit apta atque idonea? Mihi certè veriſimile non ſit, te geſtæ rei memoriam ejusmodi monumento teſtari poſſe, quod monere mentem nequeat. Sin eam Sacramenta vim habent, ut iis ipſe quaſi monumentis atteſtari velis gratam beneficii memoriam: cur non concedis, idem ipſa in te efficere, quod in aliis tibi videntur efficere? Cur non admittis eadem facilitate tuam iis mentem moneri, qua tu per ea videris alios admonere? Etenim, ni id concedas, ſequitur, illa in te ſolo vim monendæ mentis non habere, quàm tamen, vel tuâ ipſius ſententiâ, habent in omnibus fidelibus. Intelligendum eſt autem, voluiſſe Dominum noſtræ, quæ eſt admodum infirma, quæque ſuaviſſimarum etiam rerum obliviſcitur,

tur, memoriæ ſic ſuccurrere, ut aut obruta atque mortua reſuſcitaretur, aut quaſi quodam modo frigens accenderetur, aut etiam vita ac valens fieret vividior.

Negas, iis *nos quaſi manuduci ad Chriſtum, & ad gratiarum actionem excitari:* ego verò, quemadmodum Chriſtus ipſe Sacramentorum omnium eſt ſubſtantia, atque is etiam, in quo ſuam illam ſoliditatem ſic omnem habent, ut extra eum nihil promittant: ad illum nos non quidem, ut incognitum, ſed tamen ut meliùs cognoſcendum per Sacramenta adduci non dubito. Chriſtus enim ex doctrina atque ex factis ſuis potiſſimùm cognoſcitur: ſed ideo nemo negârit ad vividiorem ejus cognitiotionem Sacramentis illius momenti plurimùm afferri. Quin ipſi quoque panis, & aquæ & aliarum rerum ſimilitudine ſuorum ipſius in nos officiorum magnitudinem pleniùs exprimi poſſe; jam verò iisdem rebus propoſitis hic negemus nos adjuvari? Mentem autem noſtram per hæc inflammari, atque ad gratiarum actionem excitari quis neget; qui quidem cogitaverit hoc ipſum etiam in re levicula accidere? Si conſpecto Pallantis baltheo ſic amici intimi recordatione commotus eſt Æneas, ut Turnum, quem patri vivum red-

der

dere voluerat, interfecerit: Cur ego viſis pane & vino vivifici corporis atque ſanguinis Domini myſteriis, non ad ardentiſſimas atque maximas Domini laudes excitarer? Quid verbis opus eſt? Adeò me ſemper his myſteriis affici ſentio, ut ſi idem non patiantur, qui iſthæc peragunt alii, non putem eos in id, quod agunt animos advertere. Et Paulus Corinthiis noctem, quà Jeſus eſt traditus nominans, totam eam triſtem ac lugubrem hiſtoriam in mentem revocat. Nequit enim fieri, ut eam noctem audiens & celebrati paſchatis & ablutorum pedum, & admoniti Judæ, & prolixæ illius, quam tum Dominus habuit, concionis, & hujus myſterii: tum etiam hymnorum, diſcipulorum mœroris & ſomnolentiæ, Judæ ejuſque ſatellitum & earum rerum omnium recordatio ſubeat animum tuum. Jam ſi id verbum unum efficit; quid tota actio, quæ ad vivum repræſentet omnia, non efficiat? Sed de his plura, quàm volueram dixi, quòd ipſe etiam hæc ſcribens quaſi in illarum rerum contemplationem raptus eſſem.

Ex eo verò quod Paulus dicit, eos, *qui Euchariſtiam celebrant, mortem Domini annunciare debere*, non rectè colligis: nos propterea mortis Domini per Sacramenta com-

commonefieri non poſſe: Nam cùm mortem Domini ſemper aliàs recolere, & per eum nobis præſtita beneficia prædicare poſſimus, juxta ac debeamus; certè quòd Euchariſtiam celebrantibus hoc potiſſimùm & quaſi peculiariter faciendum docet Apoſtolus; profectò cauſæ nonnihil ſubſit neceſſe eſt. Quid verò ſubſit aliud, quàm quod arbitretur, hanc ipſam, & ei memoriæ renovandæ cumprimis, aptam & ut eam renovet divinitus inſtitutam eſſe. Unde & Apoſtolus & Dominus ipſe concorditer præcipiunt, ut hoc fiat in mortis Domini memoriam. Quod argumentum eſt, eum, qui cœnam Dominicam celebrans, mortem Chriſti non recolat ac prædicet, Sacro-ſanctæ hujus actionis finem præterire. Quocirca rectè ſtatuitur Euchariſtiæ Sacramento mortem Chriſti non minùs recoli, quàm prædicari: Prædicare enim & añunciare quid aliud eſt quàm neſcientem docere, oblitum admonere, recordantem ut recolat magis incitare? Atque hoc etiam divus Chryſoſtomus innuit in illum Pauli de cœna locum ſcribens: ὥσπερ γὰρ (inquit) ὁ Χριστὸς ἐπὶ τοῦ ἄρτου καὶ ἐπὶ τοῦ ποτηρίου εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν ποιεῖτε τοῦτο ἔφη. Τὴν αἰτίαν ἐγκαλύπτων ἡμῖν τῆς τοῦ μυστηρίου δόσεως, καὶ μετὰ τῶν ἄλλων καὶ ταύτην εἶναι λέ-

γων

γιοὶ ἀρκοῦσαν ἡμῖν εἰς εὐλαβείας ὑπόθεσιν. Vides, eum dare & multas alias inſtitutæ Euchariſtiæ cauſas, & ex his etiam hanc oſtendere, quòd illud myſterium nobis quaſi quundam pietatis admonitionem ſuppeditet. Quod quî fiat hoc ipſo indicat, quod iterum dicit: ὅταν γὰρ ἐννοήσῃς τὶ πέπονθεν ὁ δεσπότης σου, διὰ σὲ φιλοσοφώτερος ἔσῃ. Quod perinde eſt ac ſi dicat. Etenim ſi tecum animo volvas ac conſideres, quàm diram quàmque aſperam pro te mortem Chriſtus obierit, non poteſt fieri, quin, quantas illi debeas gratias, ſapias magis. Atque hanc interpretationem ex Apoſtoli ſententia afferri, Chryſoſtomus hoc ipſo docet quòd paulò poſt hæc addit: οὕτω καὶ ὁ παῦλος ἐνταῦθα φησίν. Ὁσάκις ἂν ἐσθίητε, τὸν θάνατον αὐτοῦ καταγγέλλετε.

Quod ſcribis *de verbi Divini & Sacramentorum differentia, ac ſtatuis, verbum ideò datum nobis eſſe, ut per ipſum erudiamur; Sacramenta verò, ut nos jam edoctos iis ipſis atteſtemur:* de eo quid ſentiam ſic habes Verbo quidem primas deberi fateor, ſed Sacramenta tamen etiam ipſa Spiritûs Sancti inſtrumenta eſſe ſtatuo, quibus ſuo quodam modo doceantur. Quemadmodum enim Spiritus, dum pro concione per miniſtrum verba facit, vivâ voce ſeu verbis aures ferit:

ferit: ſic dum hæc myſteria publica peragit; earum, quæ coràm cerni & contingi poſſunt, rerum qualitate ſenſus noſtros tangit ac monet. Ac ſi, quod negari non poteſt, libelli docent, & his appenſa ſigilla obſignant: conſequens eſt Sacramenta, quemadmodum & libellorum & ſigillorum vim habent, rémque propoſitam & illuſtrant & obſignant, etiam ſuo quodam modo docere poſſe. Scribis deinceps, *promiſſiones DEI in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum jam ante obſignatas eſſe, quando nobis intus perſuaſum eſt, Deum quod promiſit ratum habere: id autem propter alios ſigillis iſtis deinceps declarari.* Nos autem Spiritûs Sancti vim animos noſtros intus confirmantem ac promiſſiones divina, obſignantem agnoſcimus: verùm arbitramur, eam propterea ſigillo ſuas quoque partes minimè detrahere; ſigillum enim officio ſuo non fungitur, ſi id abſit, quod debet obſignari. Unde etiam in Paulinum illum, quem paulò ante explicavi, locum præclarè eſt in hanc ſententiam ſcriptum à Chryſoſtomo: Σημεῖον, inquit, καὶ οὐ τότε ἐστὶν ὅταν πρᾶγμα φαίνεται· ὅταν δὲ σοὶ οὐκ ἔστιν ἡ πίστις, ὡς ἂν μὴ ταύτην ἔχῃς, οὐδὲ τὸ σημεῖον λοιπὸν εἶναι σημεῖον δύναται. Τίνος γὰρ σημεῖον ἔσται; τινὸς δὲ σφραγὶς; οὐκ ὄντος σφραγιζομένου. En Chryſoſtomum! Dicit ſigil-

gilla tum demum officium ſuum facere, cum, quæ obſignatur, res adſit: Hac autem abſente ipſum etiam abiiſſe in nihilum. Et paulò poſt addit, ὥστε καταγέλαστος ἡ περιτομὴ τῆς πίστεως ἔνδον οὐκ οὔσης. Quamobrem ſcimus de promiſſionum divinarum veritate mentes humanas per Spiritum Sanctum obfirmari: Sed Spiritum Sanctum etiam ipſum ad id ſacra mente quaſi quædam prædicandæ gratiæ teſtimonia atque Symbola aptiſſima adhibere: nempe ut ipſi res eas, quarum ſigilla accepimus, altius repetamus animis, ſuo pondere & momento metiamur. Unde eodem in loco dicit Divus Chryſoſtomus: Διὰ γὰρ τοῦτο ἔλαβες σημεῖον, ἵνα τὸ πρᾶγμα ἐπιζητῇς οὗ τὸ σημεῖον ἔχεις, ὡς εἴγε ἔμελλες αὐτὸ χωρὶς τοῦ ἐπιζητεῖν, οὐκ ἂν ἐδέησέ σοι τούτου. Audis Chryſoſtomum. *Ideò*, inquit, *ſigillum accepiſti, ut quodvis ac debes conſiderare & prædicare beneficium, prius accuratè perquiras atque exiſtimes.* Audis hoc etiam dicentem Chryſoſtomum: ſigillis iſtis opus non fuiſſe, ſi ſine iis rerum geſtarum magnitudinem, rectè & ſat dignis modis metiremur.

Quòd ſcribis, ex ſententia Pauli, circumciſione *juſtitiam non afferri, ſed ſine ea priùs fide ſolâ perfectam probari tantùm ac demonſtrari:* id tam abeſt ut negem ut quoniam

niam noſtræ ſententiæ ſtabiliendæ ſervit, Chryſoſtomi quoque teſtimonio comprobandum putem. Is eundem enim in locum ſcribens, ajt: Ου τοῦτο δὲ κηρύττει μόνον ἡ περιτομὴ τὴν δικαιοσύνην, ἀλλὰ καὶ τὴν ἐν ἀκροβυστίᾳ δικαιοσύνην. Quod idem valet ac ſi diceret: circumciſio ſigillum eſt ejusmodi, ut non ſolùm teſtetur Abrahamum eſſe juſtum, verùm etiam obſignet, eum hanc gratiam fide, priùsquàm circumcideretur, conſecutum eſſe. Ex quo perſpicuum eſt, quam intus in animis noſtris Spiritus Sanctus operatur, eam Sacramentis depingi, ſignificari, repræſentari, atque etiam exprimi gratiam. Id ſi verum ſit, uti profectò ſit neceſſe eſt; conſequens eſt, eam etiam obſignari. Nam quò plenius ac melius rem cognôris, hoc minus tibi de ea poteſt eſſe dubium. Ergo illa tam certa atque ſolida divinæ gratiæ cognitio, quoniam ex viva illa, quam Spiritus Sanctus expreſſam nobis ob oculos ponit, pictura quodammodo affertur, ſatis magno argumento eſt, Sacramenta, quemadmodum diximus, eſſe divinæ gratiæ ſigilla atque teſtimonia.

De ſigillo ſic ſcribis nos argumentari: *Hoc eſt hujus rei ſigillum, igitur hanc rem eſſe veram mihi probat.* Quod tu putas minimè conſequi

ſequi, cum ipſe literarum à Principe conceſſarum argumentum & veritatem antea nôris quàm obſignata eſſent. Ego verò ſic eam rem æſtimo. At ut verbis aut ſcripto Rex promiſſum exponit ſuum, teque id alterutro modo cognoſcere neceſſe eſt. Sed ſcripto expreſſum hic dicis, ac propterea ex ſcripto cognitum habes. Jam quæro, utrum ſine ſigillo, ac tantùm ſolis chartis deſcriptum hoc promiſſum velis, an verò obſignatum tibi malis porrigi? Utrum hic malis, neſcio, quid ego potiùs velim dicam: obſignatas malim, quàm ſolas ſine ſigillo tabulas. Quî id ita? Quod quócunque tabulas has attulero, ſciam iis niſi obſignatis fidem non haberi. Quid tuâ, inquis, refert, credant ne an non alii, dum tu tibi illud promiſſum ſcias? Sanè, inquam ego, per multùm meâ refert, idque experior, in omni genere diſceptationum, atque etiam in foro. Ut præclarè dixerit Perſius: *Tuum ſcire nihil eſt, niſi te ſcire ſciat & alter.* Neque enim me., utut factimihi promiſſi certus ſim, adversùs quémque tueri poſſum, ſi literas proferam, nullo ſigillo confirmatas. Quamobrem tua res agitur Læli, ſigillum ut habeas: nempe ut ſi quis neget hoc indultum Regis eſſe, téque ipſum dicat eas

literas forſan, exarâſſe: tu ſigilla non tua ſed regias eſſe probes. Igitur ſigilla ad hoc conducunt etiam, ut quod ipſi bonitate & veritate & conſtantia promittentis freti nos conſecuturos arbitramur: id etiam ſi res poſtulet, & ſcripto promiſſum exprimente & ſigillo hoc ipſum obſignante poſſis comprobare. Unde exiſtit hæc literarum omnium ſolennis clauſula: *In quorum omnium fidem ſigillum noſtrum hiſce literis appendi curavimus.* Inde etiam Jureconſulti ſtatuunt, teſtatorem, qui ſigillum ſuum teſtamento confirmando appenderit; ſi id poſtea demat, eo facto Teſtamentum infirmâſſe: quando naturæ conſentaneum eſſe, eo genere quodque diſſolvi, quo ſit colligatum, Ulpianus pronuntiârit, in l. *nihil tam naturale. Aff. de reg. Iur.* Multa apud eoſdem in hanc ſententiam verè & egregiè diſputata ſunt, quæ cum non ſint inſtitutæ ſcriptionis, deditâ operâ prætereo.

Scribis deinceps, *ſigilla rebus celandis magis quàm confirmandis adhiberi,* & ejus generis ſigillum cenſes circumciſionem. Ego dico ſigilla *quandoque celandis, ſemper autem confirmandis rebus adhiberi.* Fit enim ut meas literas obſignem, quò tabellarium, qui illas ad amicum perfert, ipſarum lectione prohibeam. Sed quid dices de literis a-

pertis;

pertis. Ut de iis, quibus Teſtamenta, privilegia, pacta, fœdera, quæque alia hujus generis deſcripta continentur? Sanè conſuetudo paſſim obtinuit, ut ſigilla probent ſine ſubſcriptione. Et doctoribus videtur ſigillum officialis ad probationem ſufficere juxta Can. *cum dilectus &c.* de fide inſtrumentorum. Circumciſione verò juſtitiam, ſecus quàm ipſe ſtatuis, ego magis ſignificari, prædicari, demonſtrari, quàm occultari, non modò Chryſoſtomi paulò anteà ſcriptis, verùm etiam tuis ipſius ſupra poſitis verbis aſſero.

Circumciſione gentilium ſeu Ethnicorum hominum, fidem confirmari non opus eſt, cùm iis, qui paſtorem Chriſtum ſecuti in illud ovile ſunt ingreſſi, Baptiſmus præſtet idem, quod Judæis olim circumciſio.

In Exemplo Abrahæ quæris, *quomodo circumciſio ſigillum ſit ejus quæ in præputio fuerit juſtitiæ?* Ad id melius Oecumenii quàm meis ipſius verbis reſpondero. Is enim in eum locum ſcribens, ajt: Εἰδὲ σημείων ἕνεκεν καὶ σφραγῖδας ἔλαβεν αὐτὴν, οὐδὲν αὕτη πρὸς τὴν δικαιοσύνην συνετέλησε, ἀλλὰ μόνον τὸ τοιῶσδε δεδικαιῶσθαι ἐσήμαινε, τοῦτ᾽ ἔστι ὅ τι ἐν τῇ ἀκροβυστίᾳ ὢν ἠξιώθη δικαιοσύνης. In eam ſententiam nos quoque ſtatuimus, neque circum-

ciſione, neque Sacramentis reliquis afferri juſtitiam; ſed eandem Spiritu Sancto parente procreatam atque effectam, myſteriis illis ſignificari atque exprimi. Nam ſi, ut *Oecumenius* videtur dicere, ſigilli inſtar circumciſionem accepit Abrahamus, ipſa ad juſtitiam perficiendam momenti nihil attulit circumciſio: ſed ipſam jam ante conceſſam, quod eſt ſigilli proprium, quaſi quodam modò obſignavit. Ex quo ſequitur, quòd ipſum Deus etiam dum haberet adhuc præputium juſtitiæ munere dignatus ſit.

In altera tuæ ſcriptionis parte verba ex conſenſione hæc affers. *Cùm autem vera ſint quæ nobis Dominus dederit gratiæ ſuæ teſtimonia, &c.* Et dicis, *nos Sacramentis nimium tribuere, & inverſo ordine Spiritualem veritatem colligere:* quaſi propterea certum ſit Chriſtum eſſe noſtrum, quia Sacramenta nobis hoc ipſum repræſentant. At nos Sacramentis non nimiùm tribuimus: & certè, Læli, primus tute dicis in illam nos peccare partem, qui Lutheranis videbamur his nunquam ſatis tribuere. Verùm, quid illis tribuerimus, conſidera. Dicimus, Deum in animis hominũ ſuo Spiritu perficere quod oculorum atque aurium ſenſibus hæ ceremoniæ ſignificant: hoc eſt, nos quemadmodum

dum pane veſcimur ad conſervandam corporum vitam atque incolumitatem, ſic toto Chriſto, ut ſalvi ſimus, perfrui: itémque nos quemadmodum extrinſecus potu, ſic intrinſecus Chriſti ſanguine refici. Hoc ne eſt nimium? At vim ſignificantem atque obſignantem Sacramentis, facultatem efficientem rebus adumbratis acceptam ferimus. Eſt enim obſignare ſignis, efficere Spiritûs Sancti ſeu rerum ſignatarum proprium. Quod ſalutis & bonorum cœleſtium ſpem, adhibitis Sacramentis, eo ipſo magis confirmari dicimus, *quodq́; vera ſint hac ſignacula*, nec id ipſum etiam eſt nimium. Neque enim dicimus, quia ſunt ſigna ſive teſtimonia: ſed quia vera ſunt atque etiam ab eo qui veritas eſt, inſtituta. Jam ſi verum ex eo quod verum eſt, colligitur, quemadmodum falſum ſequitur ex falſo: conſtabit argumentum, quo colligimus, verè nobis ea probari, quæ hæc ſigna vera ſignificant. Atque eodem argumento, quæ deinceps omnia, refutari poſſunt.

In hac parte hæc ex noſtra confeſſione verba affers: *Quare, etſi diſtinguimus inter ſigna & res ſignatas: tamen non disjungimus à ſignis veritatem, &c.* Quod unde probem, & quæ ſit illa cum ſignis conjuncta veritas

interrogas. Ego verò velim hæc eorum cauſa adjecta putes, quibus *videmur ex Sacramentis nuda atq; inania ſigna facere.* Nam, quia negamus abſurdum illud de tranſſubſtantiatione dogma: tum etiam reſpuimus illam alteram de Chriſti in cœna carnali præſentia ab hac non longè remotam opinionem: idcò videmur aliquibus vacua ſigna ponere: Nos autem quum hæc ſigna pro veris & divinis accipimus: atque etiam, quod paulò ante ex Chryſoſtomo dictum eſt, arbitramur, hæc ſigna, ſi promiſſæ res abſint, non ampliùs fungi ſignorum munere, ſtatuimus earum nos rerum fruitionem præſentem obtinere, quarum illæ picturam nobis inconſpectum ponunt. Neque verò dicimus hæc nobis tunc, demum cum Sacramentis utimur, præberi beneficia: verùm ante data Sacramentis repræſentari pariter atque obſignari.

Quod denique fidem his foveri, confirmari, provehi dicimus, multáque prætere a vocabula afferimus, quibus Sacramentorum uſus atq; utilitates explicamus: id tu, Læli, non ob id improbabis, quòd eas voces in ipſis Bibliis nuſquam expreſſas habeamus. Cur enim hoc iis, qui Sacrarum literarum ſunt interpretes non liceat? Quin cogites, nos, ſi nulla ad ſcripturarum ex-

expoſitionem verba alia, quàm quæ extant in ipſis expreſſa adhiberemus; non expoſitores, ſed lectores eſſe. Verùm, ſi Moſi licuit decem leges illas, quas paucis verbis expreſſas divinitùs acceperat, aliis atque aliis verbis explicare, cur nobis hoc negares, quorum expoſitionem videas à veritate ne tranſverſum, quod ajunt unguem deerrare? Quaproptcr, licèt iſthæc Sacramentorum attributa in ipſis Bibliis expreſſa nuſpiam invenias: tamen ea quum & ſacris literis & myſteriorum naturæ ſunt conſentanea jure nullo repudiabis.

Quæ deinceps de *Sacramentis* dici poſſunt ac ſolent, ut quid quantúmque illis ſit tribuendum: quid inter hæc & reliqua ſigna ſit differentiæ: unde Sacramenti nomen exortum ſit: à quo & quot numero ſint inſtituta, quæque ſunt ejusdem generis alia, non eſt ſive hujus loci, ſive hujus temporis perſequi. Præſertim cum hanc ipſam qua de nobis eſt oratio, conſenſionem *Calvinus* præſtantiſſimus Chriſti ſervus defenderit: tum etiam de Sacramentis *Bullingerus*, & *Viretus* viri doctiſſimi prolixè ſcripſerint. Hoc ſupereſt, Læli chariſſime, ut quæ ſuccíſivis horis ad Epiſtolam tuam collecta, ad te ſcripſi in optimam partem accipias. Mihi quidem in votis fuit,

& tibi, cui me chariſſimum eſſe ſentio, tam juſta petenti, tàmque præclara cupienti quoad poſſem ſatisfacere: & ita ſubinde brevitati ſtudere, ut ne tractatu verboſiore graviores cogitationes tuas perturbarem. Quamobrem erit mihi gratiſſimum, ſi intelligam has literas eo nomine tibi gratas atque probatas eſſe. Dat. III. Id. Febr. an. M. D LV.

Hæc de primis turbulenti ingenii ſpeciminibus. Quo loco has Epiſtolas habuerit Lælius, nondum certo comperi; illud tamen ipſius Socini, quam habeo conſtat, manu, eum authorem Epiſtolæ, magni feciſſe. Ita enim verba ejus ad authorem ſonant: *Nihil gratius mihi poterat contingere: Verùm ipſe ad te veniam, & gratias agam. Interea bene & feliciter vale, mi Domine N. quem ego pluris facio, & magis diligo atque peto, quàm re ipſa declaraverim. Sed occaſio dabitur, ut me vera loqui & ſcribere intelligas.* Sive pro miſſis literis, ſive alio beneficio gratias egerit, certum eſt, leonem nondum prodi, ſed veluti ovem, errantem tamen, aut infirmam tractari voluiſſe. Certè, noluiſſe haberi ἀϑεϱέπτδτον, vel hinc elucet, quòd anno adhuc 1557. dignus ejuſdem Epiſtolarum authoris commendatione habitus fuerit. Verbo, *ingenio adeò fuit tecto & hyp*

hypocritico, ut deprehendi non poſſet; Alting. Theol. Hiſtor. l. 1. pag. 65.

Atque talem quidem ſe præbuit *Lælius Socinus* tum in Helvetia, tum etiam in Saxonia, ubi triennium integrum cum Philippo Melanchthone exegit. Poſt obitum demum qui in annum Chriſti 1562. ætatis 37. incidit, nepos ex fratre *Fauſtus*, patrui ſcripta convaſavit, in Italiam primum, poſtea Poloniam abiit, infeliciſſimúmque abortum peſtilentiſſimæ ſectæ extruſit. *Alterum*, veluti Crobyli jugi ſocium, addimus, *Bernhardinum Ochinum*, Senenſem, qui quas turbas dederit, vel in vulgus notum eſt. Ejectus tandem Tiguro, graves ubique, ſed injuſtas movit querelas: quibus ſatisfecerunt pridem Miniſtri Eccleſiæ Tigurinæ, *Spongiâ, adverſus aſpergines Bernardini Ochini, qua vera cauſa exponuntur, ob quas ille ab urbe Tigurina fuit relegatus.* Habet tractatus non pauca, quæ Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lucem afferunt, quem proinde αὐτολεξεὶ inſeremus.

Edidit ſuperioribus diebus *Bernhardinus Ochinus* Senenſis Dialogum, quo coràm univerſa Dei Eccleſia queritur, maxima ſua injuria, & ſumma iniquitate Senatus, Miniſtrorumque Tigurinæ Urbis & Eccleſiæ, nuper ejectum ſe eſſe Tiguro in exilium.

Brevi

Brevi autem ſcripto illo ſuo effecit, ut qui hactenus illum non noverunt, nôſſe diſcant, omnéſque qui audierint, quid cum ipſo ſit actum, intelligant ea clementia, quâ ſenex ille dimiſſus eſt Tiguro, à clementiſſimo Senatu Tigurino, fuiſſe indignum, contexeréque illum impudentiſſimas calumnias, ac ſe ingratiſſimum exhibere contra bene meritos. Non compenſabimus nos convitia convitiis. Habebimus enim nos rationem & noſtri, & Miniſterii noſtri Sancti, non ea ſpectantes, quibus ſenex ille. Quid deceat modeſtos & veraces Eccleſiæ Dei miniſtros. Nam non libet in hoc nos pervolvere cœno, & multò minus honeſtas lectorum defœdare ac aggravare aures. Vincat hac in re, dicat ille, noceátque ſibi ipſi, & iis quorum pectora felle virent, lingua eſt ſuffuſa veneno. Et quantum ad nos quidem pertinet, nihil prorſus dixiſſemus in publico de hac Bernhardini cauſa, cùm ut Eccleſiarum tranquillitati, alioquin plus nimium afflictæ, conſuleremus, tum ne à laſſo, quod dici ſolet, rixam petiiſſe diceremus, niſi ille acerbo ſuo Dialogo publicato, nos coëgiſſet cauſam illam agere in publico. Hactenus ergo condonent æqui Lectores nobis culpam, ſi modo culpa eſt dicenda, cum

cum quis accuſationem immoderatam & iniquiſſimam reſponſione modeſta & æqua brevique, nec etiam inutili à ſe depellit. Ante omnia verò brevibus, & ferè commemorabimus quæ acta ſint ab ampliſſimo Tigurino Urbis ſenatu, cum Bernhardino. In qua actione & Miniſtrorum Eccleſiæ cauſa comprehenſa cognoſcetur.

Menſe Novembri præteriti Anni 1563. cives quidam Tigurini profecti ad nundinas Baſileenſium inciderunt in diverſorio publico, in hominem quendam Nobilem, plurima de religione garrientem, ac inter cætera, & quidem ad menſam, in frequenti convivarum corona, palàm dicentem, Tiguro, Urbe peſtifera prodire in orbem hæreſes abominandas & ſcelerata dogmata. Nam eſſe Tiguri Italicum quendam Concionatorem, qui ediderit de Polygamia librum hæreticum, ſceleratúmque. Quòd ſi quis de fide eorum quæ dixit, dubitat, en offero me, & promitto me ea, quæ dixi, legitimè approbaturum. Doluit hæc contumelia patriæ irrogata, Tigurinis civibus, eámque qua potuerunt fide, pietate, modeſtia ac diligentia à Patria ſua repulerunt, affirmantes, ſi talis prodiit liber, prodiiſſe ſanè illum Magiſtratu urbis inſcio, & improbantibus ipſum Eccleſiæ Mi-

niſtris:

niſtris: Addebant inſuper, domum reverſi, diligenter hæc exponemus Magiſtratui, quem ſperamus iñocentiam patriæ noſtræ, non minus fortiter quàm evidenter aſſerturum. Ergo ſimul ac in patriæ reverſi eſſent, univerſum iſtud negotium bona fide expoſuerunt. Quod cum Miniſtri intellexiſſent, mox illud ad Clariſſimum Conſulem urbis, pro ſuo officio, referri curarunt. Conſul autem pro ſua ſingulari fide & diligentia, librum Dialogorum *Bernhardini* aſſequutus, ipſum per Quæſtorem Urbis ærarium, ad Miniſtros Eccleſiæ miſit, mandans, ut Dialogum de Polygamia diligenter legant, totúmque ejus negotium mox referant ad Scholarchas. Paruerunt Miniſtri, conſulari cognitioni, ipſámque diſputationem Bernardini de Polygamiis converterunt in Linguam Germanicam, quam in cœtu Scholarcharum & Miniſtrorum Eccleſiæ recitaverunt. *Diſplicuit Diſputatio illa omnibus quàm vehementiſſimè.* Placuit autem unanimi conſenſu Scholarchis & Miniſtris, ut tres in Urbe Paſtores, totum hoc negotium poſtera die, ad Senatum Urbis Ampliſſimum referrent. Paſtores itaque Eccleſiæ in Urbe tres, poſtera die totum negotium, ita ut juſſi erant, ampliſſimo Senatui propoſuerunt. Diſputationi

tioni Bernardini nihil addiderunt, neque in ea quicquam mutaverunt. At libri Dialogorum jam in aliorum quoque non ſolorum Miniſtrorum manibus eſſe incipiebant. Ante hanc turbam nihil quidem iſtius vel viderant vel legerant Miniſtri. Itaque teſtabantur quod ampliſſimum ſenatum, ipſis quidem inſciis, hæc à Bernardino eſſe edita, neque antea à quocunque ipſorum lecta, tantum abeſſe ut hac in cauſa ipſum ſuis juverint conſiliis. Proinde orare ne quid ſiniſtri, hac in re ſuſpicari velint de Miniſtris, qui ſanctè ſentiant, doceántque de ſancto conjugio. Dolere ſanè ipſis plurimum quod vir ille, quondam in Italia non exiguæ authoritatis, præterea homo ſenex, qui jam attigerit annum ætatis ſuæ 76. qui item in hac ſua decrepita ætate liberos ex uxore, nuper defuncta, ſuſceperit, quiq; non melius ſibi ſuiſque, imò & Eccleſiæ, conſuluerit, quin infauſtum hoc alioquin argumentum Polygamiæ & quidem in corruptiſſimo illo noſtro ſeculo, in quo hujuſmodi Diſputationes fere abripiantur ad prætextum licentiæ carnis, tractare voluerit. Quod nulla planè jactura, imò uberiore cum fructu omittere potuiſſet, imò etiam debuiſſet, adeóque congruentiùs jam cogitâſſet aut diſſeruiſſet

etiam

etiam de libitina. Quod ſi omnino tractare voluerat, dexterius ſaltem, ſynceriuſque tractaſſet, ne lectores, vel modicè diligentes, fateri cogantur, illum argumenta omnia ſic inſtruere, ut videatur non ſine cauſa plus propendere in Polygamiam, quam Doctorem deceat Evangelicum, hoc eſt, illum validiore argumentorum acie Polygamiam aſtruere & defendere conari, quàm Polygamorum argumenta confutare: quâ in re dubium maliciâ an inſcitiâ hoc factum ſit, frigeat ille prorſus. Ergo tametſi ſenis vicem doleant Miniſtri, longe tamen eis dolere vehementius, quòd intempeſtiva, inepta, imò & prava hujus cauſæ tractatio & offendiculū pariat infirmis, & odium infamiámque, quod re ipſa modo ſit compertu, conciliet Urbi, Eccleſiam denique ipſam adverſariis noſtris ridendam imò & lacerandam propinet. Orare itaque Miniſtros, ut ampliſſimus ſenatus pro ſua pietate & prudentia, ita huic cauſæ conſulat, ut quid veritati ſynceræ decedat, aut Eccleſiæ Dei ignominiæ aut detrimenti accedat, omnes denique per alias Eccleſias intelligant, Tigurinorum Eccleſiam nihil communionis habere cum hujuſmodi Bernhardini Diſputationibus impuris.

Rur-

Rurſus verò & diligentiùs quidem rogati à quibuſdam Senatoribus Miniſtri, an Bernardinus certò & penitùs ſuorum illorum Dialogorum occuluerit? Reſponderunt illi, certò & penitus; quod & ipſum authorem, ſi rogetur à Magiſtratu, confirmaturum confidant. Denuo rogârunt, an verò Senatusconſultum, aut plebis ritum nôrit, in eos promulgatum, qui libros ſuos, vel hic vel alibi, cenſoribus delegatis neſcientibus, nondumque approbantibus, offerant Typographis imprimendos? Reſponderunt Miniſtri, Bernardinum antea quoque Baſileæ librum quendam edidiſſe: in quo quidem aliarũ Eccleſiarum Miniſtri quædam obſervârunt, quæ, niſi Miniſtri interceſiſſent, ſcriptis ſtatuerant oppugnare contrariis. Quâ occaſione oblatâ tres in Urbe Paſtores unâ Bernardinum acceſſiſſe, & cum eo ea de re amicè expoſtulâſſe, demum etiam monuiſſe ſeriò, ne pergeret amplius libros, quos ipſe vellet, & pro ſuo arbitrio, typographis excudendos, ſpargendóſque tradere, ſed pareret potiùs legi, cui & ipſos parere oporteat, præſertim cùm ille eodem cum reliquis Tigurinæ Eccleſiæ Miniſtris obſtringatur juramento, ad obediendum videlicet Magiſtratûs legibus non iniquis. Impatientiſſimè verò

itium amicam hanc admonitionem fraternámque correptionem tuliſſe, interim liquidò ſatis intellexiſſe à Paſtoribus, illi non licere hic vel alibi ſuos, pro ſuo arbitrio, libros ſpargere: Nihilominus tamen nunc, ut antea quoque, opus hoc ſuum Dialogorum abſque cenſura legitima protuliſſe in publicum.

Adjecit his omnibus Clariſſimus Dominus Conſul, videri omnino neceſſarium, ut à Miniſtris etiam alii ejus legantur Dialogi. Jubet illos inter ſe diſtribuant, mox verò quid ſinguli in ſuis obſervârint adnotandum, conſcribant in chartam, quam ad ipſum referant. Paruerunt & hac in parte Miniſtri, hanc etiam moleſtiam devorantes, ac qua potuerunt celeritate (Magiſtratus enim urgebat) Dialogos percurrerunt legendo, & ſummam annotatam Clariſſimo Domino Conſuli tradiderunt, admonentes hujus generis etiam alia annotari potuiſſe, niſi guſtum tantùm operis, & aliquot ſaltem ex multis capita, unde & de cæteris fieret judicium, proponere maluiſſent. Ac ne & hic quiſquam quicquam deſideret, candidè nunc, non verbotim exhibita, ſed capita duntaxat quædam extracta ſubjiciemus.

Dialogo 27. inducit quendam Euſebium

bium narrantem, *ſe peragrâſſe omnes Eccleſias Reformatas, ut diſpiceret, in qua manere, & quieſcere poſſit, cæterùm nullam planè inter omnes ſe reperiſſe, in qua potuerit vivere conſcientiæ. Mihi ergo uſu venit*, inquit, *quod columbæ à Noah emiſſæ; quæ nullum nacta locum, in quo ageret, reverſa eſt in arcam. Sic ego nullam nactus mundam Eccleſiam, revertor domum, in Hungariam, ubi ſpero, DEI ope, conſtiturum eſſe Eccleſiam, ab omnibus iis, quæ mihi in cæteris diſplicuerunt Eccleſiis, incontaminatam.*

Dialogo 13. aliâs oppugnat fervidè doctrinam Apoſtolicam, quâ confitemur, & docemus concorditer in omnibus Germaniæ, Galliæ, Angliæ cæteriſque per orbem Eccleſiis, *ſola fide fideles abſque operibus juſtificari.* DEUM enim ex gratia & Miſericordia ſua, propter incarnationem vel ſanguinem dilecti Filii ſui Domini Noſtri Jeſu Chriſti, peccata fidelibus non imputare, imputare autem ipſis Juſtitiam obedientiamque Chriſti. Dicit, eos, qui & vivam fidem habent, & dilectionem habere, ac adeò per obedientiam ſuam, quâ legem præſtant juſtificari poſſe. Neceſſarium eſſe, ut non peccemus, inſuper & juſti ſimus. Ibidem contendit, hominem ſine peccato vivere poſſe. Et hæc quidem alia, Judaica prorſus, inducit ſub perſo-

na Diſputatoris cujuſdam Jacobi Judæi. Cùm autem Diſputationem hujus impiam non diſſolvat, facilè licet colligere, quid his conetur Bernardinus efficere: maximè cum Dialogo 27 Fol. 372. ſub nomine ſuo, eadem repetat ſuis verbis, quæ ibi Jacobus ille de Juſtificatione diſputavit.

Dialogo 7. eidem illi Jacobo Judæo tribuit verba non ferenda, & planè blaſphema, neque illam rurſus, uti neceſſitas requirebat, diſſolvit. *Vos Meſſiam*, inquit ille, *ſatisfeciſſe pro peccatis Electorum, dicentes, falſum dicitis, & quod nuſquam in Vetere vel Novo fœdere vel diſertis, vel idem ſignificantibus verbis extat.* Et ſanè ſimili errore in eo quoque labimini, quòd nullo ſermone Dei docente, dicitis, Chriſtum nobis meruiſſe beatitatem. Quaſi Chriſtus Deum ad eam jure dandam obſtrinxerit, remota omni Dei Gratia. Et hæc quidem nomine Jacobi illius ſui recenſuit. Sed poſt quinque folia ſub ſuo ipſius nomine, ut concludam, inquit, hoc dico, quàmvis in S Literis, Chriſtum ſatisfeciſſe non ſit diſertis Verbis proditum, tamen eadem ſententia in eis extat, quomodo jam diximus. Itaque piè dici hoc poteſt. Hæc ille, quod ut falſiſſimum eſt, ſic, ut apertis Scripturæ teſtimoniis comprobari poteſt, ita nolumus fidem

noſtram niti explicatione impuri illius Senis. Fides, inquit Apoſtolus, ex auditu eſt, auditus a. per Verbum Dei. At fidei præcipuum caput eſt, Chriſtum morte ac ſanguine ſuo ſatisfeciſſe pro peccatis noſtris. Sermologi & Scholaſtici aliquando dicere ſolebant. piè credi, quod Scripturis non erat traditum, ſed ad devotionem excitandam, in animis ſimplicioribus, à, neſcio, quibus excogitatum. Nunquam ergo recipiemus Bernardini piè credendum.

Dialogo 27. cauſam Anabaptiſtarum ita tractat, ut quivis facilè videat, ipſum non eſſe hoſtem Anabaptiſtarum, aut certè ineptiſſimum diſputatorem, & quòd nullo ſuo detrimento, imò uberiore fructu Dialogis his Bernh. Eccleſia carere potuiſſet; diſputat ibidem contra morem, quo fideles ingredientes Templum, capita aperiunt, & adoraturi Deum, palàm in Templo procumbunt, denique quòd multi ad nomen Jeſu genua flectunt, Scripturas habemus apertè docentes aut teſtantes, Chriſtum eſſe propitiationem & ſatisfactionem noſtram, quæ omnia iſte numerat inter idololatrica, & ſuperſtitioſa, quæ ſibi conjunctam habeant vanam gloriam. Commendat autem Monachos & Monachiſmum, denique & Scholaſticam Theo-

logiam retegit, & omnibus aperit pectus ſuum faſtuoſum, & minimè ſincerum. Nos dicimus nunc, doctrinam Evangelicam non habuiſſe infenſiores hoſtes Monachis & religionem Chriſtianam damnum accepiſſe à Scholaſticis vexatoribus omnium maximum.

Dialogo 25. ajt, Miniſtros Tigurinæ Eccleſiæ in Cœtu Sacro & Cathedra Sacra non recitare Symbolum Apoſtolorum. At falſiſſimum hoc eſſe novit univerſa Chriſti Eccleſia. Neque gravi ſuſpicione caret, cum hoc, quod non ſine contemptu Veritas de Symbolo, tamen illud quoque quod antea contra adorantes aperientesque capita in Templo & contra inclinantes ſe ad nomen Jeſu, dixit.

Rurſus Dialogo 13. inducit Jacobum illum ſuum, dicentem, quæ ipſe tacendo ſe non improbare ſignificat, neque verò, inquit; verum eſt, quod ſolent dicere nonnulli, tametſi nullo docti Dei verbo, videl. nobis perpetuò orandum eſſe Deum, ut nobis condonet peccata. Neque verò eâ mente docuit nos orare Chriſtus, ut orantes univerſa illa verba dicamus: Sicuti multi falsò opinantur: Nec uſquam Sacris proditum eſt Literis, vel ipſum Dominum, vel Apoſtolos orando illa verba protulſ-

culiſſe &c. Quorſum v. hæc pertinent, niſi ad labefactionem orationis Sanctorum, & ad everſionem optimi ordinis Eccleſiaſtici.

Dialogo 21. tantâ levitate, imprudentiâ & inſinceritate tractat cauſam ſancti Conjugii, ut legi ea non poſſint absque offenſione gravi. Fœdiſſima ſunt planè & ſpurciſſima, quæ leguntur folio 208. objecit quidem tribus in Urbe Paſtoribus, Dominum Petrum Martyrem beatæ memoriæ hoc ipſum Polygamiæ argumentum publicè tractaviſſe in Schola, ſe proinde non videre cur ipſi idem facere per Dialogum non licuerit? Verùm Paſtores reſponderunt, Martyrem longè felicius, doctiùs, prudentius, exactiúſque, & uberiore cum fructu Eccleſiæ, cauſam iſtam tractaviſſe. Hunc enim validè refutâſſe argumenta Polygamorum adducta, quod Bernh. Dialogo ſuo non fecerit, ſi quid hujus alicubi conatus ſit, nullos ejus argumentis ineſſe nervos, denique ejus frigere omnia. Quinimò Bernh. ſuis ſolutionibus occaſionem potiùs dediſſe Polygamo, plura dicendi pro Polygamia, quæ ipſe deinceps non diſſolverit, ſed reliquerit in medio. Id quod notiſſimum eſt omnibus Dialogum illum legentibus, ſi voluerat ſcribere Dialogos, quare non imi-

tatus ſit Athanaſium in ſuis contra Arianos Dialogis, Hieronymum contra Pelagianos, aut Theodoretum contra Eutychianos? Nam hos adverſariorum vel Hæreticorum argumenta fideliter expoſuiſſe, ſed ſtrictim: At longè copioſiùs & fideliùs validiúſque illa confutâſſe. Contraria v. omnia apparere & reperiri in Bernh. Dialogo: Unde Viri boni colligunt, quòd aliunde interim agendo, & ſub perſona aliena. Polygami cauſam inſidiosè, & lubricè propoſuerit & defenderit.

Quo & illud imprimis videtur pertinere, quod fol. 219. *Quemadmodum*, inquit, *Abrahamus, Iacobus, aliique multi ad Polygamiam divinitus vocati fuerunt, ſic & nos poſſumus. Neque verò video, cur hoc remedio illis potiùs, quàm nobis opus fuerit.* At lubricus author dicet fortè, illa eſſe pronuntiata adverſarii nomine & perſona: ſe verò ſentire aliter. Cur ergo Dialogum ita concludit? T. *Quid verò mihi das conſilii?* O. *ut plures non ducas, ſed Deum ores, ut continentem te faciat.* T. *Quid ſi non faciat?* O. *faciet, ſi fidenter oraveris.* T. *Quid ſi nec donum mihi, nec ad petendum fidem dederit?* O. *Tum ſi id feceris, ad quod te Deus impellit, dummodo exploratum habeas divinum etiam inſtitutum, non peccabis. Siquidem in obediendo Deo errari*

ri non poteſt. Conferantur autem hæc inter ſe, & ex his fiat judicium. Et quàm facilè quæſo fuerit fingere homini vel impuro vel hypocritæ, ſe habere inſtinctum divinum in animo vehementiſſmum & certiſſimum? Decet ergo hujusmodi impura diſputatio hominem ſenem & Theologum, ſua opinione ter maximum & ſanctiſſimum.

Dialogo 28. inclinare videtur in eorum ſententiam, qui ſentiunt, *hæreticos, nomen Domini blaſphemantes, tolerandos eſſe, & non plectendos gladio.*

De adorando myſterio Trinitatis, & de divinitate Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Sp. Sancti, diſputatio exhauſit omnis omnium fædiſſimorum hæreticorum ſentinas, quas Dialogo 19. & 20. collectas, mundo, imprudentiſſimè, ut nihil dicamus aliud, miſcendo propinavit, moréque ſolito adverſariorum partes ſceleratas, atque blaſphemas, longè melius, validiúſque inſtruxit, quam poſtea confregerit, diluerit, ac confutarit, ut non temerè viſus ſit prudentioribus, magis commendare & inſinuare impuriſſimam doctrinam adverſariorum, quàm tueri & docere Orthodoxam atque Catholicam? Non dicimus jam, quod evidentiſſimos locos & illuſtria te-

 ſtimo-

Brevi autem ſcripto illo ſuo effecit, ut qui hactenus illum non noverunt, nôſſe diſcant, omnéſque qui audierint, quid cum ipſo ſit actum, intelligant ea clementia, quâ ſenex ille dimiſſus eſt Tiguro, à clementiſſimo Senatu Tigurino, fuiſſe indignum, contexeréque illum impudentiſſimas calumnias, ac ſe ingratiſſimum exhibere contra bene meritos. Non compenſabimus nos convitia conviitiis. Habebimus enim nos rationem & noſtri, & Miniſterii noſtri Sancti, non ea ſpectantes, quibus ſenex ille. Quid deceat modeſtos & veraces Eccleſiæ Dei miniſtros. Nam non libet in hoc nos pervolvere cœno, & multò minus honeſtas lectorum defœdare ac aggravare aures. Vincat hac in re, dicat ille, noceâtque ſibi ipſi, & iis quorum pectora felle virent, lingua eſt ſuffuſa veneno. Et quantum ad nos quidem pertinet, nihil prorſus dixiſſemus in publico de hac Bernhardini cauſa, cùm ut Eccleſia tum tranquillitati, alioquin plus nimium afflictæ, conſuleremus, tum ne à laſſo, quod dici ſolet, rixam petiiſſe diceremus, niſi ille acerbo ſuo Dialogo publicato, nos coëgiſſet cauſam illam agere in publico. Hactenus ergo condonent æqui Lectores nobis culpam, ſi modo culpa eſt dicenda,

cum quis accuſationem immoderatam & iniquiſſimam reſponſione modeſta & æqua brevique, nec etiam inutili à ſe depellit. Ante omnia verò brevibus, & ferè commemorabimus quæ acta ſint ab ampliſſimo Tigurino Urbis ſenatu, cum Bernhardino. In qua actione & Miniſtrorum Eccleſiæ cauſa comprehenſa cognoſcetur.

Menſe Novembri præteriti Anni 1563. cives quidam Tigurini profecti ad nundinas Baſileenſium inciderunt in diverſorio publico, in hominem quendam Nobilem, plurima de religione garrientem, ac inter cætera, & quidem ad menſam, in frequenti convivarum corona, palàm dicentem, Tiguro, Urbe peſtifera prodire in orbem hæreſes abominandas & ſcelerata dogmata. Nam eſſe Tiguri Italicum quendam Concionatorem, qui ediderit de Polygamia librum hæreticum, ſceleratúmque. Quòd ſi quis de fide eorum quæ dixit, dubitat, en offero me, & promitto me ea, quæ dixi, legitimè approbaturum. Doluit hæc contumelia patriæ irrogata, Tigurinis civibus, eámque qua potuerunt fide, pietate, modeſtia ac diligentia à Patria ſua repulerunt, affirmantes, ſi talis prodiit liber, prodiiſſe ſanè illum Magiſtratu urbis inſcio, & improbantibus ipſum Eccleſiæ Mi-

niſtris:

niſtris: Addebant inſuper, domum reverſi, diligenter hæc exponemus Magiſtratui, quem ſperamus iñocentiam patriæ noſtræ, non minus fortiter quàm evidenter aſſerturum. Ergo ſimul ac in patriæ reverſi eſſent, univerſum iſtud negotium bona fide expoſuerunt. Quod cum Miniſtri intellexiſſent, mox illud ad Clariſſimum Conſulem urbis, pro ſuo officio, referri curarunt. Conſul autem pro ſua ſingulari fide & diligentia, librum Dialogorum *Bernhardini* aſſequutus, ipſum per Quæſtorem Urbis ærarium, ad Miniſtros Eccleſiæ miſit, mandans, ut Dialogum de Polygamia diligenter legant, totúmque ejus negotium mox referant ad Scholarchas. Paruerunt Miniſtri, conſulari cognitioni, ipſamque diſputationem Bernardini de Polygamiis converterunt in Linguam Germanicam, quam in cœtu Scholarcharum & Miniſtrorum Eccleſiæ recitaverunt. *Diſplicuit Diſputatio illa omnibus quàm vehementiſſimè.* Placuit autem unanimi conſenſu Scholarchis & Miniſtris, ut tres in Urbe Paſtores, totum hoc negotium poſtera die, ad Senatum Urbis Ampliſſimum referrent. Paſtores itaque Eccleſiæ in Urbe tres, poſtera die totum negotium, ita ut juſſi erant, ampliſſimo Senatui propoſuerunt. Diſputa-

tioni

tioni Bernardini nihil addiderunt, neque in ea quicquam mutaverunt. At libri Dialogorum jam in aliorum quoque non ſolorum Miniſtrorum manibus eſſe incipiebant. Ante hanc turbam nihil quidem iſtius vel viderant vel legerant Miniſtri. Itaque teſtabantur quod ampliſſimum ſenatum, ipſis quidem inſciis, hæc à Bernardino eſſe edita, neque antea à quocunque ipſorum lecta, tantum abeſſe ut hac in cauſa ipſum ſuis juverint conſiliis. Proinde orare ne quid ſiniſtri, hac in re ſuſpicari velint de Miniſtris, qui ſanctè ſentiant, doceántque de ſancto conjugio. Dolere ſanè ipſis plurimum quod vir ille, quondam in Italia non exiguæ authoritatis, præterea homo ſenex, qui jam attigerit annum ætatis ſuæ 76. qui item in hac ſua decrepita ætate liberos ex uxore, nuper defuncta, ſuſceperit, quiq; non melius ſibi ſuiſque, imò & Eccleſiæ, conſuluerit, quin infauſtum hoc alioquin argumentum Polygamiæ & quidem in corruptiſſimo illo noſtro ſeculo, in quo hujuſmodi Diſputationes fere abripiantur ad prætextum licentiæ carnis, tractare voluerit. Quod nulla planè jactura, imò uberiore cum fructu omittere potuiſſet, imò etiam debuiſſet, adeóque congruentiùs jam cogitâſſet aut diſſeruiſſet

etiam

etiam de libitina. Quod ſi omnino tractare voluerat, dexterius ſaltem, ſynceriuſque tractaſſet, ne lectores, vel modicè diligentes, fateri cogantur, illum argumenta omnia ſic inſtruere, ut videatur non ſine cauſa plus propendere in Polygamiam, quam Doctorem deceat Evangelicum, hoc eſt, illum validiore argumentorum acie Polygamiam aſtruere & defendere conari, quàm Polygamorum argumenta confutare: quâ in re dubium malitiâ an inſcitia hoc factum ſit, frigeat ille prorſus. Ergo tametſi ſenis vicem doleant Miniſtri, longè tamen eis dolere vehementius, quòd intempeſtiva, inepta, imò & prava hujus cauſæ tractatio & offendiculũ pariat infirmis, & odium infamiámque, quod re ipſa modò ſit compertũ, conciliet Urbi, Eccleſiam denique ipſam adverſariis noſtris ridendam imò & lacerandam propinet. Orare itaque Miniſtros, ut ampliſſimus ſenatus pro ſua pietate & prudentia, ita huic cauſæ conſulat, ut quid veritati ſynceræ decedat, aut Eccleſiæ DEI ignominiæ aut detrimenti accedat, omnes denique per alias Eccleſias intelligant, Tigurinorum Eccleſiam nihil communionis habere cum hujuſmodi Bernhardini Diſputationibus impuris.

Rurſus verò & diligentiùs quidem rogati à quibuſdam Senatoribus Miniſtri, an Bernardinus certò & penitùs ſuorum illorum Dialogorum occuluerit? Reſponderunt illi, certò & penitus; quod & ipſum authorem, ſi rogetur à Magiſtratu, confirmaturum confidant. Denuo rogârunt, an verò Senatusconſultum, aut plebis ritum nôrit, in eos promulgatum, qui libros ſuos, vel hic vel alibi, cenſoribus delegatis neſcientibus, nondumque approbantibus, offerant Typographis imprimendos? Reſponderunt Miniſtri, Bernardinum antea quoque Baſileæ librum quendam edidiſſe: in quo quidem aliarũ Eccleſiarum Miniſtri quædam obſervârunt, quæ, niſi Miniſtri interceſſiſſent, ſcriptis ſtatuerant oppugnare contrariis. Quâ occaſione oblatâ tres in Urbe Paſtores unâ Bernardinum acceſſiſſe, & cum eo ea de re amicè expoſtulâſſe, demum etiam monuiſſe feriò, ne pergeret amplius libros, quos ipſe vellet, & pro ſuo arbitrio, typographis excudendos, ſpargendóſque tradere, ſed pareret potiùs legi, cui & ipſos parere oporteat, præſertim cùm ille eodem cum reliquis Tigurinæ Eccleſiæ Miniſtris obſtringatur juramento, ad obediendum videlicet Magiſtratûs legibus non iniquis. Impatientiſſimè verò

illum amicam hanc admonitionem fraternámque correptionem tuliſſe, interim liquidò ſatis intellexiſſe à Paſtoribus, illi non licere hic vel alibi ſuos, pro ſuo arbitrio, libros ſpargere: Nihilominus tamen nunc, ut antea quoque, opus hoc ſuum Dialogorum abſque cenſura legitima protuliſſe in publicum.

Adjecit his omnibus Clariſſimus Dominus Conſul, videri omnino neceſſarium, ut à Miniſtris etiam alii ejus legantur Dialogi. Jubet illos inter ſe diſtribuant, mox verò quid ſinguli in ſuis obſervârint adnotandum, conſcribant in chartam, quam ad ipſum referant. Paruerunt & hac in parte Miniſtri, hanc etiam moleſtiam devorantes, ac qua potuerunt celeritate (Magiſtratus enim urgebat) Dialogos percurrerunt legendo, & ſummam annotatam Clariſſimo Domino Conſuli tradiderunt, admonentes hujus generis etiam alia annotari potuiſſe, niſi guſtum tantùm operis, & aliquot ſaltem ex multis capita, unde & de cæteris fieret judicium, proponere maluiſſent. Ac ne & hic quiſquam quicquam deſideret, candidè nunc, non verbotim exhibita, ſed capita duntaxat quædam extracta ſubjiciemus.

Dialogo 27. inducit quendam Euſebium

bium narrantem, *ſe peragrâſſe omnes Eccleſias Reformatas, ut diſpiceret, in qua manere, & quieſcere poſſit, caterùm nullam planè inter omnes ſe reperiſſe, in qua potuerit vivere conſcientia. Mihi ergo uſu venit*, inquit, *quod columbæ à Noah emiſſæ; quæ nullum nacta locum, in quo ageret, reverſa eſt in arcam. Sic ego nullam nactus mundam Eccleſiam, revertor domum, in Hungariam, ubi ſpero, DEI ope, conſtiturum eſſe Eccleſiam, ab omnibus iis, quæ mihi in cæteris diſplicuerunt Eccleſiis, incontaminatam.*

Dialogo 13. aliâs oppugnat fervidè doctrinam Apoſtolicam, quâ confitemur, & docemus concorditer in omnibus Germaniæ, Galliæ, Angliæ cæteriſque per orbem Eccleſiis, *ſola fide fideles abſque operibus juſtificari.* DEUM enim ex gratia & miſericordia ſua, propter incarnationem & ſanguinem dilecti Filii ſui Domini Noſtri Jeſu Chriſti, peccata fidelibus non imputare, imputare autem ipſis Juſtitiam obedientiamque Chriſti. Dicit, eos, qui & vivam fidem habent, & dilectionem habent, ac adeò per obedientiam ſuam, quâ legem præſtant juſtificari poſſe. Neceſſarium eſſe, ut non peccemus, inſuper & juſti ſimus. Ibidem contendit, hominem ſine peccato vivere poſſe. Et hæc quidem alia, Judaica prorſus, inducit ſub perſo-

na Diſputatoris cujuſdam Jacobi Judæi. Cùm autem Diſputationem hujus impiam non diſſolvat, facilè licet colligere, quid his conetur Bernardinus efficere: maximè cum Dialogo 27 Fol. 372. ſub nomine ſuo, eadem repetat ſuis verbis, quæ ibi Jacobus ille de Juſtificatione diſputavit.

Dialogo. 7. eidem illi Jacobo Judæo tribuit verba non ferenda, & planè blaſphema, neque illam rurſus, uti neceſſitas requirebat, diſſolvit. *Vos Meſſiam*, inquit ille, *ſatisfeciſſe pro peccatis Electorum, dicentes, falſum dicitis, & quod nusquam in Vetere vel Novo fœdere vel diſertis, vel idem ſignificantibus verbis extat.* Et ſanè ſimili errore in eo quoque labimini, quòd nullo ſermone Dei docente, dicitis, Chriſtum nobis meruiſſe beatitatem. Quaſi Chriſtus Deum ad eam jure dandam obſtrinxerit, remota omni Dei Gratia. Et hæc quidem nomine Jacobi illius ſui receuſuit. Sed poſt quinque folia ſub ſuo ipſius nomine, ut concludam, inquit, hoc dico, quàmvis in S Literis, Chriſtum ſatisfeciſſe non ſit difertis Verbis proditum, tamen eadem ſententia in eis extat, quomodo jam diximus. Itaque piè dici hoc poteſt. Hæc ille, quod ut falſiſſimum eſt, ſic, ut apertis Scripturæ teſtimoniis comprobari poteſt, ita nolumus fidem

noſtram

noſtram niti explicatione impuri illius Senis. Fides, inquit Apoſtolus, ex auditu eſt, auditus a. per Verbum Dei. At fidei præcipuum caput eſt, Chriſtum morte ac ſanguine ſuo ſatisfeciſſe pro peccatis noſtris. Sermologi & Scholaſtici aliquando dicere ſolebant, piè credi, quod Scripturis non erat traditum, ſed ad devotionem excitandam, in animis ſimplicioribus, à, neſcio, quibus excogitatum. Nunquam ergo recipiemus Bernardini piè credendum.

Dialogo 27. cauſam Anabaptiſtarum ita tractat, ut quivis facilè videat, ipſum non eſſe hoſtem Anabaptiſtarum, aut certè ineptiſſimum diſputatorem, & quòd nullo ſuo detrimento, imò uberiore fructu Dialogis his Bernh. Eccleſia carere potuiſſet; diſputat ibidem contra morem, quo fideles ingredientes Templum, capita aperiunt, & adoraturi Deum, palàm in Templo procumbunt, denique quòd multi ad nomen Jeſu genua flectunt, Scripturas habemus apertè docentes aut teſtantes, Chriſtum eſſe propitiationem & ſatisfactionem noſtram, quæ omnia iſte numerat inter idololatrica, & ſuperſtitioſa, quæ ſibi conjunctam habeant vanam gloriam. Commendat autem Monachos & Monachiſmum, denique & Scholaſticam Theo-

logiam retegit, & omnibus aperit pectus ſuum faſtuoſum, & minimè ſincerum. Nos dicimus nunc, doctrinam Evangelicam non habuiſſe infenſiores hoſtes Monachis & religionem Chriſtianam damnum accepiſſe à Scholaſticis vexatoribus omnium maximum.

Dialogo 25. ajt, Miniſtros Tigurinæ Eccleſiæ in Cœtu Sacro & Cathedra Sacra non recitare Symbolum Apoſtolorum. At falſiſſimum hoc eſſe novit univerſa Chriſti Eccleſia. Neque gravi ſuſpicione caret, cum hoc, quod non ſine contemptu Veritas de Symbolo, tamen illud quoque quod antea contra adorantes aperientesque capita in Templo & contra inclinantes ſe ad nomen Jeſu, dixit.

Rurſus Dialogo 13. inducit Jacobum illum ſuum, dicentem, quæ ipſe tacendo ſe non improbare ſignificat, neque verò, inquit, verum eſt, quod ſolent dicere nonnulli, tametſi nullo docti Dei verbo, videl. nobis perpetuò orandum eſſe Deum, ut nobis condonet peccata. Neque verò eâ mente docuit nos orare Chriſtus, ut orantes univerſa illa verba dicamus: Sicuti multi falsò opinantur: Nec uſquam Sacris proditum eſt Literis, vel ipſum Dominum, vel Apoſtolos orando illa verba protuliſ-

culiſſe &c. Quorſum v. hæc pertinent, niſi ad labefactionem orationis Sanctoru., & ad everſionem optimi ordinis Eccleſiaſtici.

Dialogo 21. tantâ levitate, imprudentiâ & inſinceritate tractat cauſam ſancti Conjugii, ut legi ea non poſſint absque offenſione gravi. Fœdiſſima ſunt planè & ſpurciſſima, quæ leguntur folio 208. objecit quidem tribus in Urbe Paſtoribus, Dominum Petrum Martyrem beatæ memoriæ hoc ipſum Polygamiæ argumentum publicè tractaviſſe in Schola, ſe proinde non videre cur ipſi idem facere per Dialogum non licuerit? Verùm Paſtores reſponderunt, Martyrem longè felicius, doctiùs, prudentius, exactiúſque, & uberiore cum fructu Eccleſiæ, cauſam iſtam tractaviſſe. Hunc enim validè refutâſſe argumenta Polygamorum adducta, quod Bernh. Dialogo ſuo non fecerit, ſi quid hujus alicubi conatus ſit, nullos ejus argumentis ineſſe nervos, denique ejus frigere omnia. Quinimò Bernh. ſuis ſolutionibus occaſionem potius dediſſe Polygamo, plura dicendi pro Polygamia, quæ ipſe deinceps non diſſolverit, ſed reliquerit in medio. Id quod notiſſimum eſt omnibus Dialogum illum legentibus, ſi voluerat ſcribere Dialogos, quare non imi-

tatus ſit Athanaſium in ſuis contra Arianos Dialogis, Hieronymum contra Pelagianos, aut Theodoretum contra Eutychianos? Nam hos adverſariorum vel Hæreticorum argumenta fideliter expoſuiſſe, ſed ſtrictim: At longè copioſiùs & fideliùs validiúſque illa confutâſſe. Contraria v. omnia apparere & reperiri in Bernh. Dialogo: Unde Viri boni colligunt, quòd aliunde interim agendo, & ſub perſona aliena, Polygami cauſam inſidiosè, & lubricè propoſuerit & defenderit.

Quo & illud imprimis videtur pertinere, quod fol. 219. *Quemadmodum*, inquit, *Abrahamus, Iacobus, aliique multi ad Polygamiam divinitus vocati fuerunt, ſic & nos poſſumus. Neque verò video, cur hoc remedio illis potiùs, quàm nobis opus fuerit.* At lubricus author dicet fortè, illa eſſe pronuntiata adverſarii nomine & perſona; ſe verò ſentire aliter. Cur ergo Dialogum ita concludit? T. *Quid verò mihi das conſilii?* O. *ut plures non ducas, ſed Deum ores, ut continentem te faciat.* T. *Quid ſi non faciat?* O. *faciet, ſi fidenter oraveris.* T. *Quid ſi nec donum mihi, nec ad petendum fidem dederit?* O. *Tum ſi id feceris, ad quod te Deus impellit, dummodo exploratum habeas divinum etiam inſtitutum, non peccabis. Siquidem in obediendo Deo errari*

ri non poteſt. Conferantur autem hæc inter ſe, & ex his fiat judicium. Et quàm facilè quæſo fuerit fingere homini vel impuro vel hypocritæ, ſe habere inſtinctum divinum in animo vehementiſſimum & certiſſimum? Decet ergo hujusmodi impura diſputatio hominem ſenem & Theologum, ſua opinione ter maximum & ſanctiſſimum.

Dialogo 28. inclinare videtur in eorum ſententiam, qui ſentiunt, *hæreticos, nomen Domini blaſphemantes, tolerandos eſſe, & non plectendos gladio.*

De adorando myſterio Trinitatis, & de divinitate Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Sp. Sancti, diſputatio exhauſit omnis omnium fœdiſſimorum hæreticorum ſentinas, quas Dialogo 19. & 20. collectas, mundo, imprudentiſſimè, ut nihil dicamus aliud, miſcendo propinavit, moréque ſolito adverſariorum partes ſceleratas, atque blaſphemas, longè melius, validiúſque inſtruxit, quam poſtea confregerit, diluerit, ac confutarit, ut non temerè viſus ſit prudentioribus, magis commendare & inſinuare impuriſſimam doctrinam adverſariorum, quàm tueri & docere Orthodoxam atque Catholicam? Non dicimus jam, quod evidentiſſimos locos & illuſtria teſtimo-

ſtimonia Scripturæ de Dei Filio, vel divinitate Chriſti mirificè divexârit, atque detorſerit. Ea re quid intenderit ille, qui corda judicat, rectiùs perſpicit, quàm nos videamus.

Multa ſunt alia quoque in ipſis Dialogis nullo judicio, nulla neceſſitate vel cauſa, nullave pia & juſta eruditione tractata, quæ neque ad inſtitutionem, vel emendationem vitæ, neque ad ædificationem Eccleſiarum, imò ne ad fidei quoque augmentum & confirmationem tantillum faciunt, ſed diffidentiam potius, dubitationemve, rixas item & offenſiones graves pariunt atque fovent; ut optandum eſſet, Dialogos illos nunquam fuiſſe vel ſcriptos vel editos. Hæc eſt ſumma eorum, quæ à Miniſtris conſignata ſunt ex iſtius Dialogis & Clariſſ. D. Coſ. exhibita.

Reſtat, ut nonnihil porrò dicamus de ſententia ampliſſimi Senatus contra *Bernhardinum* prolata; quam ille tantopere exagitat, iniquitatiſque falsò accuſat. Diu, multúmq; eſt de hac ejus cauſſa in Senatu tractatum, atq; conſultatum, tandem verò votis concordibus pronuntiatum, *authorem Dialogorum etiam ex urbe dimittendum*, ut omnes per orbem Eccleſiæ, ad quas Dialogi hi pervenerunt, ex dimiſſione intelligant,

gunt, Tigurinorum Eccleſias, atque Remp. Dialogos Bernardini non approbare. Interim quo minus ille conqueri poſſit (licèt culpa ejus libris per orbem diſperſis, maniſeſtè ſatis ſit expoſita) non auditum ſe, aut cauſa nondum diligentius cognita, urbe ejectum eſſe, placere, ut alter Conſulum una cum tribus aliis præclaris è Senatu viris, Bernardinum noſtrum vocent in Curiam Senatoriam, eique exponant totum hoc negotium, deinde reſpondentem audiant, & reſponſum ejus poſtridie iterum ad Senatum referant. Quod quidem iſti, ſicut decretum erat, diligentiſſimè ſunt exequuti. In ſua reſponſione negare non potuit, Dialogos eſſe ſuos, & à ſe editos: negavit autem, ſe ſciviſſe, ipſi non licuiſſe alibi vulgare; fatebatur, Paſtores Urbis, aliquid ei dixiſſe, de non vulgandis libris à Cenſoribus non approbatis. Addebat his tamen, ſe nihilominus exiſtimâſſe, licuiſſe ſibi libros ſuos evulgare, approbatos à Baſilienſis Eccleſiæ Cenſoribus, affirmabátque tunc, ſuos illos Dialogos à Cenſoribus Baſileenſibus approbatos eſſe. Quod tamen & ipſum poſtea deprehenſum atque compertum eſt, falsò ipſum affirmaviſſe: Nam & Baſileenſés venientem, & hoſpitium in Baſilea ſibi concedi

ape-

aperirique petentem, recipere noluerunt.

Cum verò delegati Senatores, ea, quæ audierant à Bernardino, ampliſſimo Senatui recitârent, & jam excuſatio ejus innotuiſſet omnibus, decrevit nihilominus Senatus, ablegandum eſſe Bernardinum, cujus culpa manifeſtior eſſet, quàm operoſiore indigeret inquiſitione, aut artificioſis excuſationibus, tergiverſationibúſque defendi poſſit. Neque illum in urbe, ſicut poſtulaverat, per hyemem, ferre conſenſit, ſed intra ſpatium trium ſeptimanarum excedere urbe & agro mandavit. At ne quid hic odio viri dixiſſe videamur, ſubjiciemus ſententiam Senatus, uti ea deſcripta eſt in illis ipſis diſceſſus ſui libris, quos diſcedens Bernardinus ſibi dari poſtulavit. *Relatum eſt ad nos diebus præteritis, ſed & ipſi hoc revera deprehendimus, quòd Bernardinus ſuo ipſius arbitrio, pro ut ipſi libuit, & quidem contra leges noſtras; quas non ignoravit, & de iis ſatis abundè præmonitus fuit, evulgavit libros Dialogorum duos, Dialegos 30. in quibus de connubio & aliis multis rebus plurima perplexa, non neceſſaria, aut ad rem facientia, ſed & ſcandaloſa planè diſputavit, quibus & nonnulla Religioni noſtræ contraria immiſcuit, prout, ſi neceſſe ſit, nullo negotio de-*

m r.

monſtrari poſſet. Ex quibus omnibus plus ſanè deſtructionis, quam ædificationis Eccleſiæ Chriſti conſequitur. Sed & libros iſtos cenſoribus noſtris typographiæ deputatis, non exhibuit cenſendos, prætereà inſciis quoque Eccleſiæ noſtræ Miniſtris, atque adeo etiam nobis omnibus, typographis excudendos tradidit. Ergo, cùm in de enata ſint manifeſta ſcandala, & nos etiam ob ipſos (licet libri iſti & ſcripti & editi ſint ignorantibus nobis) accuſari infamarique poſſemus, doluit, diſplicuitque illa res nobis quàm vehementiſſimè, ideòque Ochinum illum, ſuo miniſterio (quo apud nos in Eccleſia Locarnenſium fungebatur) dejecimus, inſuper ex univerſa ditione noſtra ablegavimus, &c. Hæc hactenus de ſententia ampliſſimi Magiſtratus Tigurini in Bernardinum promulgata, dicta ſufficiant. His autem ſimpliciter & verè ad hunc modum expoſitis, facilè erit reſpondere ad iniquiſſimam & calumniis ſcatentem Bernardini accuſationem. Nec quenquam adeò obtuſi judicii futurum arbitramur, qui ex narratione rei geſtæ præmiſſa, intelligere non poſſit, quid Bernardinus in ſua accuſatione & querela verè vel falsè, quidve ex diſtante affectu corrupto narraverit. Et quidem in commemorandis ſui exilii cauſis, tot ſanè mendaciis, honor ſit auribus honeſtiſſimis, ſimplicem veri-

veritatem ſubruere velle videtur, quot e xilium ſuum ſuſtinere confingit. *Nam legem certè apud nos extare, quæ prohibeat publicare inconſultis cenſoribus libros, comprobari poteſt per edicta, & tabulas publicas.* Quod autem libellus de ritibus Tigurinæ Eccleſiæ non omnes, ſingulásque ſingularum legum vel rerum circumſtantias copioſè explicet, mirum non eſt, cum author ſcripſerit compendium. Dein, quòd ille falſiſſimè eſſe ajt, tres Urbis Tigurinæ paſtores Bernardinum monuiſſe, ne quid pergeret hic vel alibi inconſultis cenſoribus edere; ſicut antea & breviter & verè eſt expoſitum. Cúmque prius moneretur ille, ne quid ederet ampliùs, ideo monebatur, quòd tunc quoq; Baſileæ noſtris Cenſoribus inconſultis librum edidiſſet. Quomodo ergo nunc etiam ſub obteſtatione divini Nominis, affirmare audet, ſe non intellexiſſe, Baſileæ, non licere id evulgare, quod ejus urbis Cenſores approbaviſſent? Fortè tunc quoque approbaverunt, ſicuti nunc falsò dixit editionem Dialogorum ſuorum à Cenſoribus eſſe conceſſam: quod Cenſores ſe feciſſe modis omnibus negant. Quinimo Senatus Baſilienſium ampliſſimus pro eximia ſua pietate, indigniſſimè tulit, prodiiſſe ex ſua Urbe hunc librum Dialogo-

rum impurum. Quo nomine etiam dedignatus eſt Bernardinum, hoſpitium ſaltem per hyemem petentem, ut ante quoque dictum eſt, recipere. Inde Jam colligant Lectores, quinam veriora referant, & in quibus fœdæ mendaciorum maculæ inhæreant. Neſcimus ſanè, quo pudore ſenex ille ſubinde in ore habeat mendacium quo innoxios conſpurcet, cùm viri boni ab ea conſuetudine abhorreant prorſus.

Quæ ille prætenſa in optimè de ſe meritum Tigurinæ Urbis Senatum, dixit, non minus ſunt falſa, quàm ea crimine falſi convincimus, quæ hactenus pro ornanda cauſa ſua attulit. Nam, quod antea ſatis perſpicuè patuit, Bernardinum inauditum & cauſa indiſcuſſa, ab Urbe ſua non ablegavit. Quid, quod ipſemet fatetur, ſe illis non obtemperaviſſe, qui ipſi ſuaſerint, ne ſe excuſaret, & quod excuſationem ſuam detulerint ad Senatum delegati? Non eſt is Senatus Tigurinus, quem ille arbitratur. Non præbuit is unam aurem modò Bullingeri delationibus: nec erat quod Bullingerus Bernardinum deferret, erat hic accuſatus à nobili illo, ſparſerantque cives eam accuſationem, prius quam Bullingerus unà cum aliis duobus

pa-

paſtoribus juſſus eſſet totum negotium ad Senatum referre. Quinimo præbuit ſemetipſum Bernardinus, editis ſuis per mundum Dialogis, ſuâ ipſius culpâ mulctandum Magiſtratui. Quid itaque alios, cur non potius ſemetipſum accuſat? An ignorat, neminem niſi à ſemetipſo lædi vel offendi? eúmque, qui quod ſui eſt officii facit, non prævaricari?

Cum verò audita Bernardini reſponſione & excuſatione ampliſſimus Tigurinæ Urbis Senatus nollet iſtum hybernare in Urbe ſua, ſicut per delegatos ſibi poſtularat concedi, ſed intra tres ſeptimanas diſcedere mandavit, cui cordato, obſecrò, perſuadebit ille, vera eſſe, quæ commemorat, quædam videlicet dixiſſe, ſi ea cognoviſſent dum Bernardinum condemnarent, quæ poſtea reſciverunt, nunquam ſe civitate ejeciſſe tam crudeliter? Audita enim erat ejus excuſatio, ea ſi ſatisfecit, quare non retinuerunt ipſum ſaltem per hyemem? Non ſinit Tigurinus Senatus, ut ipſe nimis licenter dicit, ſe naſo circumduci per Miniſtros, quos virulentè & odioſiſſimis vocabulis Bernardinus pfaffos, & papas vocat, ut quam impotenti animo anhelet, ſermone maledico probet. Non plus credit Senatus Miniſtris, quàm

quàm ipſi ſibi credi poſtulant, cùm ſcilicet vera, comperta & ſcripturis comprobata afferunt. Alioquin enim ipſe ſapit Senatus, ipſe legit, ipſe cognoſcit & judicat legitimè, non ſinit ſibi à Pfaffis imponi. Malignè ſorditiem ſenatui propè inurere cuperet, dum exigui ſibi ſtipendii numerati meminit, ſemper liberalitatis laudem ſenatus ille apud omnes bonos habuit. At ingrato, invido, & avaro homini nihil eſt ſatis.

Quorſum verò pertinet narratio illa acerba, qua commemorat, fuiſſe cives Tigurinos, qui auſi ſuerint ab ipſo jam diſceſſuro, exigere pecunias, quas non debuerit, niſi ut urbem prorſus conſpurcet, ac apud exteros ſuſpicione gravet, quaſi opes diſcedentis diripuerit, ac in ipſum cuilibet, quod libuerit, licuerit. Nam, ne quid deeſſet exquiſitæ virulentiæ, parva ſupellex, inquit mea, vendita ſit, an abjecta neſcio. Cæterùm, Bernardinus in exponenda pecunia ſua tam facilis nunquam apud nos fuit, ut hic periculum ſit, nec expoſuit nimium. Nec impunè hoc feciſſent cives, ſi vel teruncium ab eo exegiſſent, quem ille eis non debuiſſet. At cauſæ ſunt non leves, cur de narrantis fide vehementer addubitemus. Nam quantum attinet ad

hujus hominis reculas vel ſupellectilem abiterſit prorſus omnem pudorem. Nam ſupellex ejus ad haſtam, amicis ſuis ipſi ſic ſuadentibus, poſita eſt, non projecta. & quod publico probari poſſet teſtimonio, a Magiſtratu deputatis, pro conſuetudine ita, fideliter divendita, ut Bernardinus ſemetipſum bonis omnibus meritò contemnendum exponat, qui probis & bene de ipſo meritis, tam malam refert gratiam.

Verùm, ſuperat ille ſemetipſum effreni virulentia, cum perventum eſt ad Eccleſiæ Miniſtros. Talem enim ſe hic exhibet, ut omnes boni, velint nolint, ipſum nôſſe cogantur, ſimul & ipſi Miniſtri fateri, coram univerſo mundo, veriſſimum fuiſſe, quod viri apud exteros boni, non ſemel monuerunt Miniſtros Tigurinos, nihil tale vel ſuſpicantes, nedum credentes, in ſuo ſinu fovere mirificum hypocritam, imò ſerpentem noxium. Nunc enim re ipſa non modò hoc experiuntur, ſed inſuper manifeſtè deprehendunt. Quòd ſi animus *Bernardini*, toto illo tempore, quo Tiguri habitavit, nunquam fuit integer & ſincerus erga miniſtros, licèt is ſe fratrem iſtorum, ſummúmque amicum verè ſimulaverit. Inprimis verò Bullingerum

inva-

invadit, quem ſemel, iterum & tertiò, *Tigurinorum Papam*, id eſt, *dictatorem atque Tyrannum* appellitat. Nihil nunc dicemus de contumelia, præclaræ Urbi irrogata, quaſi ea imperium miſero homuncioni & miniſtro, in ſe permittat. Hoc tantùm dicemus, univerſam Urbem Tigurinàm teſtificari poſſe, *cum Bullingeri moribus, ingenio, factis denique & dictis, ceu ex diametro pugnare dominationis affectationem, adeóque ipſam tyrannidem, quam ille innocentiſſimè impingit. Odio*, inquit, *proſequitur omnes exteros præſertim Italos & doctos: Quòd is unus omnibus præeminere cupiat, ac ideò me ſemper pro indocto traduxit.* Atqui dicant hâc in causâ teſtimonium ipſi Locarnenſes omnes, quorum Miniſter Bernardinus fuit, dicant, inquam, ſi unquam quicquam tale ſenſerint in moribus, dictis & factis Bullingeri? Dicant annon omnem cum ipſis, tum peregrinis aliis ſemper præſtiterit, præſtaréque pergat benevolentiam & humanitatem? Dicant & alii omnes, qui Bullingerum noverunt, qualem ſe exhibeat peregrinis? Novit præterea univerſa Schola, nôrunt viri docti, tum exteri, tum domeſtici, quàm benevolo ac veneranti ſit in doctos Viros affectus animo BULLINGERUS, & quàm nihil appetat encomia quo-

 run-

rundam adulatoria, ideóque nihil minus, quàm cæteris omnibus præeminere aveat. Neque ille unquam Bernardinum & miniſtrum Eccleſiæ & ſenem contempſit, aut exiſtimationem ejus imminuere contendit, ſed perpetuò ipſum veneranter coluit, denique & æqua omnia, imò plura etiam ei tribuit, quàm nunc dignum ſe fuiſſe, oſtendit. Utinam verò ille præ inſatiabili illa animi ſui ambitioſiſſimi cupiditate, alios ex ſemet ipſo non judicet! Neq; enim ipſe ſuarum laudum parcus fuit præco, dum inter alia ipſemet exponit, *quantum Virum Tigurini rejecerint*, *Bernardinum*, inquam, *non ſolùm in doctrina* (ſuis ipſius verbis utimur) *& concionandi gratia univerſæ Italiæ, ſed & univerſæ notum Europæ, hominem non mali exempli, ſed ædificationis maximæ, concionando & ſcribendo.* Quid verò alienus de homine illo potuiſſet prædicare excellentius, quàm ipſe de ſemet ipſo ebuccinavit? Non invidiſſent Bernardino Miniſtri Tigurini, ſi poſtremis his ſuis opuſculis ipſe ſibi ſuam laudem, aliquibus prioribus ſuis libris partam non obſcuraſſet, & veræ piæque eruditionis exiſtimationem ipſe ſibi non evertiſſet, adeóque & ſibi ipſi larvam non detraxiſſet.

Teſtari poſſumus Miniſtri omnes, & te-

ſtes quoque adducere Clariſſimos aliquot Senatores, qui Electioni, ordinationique Bernardini interfuerunt, quod pudore abſterſo Bernardinus dicere audet: *Quia delectus fui miniſter Locarnenſis Eccleſiæ, BULLINGERO repugnante, ideò ſemper me proſecutus eſt odio.* Nam falsò hæc dicit Bernardinus. Quòd ſi ipſe verum fateri vellet, teſtari planè cogeretur, quòd ſæpè Bullingeri conſiliis uſus ſit, qui etiam negotia ejus, ſibi commiſſa, fideliſſimè Bernardino exſequutus ſit, Bernardinum frequentiùs reliquis acceſſerit, ſalutârit, amantérque collocutus ſit, quo nomine Bullingerum in Compatrem ſibi delegerit. Nunc verò hujusmodi virulentâ conviciatione adoperit Bullingerum bene de ipſo meritum, ut nemo ſit tam obeſæ naris, qui non olfaciat, Bernardinum occultè & tamen Vatiniano odio, Bullingerum, toto illo tempore, quo fuit Tiguri, eſſe proſequutum. Cauſſam, cur hoc fecerit, ille rectiùs novit, Bullingerum ſcimus hoc nunquam de ipſo vel ſuſpicatum eſſe, utpote qui Bernardino aliquoties ſit patrocinatus, contra eos, qui talem hominem eſſe dicebant, qualem ſe nunc eſſe omnibus aperit. Quod enim prætexit, Bullingerum ideò ipſum odio proſecutum eſ-

ſe, quòd non adorârit ipſum ut Numen quodpiam, tam putidum & impudens eſt commentum, ut nulla videatur reſponſione dignum.

His inſuper omnibus addit, non impari pudore quo & ſuperiora effutit; *Ferre non poteſt BULLINGERUS ut minimus ejus error in lucem protrahatur, perinde ac ſi ipſe ejusque Eccleſia pervenerit ad ſummum. Odio igitur me proſecutus eſt, quia homo Italus errorem ejus protraxi, pacem mundanam perturbavi, & Eccleſiam ejus reformare cæpi.* Si verò glorioſus ille ſenex dixiſſet, Eccleſiam Chriſti deformare cœpi, pacem & concordiam ſanctam Eccleſiæ, nullâ neceſſitate, ſed merâ malitia novandique ſtudio perturbare omnimode ſtudui, denique homo Italus, in Germania benigniſſimè acceptus & habitus, ingratiſſimum nequiſſimúmque me exhibui, rectiùs veriúsque locutus fuiſſet. Nunc quo neque Tigurina Eccleſia, ejusque Miniſter BULLINGERUS pervenerit, ipſa loquitur res, ut nullis opus ſit preciis encomiaſtis. Modeſtia plura addere prohibet. Agnoſcimus ingenuè, nos homines eſſe peccatores, ſed mera DEI gratià eſſe quod ſumus: Ad hanc enim referimus, ſi quid in nobis eſt boni, ad noſtram miſeriam, ſi quid nobis adhæret culpæ, ut non

parum

parum adhærere fatemur, orantes ſedulò Dominum, ut ipſe nos perficiat.

Si verò Bernardinus is eſt Italicus Hercules, qui monſtra Germaniæ & Helvetiæ protrahit, & clavâ ſuâ conficit, qui factum eſt, quòd præſens cum præſentibus miniſtris non concurrit? An non meminit, quòd Paſtores Urbis TIGURINÆ expoſtulantes cum ipſo, de editis ſuis Dialogis, occaſionem ei amplam ſuppeditârunt, defendendi Dialogum illum ſuum de Polygamia, dum ille inter alia effutiret, nullam in verbo DEI legem extare, quæ duo duntaxat in unum corpus per matrimonium conjungeret, Miniſtri verò acriùs inſtarent, contrarium probarent, ille verò occaſionem fugitans, diceret ſimpliciter, ſe nolle cum Paſtoribus diſputare. Erat fortaſſis tunc clava iſta Italici illius Herculis teſtacea adhuc, nec dum facta erat carnea & chalybea, ut modò vult videri. Aut quando obſecro, aut apud quem vel verbum fecit glorioſulus ille Eccleſiarum Reformator, per novem illos annos, quibus Tiguri habitavit, de ulla reformatione Bernardinica Eccleſiæ Tigurinæ neceſſaria? Datus certè ei fuiſſet locus benignus, differendi de juſta Reformatione. Semper autem ille Eccleſiam TIGURINAM laudavit, (cujus

rei convinci poſſet, ſi tergiverſari pergeret, ceu teſtibus mille) ſe beatum omninò profitens, qui in eam ſit vocatus, datúmque ſit ei inter tales miniſtros vivere. Semper ille doctrinam Eccleſiæ Tigurinæ non ſolùm commendavit, ſed & omnibus modis, ut Chriſtianam, ſe approbare teſtatus eſt. Quibus accedit, quòd diſceſſurus, apud delegatos ſenatores, interrogantes, ecquid in Eccleſia aut doctrina noſtra accuſaret? Reſpondit Reformator umbratilis ille, ſe omninò cum Tigurina ſentire Eccleſia. Et quod majoris ſanè eſt momenti, præſtitit ille juramentum Eccleſiæ Tigurinæ, quo ſe obſtrinxit, nolle ſe ulla in Eccleſiam invehere aut ſpargere dogmata, niſi ea priùs contuliſſet cum Miniſtris aut Synodo. At cum quo contulit unquam vel verbum de illis ſuis Dialogis? Quos nunc tandem contra Bullingerum editos eſſe effutit. Apparet itaque ex his, quâ fide dignus ſit Herculeus ille Reformator, qui datam fidem violavit tam turpiter. Nunquam ille palàm quicquam tentare de Eccleſiæ Reformatione auſus fuit, aut hoc ſe tentaturum vel verbulo ſignificavit.

Quò & illud pertinere videtur, quòd ſub finem ſuæ querelæ, Deo tribuit, quòd Tigu-

Tiguro & Baſilea ſit ejectus. Nam ſi manſiſſem, inquit, non adeò liberè & apertè fuiſſem loquutus, ut nunc faciam. Judicent verò pii omnes, an hoc ſynceri ſit hominis, & an hæc deceant talem virum, qualis ille cupit haberi. Nos rectiùs Deo Clementi hoc tribuimus, quòd ſenex ille ipſiusmet judiciis captus, & quaſi ſorex, quod dici ſolet, ſuo ipſius indicio perierit.

Poſtremo loco venimus & ad dogmata, quæ ille abſens Tigurinæ conatur obtrudere Eccleſiæ, præſens ne unico quidem verbo attigit, ac colligemus breviter, quæ ille miniſtris, Bullingero imprimis, impingit, oſtendemusque obiter, grandi injuriâ & Eccleſiam, & miniſtros, afficere. *Quæ in vera Eccleſia eſſe debent*, inquit, *deſiderantur in Tigurina. Id quod ego illis dixi. Mirum ergo non eſt, ſi tanquam furiis agitati, in me ſæviant, & me ferre nequeant.* Ergo tandem ſibi ipſemet Bernardinus, larvam, Deo ſit gratia, detrahit, omnibúsque palàm facit, qui perſona Euſebii ſe obtexit, Ochini verò nomen ſibi per ſimulationem attribuit, ideóque ſuam ſententiam, non ſub perſona Ochini, ſed antagoniſtæ propoſuit. Id quod haud dubiè in aliis ſuis Dialogis fraude & dolo malo, contra ſimplicitatem & candorem Chriſtianum, in

conſpectu totius Eccleſiæ, facere non erubuit, perſuadens ſibi forcaſſis, omnes lectores fungos factos, carere cerebro. Quid verò pii, vel hâc unâ re docti de ipſo judicare debeant, manifeſtiſſimè liquet. Eandem calumniam, quam ille, impegerunt Eccleſiæ Chriſti Anabaptiſtæ, quibus cum abundè reſponderit *BULLINGERUS*, lib. contra Anabapt. 3. Cap. 2. non eſt, quòd pluribus lectori ſimus moleſti. Mirum eſt autem, ſi in Eccleſia Tigurina ea non ſunt, quæ ad veram pertinent Eccleſiam, ſi denique vir pius in ea non poteſt ſanâ vivere conſcientiâ, quomodo vir tantus & ipſis etiam ſanctior Theatinis vel Capucinis per novennium in ipſa vivere, & quomodo conflictum afflictæ potuerit ſuſtinere conſcientiæ.

Nobis, inquit, *non eſt opus Commentariis, & Diis terrennis. Ipſi ſibi arrogant authoritatem ſupra ſcripturas, quas pro ſua libidine interpretantur & corrumpunt.* Cæterùm ſumus nos non *Dii*, ſed homines terrenni, cœlitùs interim regeniti: Scriptis noſtris lucubrationibúsque non aliter credi volumus, quàm ſi conſentiant cum Scripturis ſanctis. Nos tamen uni omnia ſubjicimus adhuc, DEO, & verbo ejus. Præferre ſe Scripturis divinis, blaſphemum eſſe credimus

dimus. Neque unquam corrupimus illas interpretando: neque hoc evincit contra nos Bernardinus, ullis argumentis. Quòd ſi prorſus inutiles ſunt Commentarii, cur itaque non deſinit Bernardinus inutiles ſcribere libros? An verò exiſtimat ſolos ſuos Eccleſiæ eſſe utiles? Cogitet apud ſe, quorſum hæc pertineant, & quid hinc colligant prudentes.

De impiorum damnatione hujusmodi affingit nobis doctrinam, quæ in mentem nobis nunquam venit, *quaſi videlicet damnati, non propter ſua peccata, damnentur, vel nullâ culpâ propriâ torqueantur in inferno.* Nam agnoſcimus & prædicamus omnibus & conſtanter illud Apoſtoli: Omnes nos manifeſtari oportet coram tribunali Chriſti, ut reportet unus quisque ea, quæ fiunt per corpus, juxta quod fecit ſive bonum ſive malum.

Ejusdem malitiæ & impudentiæ eſt, quòd ille iterum dicit, *nos ſentire & docere, hominem neceſſariò peccare, idque perpetuò, etiam tum, cùm facit bona opera.* Non enim docemus, hominem peccare neceſſariò, ſed ſuâ ſponte, & ex corrupta ſua natura ad malum prona. Quorſum ergo adigeretur quis neceſſitate quadam, qui ſuopte ingenio ad id propendet & ad hoc

fertur

fertur cupidè. Cæterum de homine renato, & jam bona opera faciente, nihil aliud docemus, quàm quod docuit Apoſtolus, ad *Rom.* 7. Reperi per legem nolenti mihi facere bonum, quod mihi malum ſit adjunctum, &c.

Et quantum attinet *ad libertatem hominis, falſiſſimò ait ille nos homines beſtiis facere deteriores, utpote quos privemus libertate, & tamen aſſeramus peccare.* Jam enim diximus, nos docere, hominem ſuâ ſponte & liberè, non coactè, peccare. At quod ad bonum, cum univerſa Chriſti Eccleſia, contra Pelagianos docemus, hominem non poſſe ſuis viribus facere bonum: Quòd ſi filius nos liberaverit, tunc demum fieri liberos. Propter reliquias tamen in carne remanentes, & Spiritui bono rebellantes, non parum infirmari libertatem iſtam Sanctorum. Ideóque hos perpetuò recurrere ad gratiam Dei, cui in ſe bona omnia, ſibi verò nihil tribuunt.

Addit, aſſerere nos, *peccatum originis comitari electos DEI, uſque ad mortem.* Id quod magnus ille dogmatiſtes affirmat maximam eſſe hæreſin. O impudens! Quis enim neſciat, concupiſcentiam eſſe peccatum, eámque ad finem usque vitæ manere in Sanctis? An verò illi & Auguſtinus eſt hære-

hæreticus? Eum hoc in dogmate ſequimur. Quia videmus illum cum univerſa Eccleſia, Scripturas eſſe ſequutum.

Nequiſſimè verò inter alia dicit, *nos Deum authorem facere omnium peccatorum.* Quæ admiſſa fuêre, admittuntur, & admittentur. Revincitur enim ſcriptis Bullingeri, qui non tam in Decadibus, quàm lib. contra Anabapt. 2. derivat originem peccati ex homine & Diabolo, oſtenditque, Deum non eſſe authorem peccati, & illuſtrat ea ſcripturæ loca, quæ hoc afferere videntur.

Similiter impudens eſt calumnia, cùm ait, *docent iſti, Chriſtum veniſſe, non ut liberet à peccatis, ſed ut manentibus nobis in illis, effecerit, ne imputentur nobis.* Nam ſi manere in peccatis illud ei ſignificat, quod Apoſtolo ad *Rom.* 6. *Manebimus ne in peccato, ut gratia abundet?* Minimè ſanè docemus manendum fidelibus in peccato. Si verò intelligit reliquias peccatorum manere in Sanctis, ſequimur utique doctrinam Apoſtolicam, & Auguſtini, de qua jam diximus.

Iſta in præſenti brevibus reſpondimus ad convitia, calumnias, & graves accuſationes Bernardini, orantes Dominum, ut iſtum ad ſe convertat, nobíſque condonet, ſi laceſſiti, modum alicubi reſpondendo tran-

tranſilivimus, concedat autem nobis ubique in ſua Eccleſia, ut poſitis concertationibus omnes uno ore, & corde uno glorificemus Dominum DEUM noſtrum. Cui ſit laus & gloria, per JESUM CHRISTUM DOMINUM NOSTRUM. AMEN.

Menſe Martio Anno
1564.

Tertius, qui Eccleſias reformatas, Helveticas cumprimis turbavit, eſt *David Georgius*, homo impius, callidus, & qui, quamdiu fuit ſuperſtes, optimis quibusque, planè ut Socinus, impoſuit: poſt obitum demum infandâ ejus innotuerunt molimina. Hiſtoria publicè extat: compendium habet tum Hiſtoriæ, tum dogmatum *Hornbeck. ſum. controv. p.*411. Id verò mirari ſubit, hominem defunctum reperiſſe patronum, qui cauſam ejus ageret publicè, qua de re Theologi Baſileenſes Epiſtola ad *Menſonem Altingium*, quæ hujuscemodi eſt.

RE-

REVERENDO VIRO ET THEOLOGO eximio, D. Menſoni Altingio, Eccleſiæ Chriſti apud Embdanos Paſtori fidiſſimo, Fratri & Symmyſtæ noſtro ſummè obſervando. Emdam.

S. P. D. Epiſtola tua, Reverende Vir & Frater in Chriſto ſummè obſervande, eſt nobis reddita, *ex qua intelleximus, nequiſſimam illam David-Georgianam ſectam non tantùm in Batavia adhuc vigere, viréſque majores acquirere, verùm etiam finitimas regiones penetrantem magis magíſque ſerpere, adeóque veſtram etiam Friſiam veneno ſuo peſtilenti inficere.* Intelleximus etiam, vos, ad gloriam æterni Filii Dei aſſerendam & Eccleſiam antidoto præmuniendam, ſcriptum in lucem emiſiſſe, cui Sathanas maledicum libellum oppoſuerit, *in quo impudenter alia negare, alia excuſare audeat*, quæ à Majoribus noſtris, ab *Henrico Bullingero, veritatis amantiſſimo Theologo*, aliisque fide dignis ſcriptoribus & teſtibus de hac ſecta ſunt edita. Quæ cauſa eſt, cur quædam *paulò accuratiùs* inveſtiganda cenſueritis: ad quæ paucis pro modulo gratiæ nobis conceſſa, quum id requiratur, reſpondebimus.

Pri-

Primùm autem fatetur (uti ſcribis) peſſimæ cauſæ Patronus, *ſe quidem in convictu* hæreſiarchæ (aut potiùs Pſeudochriſti illius) *non fuiſſe, ſed à fœmina, quæ ejus domeſtica fuerit, de pietate, vita ſanctimonia, aliisque virtutibus ejusdem præclara teſtimonia accepiſſe*, licèt Baſileenſes, quos ſummos illius hoſtes ac truculentos perſecutores vocitat, ad palliandam cauſam ſuam diverſum teſtentur. Atqui unius teſtimonium hominis, & quidem incerti, cujus nomen edere vel non poſſis, vel non audeas, nullum eſt: vox unius, vox nullius eſt, ut leges divinæ & humanæ docent. Iniquum igitur eſt, quòd Patronus peſſimæ cauſæ uni teſti, cujus nomen tacuit, quod tamen proferendum fuerat, quum ex teſte certitudo & veritas teſtimonii æſtimetur, quemadmodum *Divus Adrianus* reſcripſit, ſe *non teſtimoniis, ſed teſtibus fidem adhibiturum*; quòd, inquam, uni teſti, & quidem fœminæ, eodem procul dubio impietatis, quo Patronus, veneno infectæ, potiùs cenſeat fidem adhibendam, quàm toti tam inclytæ Reipublicæ, authoritate publica & veraciſſimè teſtanti. Sed ait, *domeſticam illius fuiſſe*, ac proinde verè teſtari poſſe. Quaſi verò controverſia eſſet *de externa diſciplina domeſtica*, de ex-

externa morum & vitæ apparentia, ac non potiùs de Doctrina Davidis Georgii impia ac blaſphema, quæ profectò non defendi poteſt fucata atque hypocriticæ pietatis, ſanctimoniæ, & aliarum virtutum ſimulatarum prædicatione. Quî enim vera pietas & ſanctimonia eſſe poſſit, *quæ cum blaſphemiis in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum conjuncta eſt?* Quin hoc ipſum reddit vanum fœminæ illius teſtimonium, quòd domeſtica fuerit, ac teſtimonium dicat pro eo, cujus abſque dubio Pſeudochriſtianiſmum amplexa, à quo multis beneficiis affecta fuit, atque proinde affectui in illum plus tribuit, quàm veritati. Quod verò Patronus Pſeudochriſti illius, alia negare, alia excuſare audet, quæ ab anteceſſoribus noſtris, ab Henrico Bullingero, aliiſque veritatis amantiſſimis ſcriptoribus de dogmatibus David-Georgianis ſunt in publicum data, in eo inſignem ejus impudentiam meritò deteſtamur. Nam quàm *perverſus de DEO rebuſque divinis ſenſus Davidis Georgii fuerit, luce meridiana clarius eſt ex illius libris, qui in archivis inclyta Reipub. Baſilienſis ad perpetuam memoriam aſſervantur,* & maximè ex illo libro, cui fecit titulum Wunderboeck/ Belgicâ linguâ ſcripto, *in quo utut ſcripturarum ſacrarum dicta alleget, utut*

Ieſum noſtrum laudare videatur, tamen reipſa & ſcripturas tollit, ſenſum illis tribuens, non quem Deus illis impreſſit, ſed quem plus quàm Sathanica improbitate Spiritûs vertiginis confinxit; & Ieſum Chriſtum pro nihilo habet & ab ipſo abducere omnes homines conatur. Nam cum Jeſus Chriſtus à Deo Patre ab æterno genitus, & conſtituto tempore ex Maria Virgine beatiſſima homo factus, ille ſit, de quo Moſes *Deut.* 18.19. dixit filiis Iſraël: Prophetam vobis ſuſcitabit Dominus Deus veſter è fratribus veſtris, ſicut me: ipſum audietis, ut Stephanus Protomartyr allegat *Act.*7.37. quum fideles ſub V.T. perſuaſum habuerint, Chriſtum, quum venerit, annunciaturum omnia *Ioh.*4.25. quum Pater de cœlis clamaverit de illo: Hic eſt Filius ille meus, dilectus ille, in quo acquieſco: Hunc audite Matth.17.5. quum Deum nemo viderit unquam, ſed unigenitus ille filius, qui eſt in ſinu Patris, nobis expoſuerit, teſte Johanne Baptiſtâ *Ioh* 1.18. quum omnia, quæ audivit à Patre ſuo, nota fecerit nobis *Ioh.*15.16. quum teſtetur Paulus (Chriſtus autem in eo loquebatur, 2 *Cor.*13.3.) ſe non ſubterfugiſſe, quominùs annuntiaret fidelibus omne Dei conſilium, *Act.*20.27. tamen David Georgius gloriari audet in Præfatione libri non tam

tam admirabilium quàm paradoxorum plus quàm Diabolicorum, *ſe eſſe illum, cui Deus ſuus mirabilia, magna, aterna, vera, bona, & auditu digna, nunquam atque nunc, homini neceſſaria ſcitu ad ſalutem, revelaverit: gloriari audet, ſe velle res omnes juſtè cum veritate & laude dominationis Dei manifeſtare, & in conſpectum firmamenti producere fundamentum aterna veritatis & ſapientia; imò per vehementem ventum ſua potentia & ſpiritus vita divinam juſtitiam cœlitus teſtificari: gloriari audet, Deum ſibi ſuum memorabile, mirabile verbum potentia in gratia & veritate pateſeciſſe, fundamentum futuri mundi retexiſſe, initio novum feciſſe, ſeipſum (ſuo judicio) ex corde regenerationis cum cognitione veritatis ſiviſſe promanare, proinde debere ſe & poſſe absq; intermiſſione illum ſuum librum in ſuo ſenſu magnum & praclarum, omnium librorum digniſſimum judicare, ſummè celebrare, & mirabilem nominare, maximè cùm eum à nullo hominum acceperit, ex nullis ſcriptis compoſuerit, neque humano modo ſcripſerit: gloriari audet, eum eſſe ſcriptum ad judicium, & datum, ut ubique legatur, ut caci videant, videntes caci fiant: jubet hunc librum recipere non tanquam ex manibus hominum, à doctis hujus mundi concinnatum, verùm tanquam ex altioribus Scholis Spiritus S. profectum, jubet magnifacere & praferre omnibus theſau-*

theſauris digne in ſenſu, cui nihil æquiparari poſſit. In prima libri parte, capite ſexto, tanquam novus Chriſtus his ultimis temporibus à Deo excitatus, gloriabundus ait: *Debeo eloqui, quidnam ego DAVID indignus à DEO in veritate audivi & feci, imò odoratus ſum, guſtavi, palpavi, & ſenſi.* Et cap. 27. *Adeſte, & me audite: Venite, inquam, vos, qui ſitiſtis aquam vitæ, fontem ſapientiæ in altiſſimis, imo vos, qui exhauſti conſilio non habetis amplius nummos. Venite, emite, quæ comedatis. Ecce ego David ex Dei gratia in ultimis temporibus in fide excitatus, proponam vobis æternam veritatem: jus DEI mei è cœlo in terra eloquar, ſecundum promiſſiones in conſpectu firmamenti.* Omittimus plurimas alias, quibus totus liber ſcatet, blaſphemias, quas referre animus horret, & hanc duntaxat notabimus, quâ librum obſignat: Nam in parte altera, folio 195. paginâ ſecundâ in hunc modum de ſe ſcribit: *Ego David habeo cum meo ſpiritu poteſtatem in Domino, vos ſecundum ſpiritum judicandi, ſecundum veritatem ſalvandi, benedicendi aut condemnandi, bonos aut malos pronunciandi, peccata remittendi, condonandi, aut retinendi, ligandi aut ſolvendi, apud Dominum in cœlo, imò ſuo juſto tempore habeo poteſtatem vos percutiendi ſceptro oris mei, quod eſt æternum illud verbum virtutis DEI,*

DEI, &c. ſed nolumus recenſere omnia, quæ non poſſunt non piæ menti, Jesum Christum diligenti, vel auditu intolerabilia eſſe. Unde colligi poteſt, quæ potuerit miniſtri illius Davidis Georgii eſſe pietas, ſanctimonia, virtus, quam fœmina illius domeſtica mendaciter commendavit. Nec quicquam de doctrina ejus amplius in hiſce libris addendum cenſemus, quum libri ejus ſint typis excuſi, qui vel ſoli abundantiſſime de Pſeudochriſti illius impietate teſtantur, & in archivis Reipublicæ noſtræ ad perpetuam memoriam quàm fideliſſimè cuſtodiuntur & ſervantur, ut ſi quis dubitationem de dogmatibus illis moveret, & falsò Davidi Georgio attribui prætenderet, inde refutari poſſet.

Cæterùm, *quòd Baſileenſes ſummos illius hoſtes ac truculentos perſecutores vocitat*, vel Politarchas intelligit, vel Academicos; utriſque injuriam atrocem facit ipſe ordinis divinitus inſtituti & judiciorum legitimorum hoſtis. Hoſtes ſcilicet & perſecutores ſunt, qui è Patria ſua profugum & extorrem, Chriſtiana commiſeratione moti, hoſpitio exceperunt: qui majore beneficio affecerunt, jure civitatis conceſſo: qui permiſerunt, ut prædia multa, quamvis extraneus, coëmeret: qui quamdiu vi-

xit, eò quòd impietatem ſuam veteratoriè hypocrita inſignis tegere poſſet, paternè defenderunt: qui etiam poſt obitum ejus, cùm nondum de intoleranda ejus blaſphemia conſtaret, filios, generos, & affines protectione conſueta tueri perrexerunt: qui quum jure potuiſſent bona ab ipſo relicta fiſco publico addicere, non tamen fecerunt. Noverunt plurimi populi, non aliâ quàm clementiſſimâ ac benigniſſimâ continenter inclytum Magiſtratum Baſileenſem, ſubditorum ſuorum gubernatione uſum: alienúmque ab omni crudelitate ſemper extitiſſe. Papiſtæ ipſimet, Itali, Galli, & Hiſpani, Cardinales etiam, Epiſcopi, Abbates, Jeſuitæ, & Monachi, qui ſingulis diebus in hanc Urbem adventârunt olim, atque etiamnum adventare ſolent, teſtimonium perhibere poſſunt, nullum ex ipſis religionis causâ perſecutionem à Baſileenſibus paſſum; quamvis hanc Baſileenſium humanitatem, quâ promiſcuè in omnes utuntur, inhumanitatis & ſævitiæ exmplis compensârint Pontificii, ingrati hoſpites. Quòd ſi Academiæ Profeſſores & Miniſtros Verbi, perſecutores truculentos vocat, ſatis prodit ſuam malignitatem. Nec enim illi accuſatores extiterunt, ſed tantùm mandato Ampliſſimi

ſimi Magiſtratus ſcripta & libros Davidis Georgii perlegerunt, examinârunt, & dogmata ejus cum ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis collata, ſummè impia & abominabilia eſſe cognoverunt & pronuntiârunt, ſed non affectu aliquo hoſtili impulſi, cujus cauſa nulla erat, ſed quia bona fide & conſcientia Magiſtratui reſpondere interrogati debuerunt.

Porrò, quæ ex Archivis Reipub. Baſileenſis expetiviſtis, mittimus juſſu ſenatus noſtri inclyti in Cancellariâ publicâ deſcripta, unde cognoſcetis quæ deſideratis, ex propria generorum, filiorum, & affinium David-Georgii confeſſione. Verùm etiamſi illam non ediđiſſent; tamen ſcriptorum & librorum ejus teſtimonium vel ſolum ſufficientiſſimum eſſet ad impietatem ejus convincendam; Jus civitatis ut obtineret, nequaquam candidè, & ut virum bonum decuit, cum Senatu Baſileenſi egit, mendaciter aſſeverans, ſe ob veritatis Evangelicæ Profeſſionem Patriam deſeruiſſe, atque conſenſum cum Eccleſia Baſileenſi præ ſe ferens: atque ita Magiſtratui optimo, & erga Chriſti exſules alioquin benignè affecto, ſceleratus nebulo nequiter impoſuit. Quòd ſi tum conſtitiſſet, eum *à Magiſtratu Delfenſi anno 28. præteriti ſecu-*

li, fibulâ linguâ perforatâ, virgis publicè caſum in exilium ſexennale ob blaſphema in Chriſtum dogmata ex Urbe ejectum fuiſſe, ut de matre ejus nihil dicamus, quæ ibidem capitis ſupplicio affecta fuit, quemadmodum Martinus Duncanus, Eccleſiæ Delftenſis Paſtor, volente Magiſtratu Delftenſi Ampliſſimo, ad Iohannem Acronium Phryſium, Mathematum in noſtra Academia Profeſſorem, quàm diligentiſſimè perſcriptum; jus civitatis Baſileæ non impetrâſſet.

Quòd *opulentum fuiſſe adverſarius veritatis negat*, in eo non minor eſt impudentia, quàm vanitas. Nam non tantùm in Archivis Reipublicæ conſignatum diligentiſſimè habetur, ſed adhuc communiter civibus Baſileenſibus notum eſt, Davidem illum Georgium emiſſe & poſſediſſe, & liberis ſuis reliquiſſe in ipſa urbe domum den Hof zum Spieß dictam, ſitam in colle, quem incolæ den Hewberg / id eſt, avenarium collem appellare conſueverunt, & ibidem ex adverſo aulæ ſeu domus illius zum Spieß dictæ, alias ædes videm horreum in ſuburbio Spalæo, quod in der Spale vocitant: extra urbem verò arcem Binningam una cum omnibus ejus juribus & pertinentiis, ut loquuntur, nova domo inſuper exſtructa non procul ab arce illa: dein templum S. Margarethæ dictum, cum vil-

la & agris eò pertinentibus, tum arcem Gundeldingam minorem vocatam. Adhæc deſtructo veteri ædificio in campo im holen nominato, novam prorſus excitavit, ad quod novem jugera agri pertinebant: inſuper ſeptem jugera poſſedit in agris im Letten indigitatis. Supellex domeſtica ampla admodum fuit: vaſa argentea & inaurata, annuli aurei multi cum gemmis pretioſis: literæ cenſuales ſenæ, continentes ſingulæ ſupra mille florenos, Reipublicæ Noricæ mutuò datos ſeu venditos, è quibus annuos cenſus Reſp. Norimbergenſis pendebat. Omittimus commeatum frumenti & vini copioſiſſimum. Omnia ſigillatim ex inventario authentico percenſere & prolixum nimis & ſupervacuum eſſe judicamus. Domus, arces, & villas ſuprà memoratas agrosque poſſident jam nobiles quidam & omnes primarii, quorum nomia hîc referre quid attinet? Magno pretio emiſſe, magno itidem ſumtu partim de novo ædificaſſe, partim inſtauraſſe, facile quivis colligere poteſt, quum viri etiam nobiles, & cives opulenti illas jam inhabitare non dubitent.

Hæc variis alioquin occupationibus diſtracti, perveſtigatis & perlectis priùs ſatis prolixis ſcriptis & conſignationibus ad

 rem

remhanc pertinentibus, ac proinde ſeriùs ad veſtra poſtulata reſpondere voluimus; Dominum noſtrum JESUM, unicum & ſolum illum Chriſtum ad Dextram DEI Patris ſedentem & in medio inimicorum ſuorum regnantem toto pectore orantes, ut miniſterio veſtro ſancto abunde benedicat, ſectam verò illam improbam compeſcat & extinguat, revocatis in viam veritatis cœleſtis miſeris hominibus in errorem abductis. Vale feliciter, & venerandos collegas tuos & fratres nobis in DOMINO charos nomine noſtro amanter ſaluta. Baſileæ quarto Non. Maji Anno DIsCe MorI.

Veſtri in Domino Ieſu Fratres,

JOHANNES JACOBUS GRYNÆUS, Paſtor Eccleſiæ Baſileenſis.

Amandus Polanus à Polansdorf, Facultatis Theologicæ in Academia Baſileenſi Decanus.

Quartum addere poſſemus, *Decanum* quendam *Patavinum*, qui anno 1541. in Helvetiam venerat, ſed uno tantum & altero *Myconii* judicio contenti, finem huic hæreſiologiæ imponemus. Ita verò *Myconius* ad *Gualtherum* noſtrum: *Scripſi Bullingero paucis de Decano illo Patavienſi*, ut ab

eo caveat: Nam iter inſtituit Bernam, Lucernam, Tigurum. Legi hodie literas ad Baſileenſem quendam, in quibus ita ſcripſit: Ingenio & judicio præditus es, ut planè in multis doctrinæ, neque Lutheri neque Zuinglii, aliarúmque ſectarum juratus & adſtrictus ſis; ſed uni ſoli Chriſto toto pectore ſervias, præſertim cùm tu Lutherani & Zuingliani dogmatis author non ſis &c. Quæ quidem adſcribo, ut clariùs cognoſcatur, quòd *impoſtor* ille neminem, ſe, cum paucis, excepto, putet in unum Chriſtum, ſed in hominem aliquem intendere. Turpis arrogantia tantum ſibi tribuere, ut omnes homines à gratia excludas, te ſolum includas. Verùm, aliter non poteſt, qui revelationes ſuas tam inſolenter jactat, ut ſolet *Decanus* iſte. Dixit apud me: Talem doctrinam nunquam extitiſſe, Helvetios propterea populum liberum ſe elegiſſe, ut quos non dubitet ſine trepidatione recepturos veritatem, ſperétque ſe inveniſſe, ubi nuda veritas ſit habitura locum. Epiſtolam *Myconii* ad *Bullingerum* hactenus non vidimus; reſponſum tamen ad manus eſt, in quo præter cætera: *Decanum Patavienſem* expectamùs. Non poſſumus à Magiſtratu petere, ut excludatur, aut ut ne audiant hominem, qui ſubinde

inde offerimus nos ad ſatisfaciendum cuilibet interroganti de fide noſtra. Redderemus verò nos & doctrinam noſtram ſuſpectiſſimam, niſi animo congrederemur impavido. Proinde propter Eccleſiæ noſtræ & veritatis incolumitatem, DEO auxiliante & propitio, parati ſumus congredi cum homine, ſiquidem juſſerit Magiſtratus: ſed poſitis interim artibus, omiſſis titulis & ſeclusis ambagibus ad ſtatum rerum ſtrictè & breviter contendemus, vnd können wir/ ſo wollen wir die alten Vatterſtreich herfür ſuchen / vnd nicht vil kramantzens machen. Verùm, Domini eſt vires & ſapientiam ſuppeditare, ut gloria ipſius eluceſcat. Hunc oremus ſedulò.

Atque hîc, benevole Lector, gradum, rogamus, ſiſte, & HOTTINGERI Tui, cujus hactenus miratus es induſtriam, lineas ſuſpice fatales. Huc enim Hiſtoria telâ perductâ, manum de tabula tollere, & immortalitatis ſcandere faſtigium juſſus, ſui apud nos, & μακαρίτε pignora, omnêsque probos, ardentiſſimo relicto deſiderio, vivendi & ſcribendi finem fecit. Nolumus tamen quenquam tam utili tamque amplo malè ominari operi: Reviviſcet rarus hic phœnix, & prolem; DEO, omnis ſapientiæ fonte, vires & annos ſubminiſtrante; dabit, cujus affectu & ſtudio chartaceæ defuncti parentis rece-

la lucem, ſuo tempore, propitio Numine, videbunt. Quæ verò ad rem faciunt præſentem, ea vel leviter attigiſſe hac vice ſufficiat.

Hæreſiologiæ modò citatæ, ὁ μακαρίτης, annectere cogitabat reliquorum vel *hæreticorum* vel *ſchiſmaticorum* ſuperioris ſeculi Catalogum, ex archivo Theologico publico & privato conſignatum. Sed hujus editio otii liberalioris, eſt, & capacioris ingenii.

In cæteris, quæ reſtant Reformationis impedimentis breviter ita defungimur.

II. Diſſidium Sacramentarium inter ipſos reformatos obortum, Evangelii progreſſibus interceſſiſſe, notius eſt, quàm quod operosè hoc loco debeat probari.

Teſtem unicum, πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων, Germaniæ Principem, cui ab initio ſtatim reformationis Concordia Eccleſiaſtica præ aliis fuit curæ, audiemus. Quantum fractura Joſephi animum ejus lancinârit, monumenta, quæ ἀνέκδοτα hactenus aſſervantur, abundè probant. Cum an. Chr. 1544. pacem Lutherus denuo turbare conaretur, ita inter alia ad N. ſuum Wir begehren / ihr wollet umb der ehr Chriſti unſers Erlöſers willen / und zu fortſetzung und erbreiterung Gött.

Göttlicher ehre dieſelbe ſach wol trewlich vnd mit allem fleiß erwegen / vnd demnach verhüten helffen daß die ſo zur *Concordi*, in ſachen deß hochwürdigen Sacraments kommen / nit weiter in zweyſpalt gerathen / Nach zwiſchen *Martino*, *Philippo* vnd anderen vnſeren diß theils *Theologis* ſolche vneinigkeit erwachſe / welches gewüßlich gemeinem handel des Evangelii zum höchſten nachtheil gelangen möchte. Auch inſonderheit bey dem *Martino* daran ſeyt / ob ſchon etzliche etwas grob weren / daß er ſich dardurch nicht erhitzen / vnd diß die anderen entgelten laſſe; ſonder alß der vernünfftiger thüe vnd ein Chriſtliche gedult mit ihnen habe. Dann ſolt erſt zwüſchet *Luthero* vnd *Philippo* vneinigkeit erwachſen / helff Gott / was wurde darauß werden / wie wurden die Papiſten gloriren / vnd ſagen: Wann ein Reych in ihm ſelbſt vneinig iſt / ſo wirds vergehen. Es wurden auch ohne zweyfel vnzetlich vil Chriſtlich leuth ſich daran ärgeren vnd ſtoſſen / auch vil vom Evangelio gantz fallen. Ach! Allmächtiger Gott / was thun doch die leuth / daß ſie ſolch ärgerlich vnd ſchändtlich zancken anrichten. Wir haben mit den Papiſten / Widertäuferen / Juden / vnd anderen Secten gnug zethun / wollen ſie nun die Kirch / die ſie ſo wol erbawet / vnd das groß lob / ehr vnd geſchrey / daß ſie haben / vm ihrer *privat* ſachen / oder villeicht ehrgeitz oder andershalben willen nun gar verliehren / vnd ſich in ſolch gefahrlichkeit begeben? Es iſt nit ein rechter Apoſtoliſcher Geiſt der das anricht / ſonder ein ſolcher Geiſt / der zanck / zweytracht / vnd hader gern ſihet. Derowegen ſo thut in diſer ſach / wie wir euch alß einem Mann / der ohne zweyfel ſolche handlung bevor anderen verſtehet / vnd wol ermeſſen kan wohin die gemeinen läuff deß Evangelii zu anſtoſſen gelangen möchte / zu trauen. Con-

fer.

fer. T. VI. pag. 502. Cæterùm, quibus periodis hæc controverſia Sacramentaria conſtiterit, quæ ſubinde ſpes concordiæ affulſerit, ea, temporis progreſſu, exponi poſſunt.

III. Magnum bona cauſa vulnus hinc inde accepit ex præmatura tum Regum, Principum &c. Nutriciorum Eccleſiæ; tum virorum etiam præclarorum obitu.

De Eduardi Angliæ Regis inopinata morte ſupra quædam pag. 293. *Hoperi* verbis dictum. Ei *Melanchthonem* adjungimus ita ex autographo Martyrem noſtrum compellantem: *Reverende vir, & chariſſime frater: Quantum vulnus univerſa Eccleſia acceperit, extincto Rege Angliæ Eduardo, ſcio te virum ſapientem & intelligere, & magno cum dolore cogitare. Hic Rex & Eccleſiis & ſtudiis doctrinarum, ſi vixiſſet, opem ferre potuiſſet: ſed hem fata aſpera hujus extremi mundi, in quo & propter vetera & propter recentia magna ſcelera pœnæ cumulantur & duriter quaſſantur Imperia & Eccleſiæ, ſed oremus filium DEI, ut pœnas Dei leniat, nec ſinat cymbam ſuam prorſus opprimi fluctibus errorum & furoribus Diabolorum, qui prorſus delere veritatem conantur.*

Cæterùm ampliſſimus hîc excurrendi

τῶ

τῷ μακαρίτῃ patuiſſet campus. At in ipſo ſtatim limine inſperata morte abreptus, ſuo ipſius exemplo crudum adhuc ſatis & cicatrice vix obductum vulnus refricat.

IV. Ultimus reſtat aries, Concilium Tridentinum, ideo potiſſimùm, ut doctrina Evangelica extirparetur, Papatus ſtabiliretur, indictum.

Id quod non diſſimularunt tot in ipſo Concilio tubæ & faces. *Iohannes Strozzius*, Orator Coſimi, Ducis Florentiæ ad Senatum Orat. habita in Concil. d. 18. Mart. 1562. *Cùm ille Chriſtianæ religionis conſervator intelligat, quanta ingluvie lupus inſatiabilis palàm quotidie magis irrumpat in Chriſtianum gregem, neque ſibi ſit quicquam deliberatius, quam illum quacunque ratione poſſit funditus diſſipare, quamobrem Pius IV. Pont. Max. ut hanc nefariam peſtem ac perniciem à nobis depellat, Concilium hoc peragere ſemel induxit animum &c.* Legatur & Concio *D. Petri Fontidonii Hiſpani*, *Segolienſis Theologi* d. 24. Maij 1562. habita in eodem Concilio

Digitum hoc loco intendiſſe ſatis eſt.

IN-

INDEX I.

Epitomen hac parte contentorum complenas.

CAPUT. I.

Oſtendit cauſas Reformationis ſocias ſive adjuvantes.

I. A. Imperatores, *Maximilianum* p.3. *Carolum. V.* qui Romam oppugnavit, ibid. & Reformationi ex parte favit. pag.4. *Ferdinandum I.* pag.5. *Maximilianum II.* pag.6. qui cum patre cœnam nonniſi plenam accipere voluit, & Auguſtanæ Confeſſionis uſum conceſſit. p.6.7.

B. Reges. Angliæ, *Henricum VIII.* qui jugum Pontificium penitus excuſſit. pag.7. Galliæ, Hiſpaniæ. p.9. Daniæ, *Chriſtiernum II.* & III. ibidem. *Fridericum II.* *Chriſtiernum IV.* pag.10. Sueciæ, *Guſtavum I.*

C. Electores. Ib.

D. Principes. pag.11.

II. Deſiderium integrorum cœtuum ibid. *Baſileenſis* ib. *Interbocumenſis* p.17.

III. Infirmitatem adverſariorum in diſputando Tiguri, Bernæ, &c. pag.25.

Unde nonnulli veritati herbam porrigere ſunt coacti pag.36. Alii ob Pontificiorum ſcelera Papiſmo valedixerunt pag.39. Hic diſputationum ſubire certamina recusârunt p.40. Fraudes Cleri deteguntur. p.44.
IV. Infelicem exitum, tum Apoſtatarum. Franc. Spieræ pag.47. Argentinenſium duorum pag. 50. Tum perſecutorum Bohemorum pag.51. Anglorum p.53.
V. Gratuitum favorem divinum, unde Evangelium annunciatum miraculosè receptum pag.55. ac conſervatum ibid. Cùm ex adverſo, adverſarii vel metuebant, ubi metûs nulla erat cauſa, vel ludibrio exponebantur omnium pag. 57.
VI. Pacem publicam tribus gradibus diſtinctam, pag.72. Primus ante bellum Germanum, ſecundus poſt illud bellum. Tertius Anno M D LV. Et aliæ, inprimis Helvetica, Landsfriden, pag.76.
VII. Librorum Theologicorum editionem pag. 77. (præſertim Bullingeri) quorum lectione ad veritatem pervenerunt, M. A. Cloſelius. Ib. A. Corranus, pag. 82 &c.
VIII. Diffidia Pontificiorum. Unde incertitudo doctrinæ patuit per omnia controverſa, p.99. Ex Concilio Tridentino, quod

quod examinatur. Ibid.
IX. Fœdera propagandæ veritati inſervientia pag. 158. *Smalcadicum*. Ibid. *Francofordiæ* initum p. 160. (ubi examinatur quæſtio, liceat ne magiſtratui, vel ſuo, vel aliorum bellum inferre.) Ibid. Landgravii Haſſiæ cum Tigurinis &c. pag. 165.
X. Conſtantiam confeſſorum; ſeu Martyrum pag. 169. *Saxonis* pag. 170. *Zuinglii* pag. 173. *Lutheri*. ibid aliorúmque qui inter tormenta cœleſti repleti erant gaudio pag. 174. Probatur ſanguinem martyrum ſemen fuiſſe Eccleſiæ p. 176. *Hottingeri*. ibid. *Henrici Voës* &c. pag. 177. Et licèt nonnunquam ad vomitum redierint, denuò tamen Chriſto fortiori animo nomina dederunt; ut; *Cranmerus* pag. 179. *Iacobus Pavanus* pag. 182. obſervatur Martyrum Hiſtoriam Theologiæ Scholam vocari poſſe, quod ex variis confeſſionibus dogmatum ſuorum claret p. 183. 206. Deum ſuos miraculoſè ex hoſtium manibus eripere, pag. 184. Confirmare Deum ſuos inter ipſas carnificum manus p. 186. 205. In quovis ordine Deum ſuos tentare 189. (Hiſtoria Johannæ Graja, p. 190.) Deum

ex ore infantum præparâſſe laudem, p. 200.
Magna hinc Eccleſiæ Reformatæ debentur πλωτεῖα pag 286. Et Antichriſtianæ γνωρίσματα deprehenduntur, ibid. Memores ſemper fuêre martyres communionis Sanctorum. p.291
XI Theologiæ ſtudium à nobilibus ſuſceptum p.295. quod ut ſuſciperent varia quæſita calcaria, & argumenta, Ibid.
XII. Vitam Reformatorum pietatis ac charitatis Chriſtianæ operibus efficacem p 302. Dilectione inimicorum ibid. patientiâ injuriæ p.303
XIII. Vitæ Cleri Pontificii licentiam, p. 305. Exempla ſceleratorum Trinckleri, ibid. Clauſeri p.310. Sponii, Huberi p.311. Hegneri, p.313.
XIV. Hoſtium crudelitatem & inſatiabile veritatis extinguendæ deſiderium, p 315 Ideò enim, cùm precibus ſuis Reformati nullū relictum vidiſſent locum, publicam ſibi libertatem ſumſerunt in Belgio. ibid. Germania, Gallia, p.316. Clades ſuas humiliationes duxerunt. 317. Ipſi Conſiliarii Pontificiorum, Dominos ſuos à Reformatorum perſecutione dehortati ſunt, p.320
XV. Luſum Clericorum Pontif. in ſacri ſuis,

ſuis, p.323. quæ lucri ſolius causâ tractant, p.329. vitæque & fortunis poſtponunt, p.330.

CAPUT. II.

Docet Impedimenta Reformationis fuiſſe

I. Rabiem Cleri per decreta, Hugonis pag. 333. Tribunalia inquiſitoria, Marcani, &c. p.335. ſermones invectivos contra Reformatos, p.337. degradationem Clericorum, ad Ref. tranſeuntium, p.338. (cujus ceremoniæ, p.339.) excogitationem atrocium ſuppliciorum, p.340. in ipſos etiam mortuos, p.342.

II. Convitia in Reformatos, eorúmque religionem effuſa, p.344.

III. Apoſtaſiæ opprobrium ab Adriano VI. Friderico, Saxoniæ duci objectum p.345.

IV. Blanditias, quibus nutantes Pontificios, Adrianus Ordines Imperii, &c. confirmârunt, p.349. vel ſecedentes, Ambroſium Blaurerum, revocârunt, p.352.

V. Intolerabilem adverſariorum hypotheſin, quâ Reformationem cauſam eſſe omnium malorum, pag.359. hæreſium p.361. ſeditionum ibid. dicebant.

VI. Item per Reformationem concordiam,

fœderatorúmque conjunctionem ſublatam calumniabantur, 362.

VII. Decreta, ſupplicia, & alia Reformatis deſtinata, p 363. in Gallia ibid. contra Waldenſes, p. 368. in Lotharingia, p. 369. Hungaria, Bohemia p. 370. Scotia. ibid. Germania, Bavaria, ibid. Helvetia, Italia, 371. Ab Imp. Carolo V. 372. affixa.

VIII. Miracula & apparitiones à Pontificiis excogitata. 378

IX. Fraudes in ſubſidium [illegible] larvatos, incendiarios ac veneficos, 379.

X. Hoſtium furorem, 380. In Gallia, 381. Anglia, ibid. Hiſpania, 382. Inquiſitiones inſtituebantur, 383. 384. (Indignantibus ipſis Pontificiis, 386.) in quibus quæſtiones moventur inutiles, 387. Martyréſque neci dantur vel de [illegible] dogmatis, legsve violatione, 391.

XI. Clades, quas Reform[illegible] Capellanam, Gallicam, 395.

XII. Authoritatem Magnatum 395. Imperatorum, [illegible] 396. Maximiliani 399. b. Imperii principum Ferdinandi &c. 400. c. Regum, Angliæ, Henrici VIII. Galliæ, Regis Legati 401. Scotiæ, Jacobi. 402.
d. Re-

d. Rerum publicarum, in Helvetia VII. Cantonum. 403.
XIII. Inconſtantiam nonnullorum, ut; Philippi Marchionis Badenſis, 405. Henrici IV. p. 406.
XIV. Exterminationem librorum, quos vel combuſſerunt, ut; Lutheri, 407. Eraſmi, p. 408. vel legi prohibuerunt, ut, Hutteni, 409. Lutheri ibid. In Legis hujus violatores gravia ſtatuebantur ſupplicia, p. 410. Nec tamen Lucernæ obſervatur. Ibid.
XV. Corruptos reformatorum mores, de quibus conqueritur Lutherus, p. 411
XVI. Concordiam hoſtium in excidium Reformatorum, Cæſaris & Galli, Helvetiorum, p. 412
XVII. Teporem religionis, p. 413
XVIII. Perfidiam & fraudes hoſtium, ib.
XIX. Conciliorum ſplendorem, p. 414
XX. Diſſenſum Eccleſiæ Reformatæ, in ipſis membris. ib.
XXI. Quódque nonnulli aliorum exempla ſequi maluerint. p. 415

CAP. III.

Tradit tria primaria Eccleſiæ impedimenta,
1. *Varias hæreſes* a. *Socinianiſmum*, ubi Socini

cini obſervatur Inſtitutio, p.418
purgatio, ibid. Confeſſio, p.419.421.
Cùm abortus ſuos ederet caſtigatur, 437
Eosdem, poſt illius obitum, ex fratre nepos extruſit, p.475
b. *Bernhardinum Ochinum*, ubi querelæ ejus contra Tigurinos motæ, quas aſpergines brevi tractatu abſtergunt, hiſtoricéque rem deſcribunt, ibid.
c. *Davidem Georgium*, qui licèt defunctus reperit cauſæ ſuæ Patronos, qua de re Theologi Baſileenſes Epiſtolam ad Menſonem Altingium accurant, p.510
d. *Decanum* quendam *Patavianum*, de quo Myconius ad Gualtherum &c. p.522
(NB. Meta authoris fatalis, p.524)
II. *Diſſidium Sacramentarium* inter ipſos Reformatos obortum, p.525
III. *Prematurum Regum* &c. virorum clarorum *obitum*, p.527. Eduardi, ibid.
IV. *Concilium Tridentinum*; p.528.
(Quætria poſteriora morte nec opinâ cadens ſtrictim attigit author.)

IN-

INDEX II.

Res præcipuas, quæ in hoc tomo continentur, ordine Alphabetico exhibens.

A.

Abnegatorum pœnæ. 51

Antverpienſium propter imagines motus 18

Apoſtaſia confeſſorum religionis Reform. 405

Apoſtaſiæ opprobrium obex eſt Reformationis 345

Armis religio Reformata opprimi non poteſt 320

Armis quærere religionis libertatem an liceat? 160

B.

Baſileenſis Reformatio 11

Belgæ ad arma pro religione adiguntur 315

Beraudini martyrium 186

Blanditiæ Papales 348

Blaurerus Ambr. filio ſtudium Theol. commendat 295

Bodlerus papatum ineptè defendit. 26

Borthuici martyris docta confeſſio. 213

Boxſchotius comitatum Hoyenſem reformat, 42
Bradfordi diſſertatio de Eccleſia & Sacramentis. 234.242.254
Brulii de juſtificatione confeſſio. 263
Bruni Stephani martyrium. 187
Brunſvigæ motus oriuntur propter religionem. 40
Bullingeri ſcripta Chriſtiano orbi multum commodi afferunt, 77. &c.

C.

Calicis uſus à Tridentinis Gallo negatur. 137
Carolus V. Romam cap. 3. Reformatorum de juſtificatione aſſentitur doctrinæ. 4. eliminare conatur Reformatos. p. 396.
De Charactere indelebili Tridentini fluctuant. 133
Chriſtiernus III. & IV. conſentit in Ref. 9.
Clades Reformatorum humilitatis materiam ſubminiſtrant. 317. Reformationis curſum impediunt. 395
Cleſelius ſui converſionem Bullingero acceptam fert. 77
Cleri Romani rabies. 333. impietas. 323
Confeſſorum religionis Reformatæ conſtantia. 169
Confeſſiones martyrum. 205. &c.

Con-

Confeſſionem auricularem deſtruit Smythæus. 265
Contarenus cum Reformatis ſentit de juſtificatione. 37
Convitia contra Reformatos ſparſa. 343
Crammeri martyrium. 179
Curia pontificia ſcandalo eſt orbi. 38
D.
Davidis Georgii, blaſphemi hominis, hiſtoria. 510
Decreta Pontificia contra Reformatos. 363
Degradationis Pontificiæ ritus. 338
Diazius Johannes. 282
Diſputationes religioſæ pontificiis infauſtæ. 25
Diſſidia Pontificiorum de ſua ipſorum religione. 99
E.
De Epiſcoporum authoritate Tridenti diſceptatur. 149
Evangelii libertas an armis quærenda? 160
Excommunicationibus conſtantiam Reformatorum fatigare ſatagunt pontificii. 363
F.
Ferdinandus I. reformationis agnoſcit neceſſitatem. 5
Fidei doctrina Patres Tridentinos in diverſas

ſas rap t partes. 113
Filpottus martyr. 206
Fœdera bono religionis inita. 158
Franciſcus Spiera. 47
Fraudes Imaginis Kantianæ deteguntur. 44. Fraudibus reformationi obex ponitur. 379
Frythus de Sacramentis doctè ſcribit. 37. 250

G.

Gallia non agnoſcit authoritatem Pontificis. 9
Gardineri Guilelmi martyrium. 221
Johanna Graja multum tribuit Bullingero. 190. religionem Reform. conſtanter profitetur. 252. 262
Grynæi miraculoſa liberatio. 183

H.

Hæreſes Reformationi obſtaculo ſunt. 417
Haſſiæ Landgravius fœdus init cum Tigurinis. 165
Hauxi martyrium. 188. de Imaginibus docta diſſertatio. 220
Helvetii fœdere Smalcaldico arcentur. 166
Henricus IV. reformatam religionem abnegat. 406
Henr. VIII. Anglus, Lutherum ſcriptis op-

oppugnat. 401. Pontificis jugum excutit. 7
Hottingerus Nic. Helvetiæ πρωτομάρτυρ. 176
Hoſpinianus Joh. martyrium ſubit. 273

I.

Jeſuitæ Tridenti vapulant. 153
Indulgentiarum doctrina Patribus Trid. μῆλον ἔριδος eſt. 154
Infantum conſtantia in religione. 200
Inquiſitio pontificia in Lutheranos. 384
Inquiſitorum quæſtiones. 387
Iuterbocumi ob religionem excitantur motus. 17

L.

Leidenſium miraculoſa ab obſidione liberatio. 55
Liberi arbitrii doctrina Tridentinos vexat. 121
Librorum ſubſidio religio reform. propagatur. 77
Libri reformatorum igni comburuntur. 407

M.

Magiſtratui ſuperſtitioſo an reſiſtere liceat. 160.
Martyrum conſtantia. 179. Martyres diverſi ordinis. 190. Martyres pontificii non ſunt teſtes Chriſti. 289. Martyrum Theologia, p. 205. Martyrum numero pal-

palmam Lutheranis præripiunt Reformati. 285. &c.
Maximil. I. fraudes pontif. ſubodoratur. 3.
Maxim. II. Reformatis favet. 6
Miniſterio Eccleſiaſtico ſe addicunt Nobiles. 29
Miraculis Reformati non deſtituuntur. 55
De Miſſa in diverſa abeunt Tridentini Patres. 144
Monachi Rütenſes ſcelerum ultrices dant pœnas. 311

O.

Ochinus Senenſis Tigurinam turbat Eccleſiam. 475
De ordine Eccleſiaſtico Tridentinis non convenit. 146
De Originali peccato diſſentiunt. Tridentini. 112

P.

Pro Papatu Magnates dimicant. 393
Papam non eſſe vicarium Petri docetur à Borthuico. 213
Pax religionis in Germania & alibi. 73
Perſecutionibus religio Reform. non opprimitur. 320
Perſecutorum pœna. 51
Polus in mortuos ſævit. 342
Pontificia religio nil habet certi. 96.99

Prædeſtinationis doctrina Tridentinis res videtur inextricabilis. 125

R.

Reformationis cauſæ adjuvantes. 3. Impedimenta. 332
Religio an armis propaganda? 160. armis opprimi non poteſt. 320. religio Refor. conviciis oneratur. 359. religio Pontificiorum nil habet certi. 96.99
Religionis tepor bonæ cauſæ abeſt. 413. Ejus libertas publica firmatur authoritate. 72
Roma ſcandalo eſt ipſis pontificiis. 38
Rütenſes Monachi ſcelerum ſuorum pœnas dant. 311

S.

Sacra clero Romano ſunt ludibrio. 323
Sacramentorum doctrina in diverſas partes Tridentinos rapit. 128
Saxoniæ Ducis conſtantia. 170
Smalkaldicum fœdus. 158
Socinus, homo hæreticus. 417
Suppliciis Reformati afficiuntur. 380

T.

Terror à Cuo immiſſus. 58
Tranſſubſtantiatio ipſis Tridentinis rixas movet. 136
Tridentinorum Patrum dubiæ, abſurdæ & con-

contrariæ voces. 107
Trinckleri tragicus exitus. 305
Tyrannis hoſtium Reformatis animum addit. 315

V.

Vergeriorum converſio. 36

Z.

Zelus quorundam martyrum contra ſuperſtitionem Papiſticam. 260

FINIS.

A01 ~~146968~~ 1469268